LEGATORIA
VISPERNA 222-A

378
C17

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

SUMMA
IURIS CANONICI
IN USUM SCHOLARUM
CONCINNATA

AUCTORE

FELICE M. CAPPELLO S. J.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSORE

VOLUME SECUNDUM

ALMA COLLEGE
348.1
LIBRARY
C174
Alma, California

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
VIA DEL SEMINARIO, 120

1930

1470

IMPRIMI POTEST

Petrus Boetto S. I.
Prep. Prov. Romanae.

NIHIL OBSTAT

Tibure, die 14 januarii 1930

Sac. Evaristus D' Anversa
Censor eccl.

IMPRIMATUR

Tibure, die 14 januarii 1930

† Aloisius Scarano
E.pus Tiburt.

TIBURE — Ex Typographia Mantero

INDEX

CAPUT VIII.

De vicariis foraneis.

		PAG.
Art. I.	— De nominatione et potestate vicarii foranei .	3
» II.	— De iuribus, officiis et remotione vicarii foranei	5

CAPUT IX.

De Parochis.

Art. I.	— De natura et divisione paroeciae . . .	8
» II.	— De parocho in genere	14
» III.	— De canonica provisione paroeciarum . .	22
» IV.	— De parochi iurisdictione	32
» V.	— De iuribus seu functionibus parochi . . .	36
» VI.	— De iure parochi ad legitima emolumenta .	57
» VII.	— De parochi obligationibus	60
» VIII.	— De cessatione officii paroecialis	82

CAPUT X.

De vicariis paroecialibus et rectoribus ecclesiarum.

Art. I.	— De vicariis paroecialibus	94
» II.	— De rectoribus ecclesiarum	104

CAPUT XI.

De religiosis.

Art. I.	— De statu religioso in genere	107
» II.	— De erectione et suppressione religionis, provinciae ac domus	114
» III.	— De regimine religionum	119
» IV.	— De confessariis	130

PAG.

Art. V. — De bonis temporalibus 144
» VI. — De admissione in religionem 152
» VII. — De professione religiosa 175
» VIII. — De ratione studiorum 186
» IX. — De obligationibus religiosorum 188
» X. — De privilegiis religiosorum 194
» XI. — De transitu, egressu et dimissione . . . 201

CAPUT XII.

De societatibus sive vivorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

Art. I. — De natura ac divisione societatum sine votis. 219
» II. — De iure quo reguntur societates sine votis . 221

CAPUT XIII.

De laicis.

Art. I. — De laicis in genere 224
» II. — De fidelium associationibus in genere . . 226
» III. — De fidelium associationibus in specie . . 239

LIBER III.

DE REBUS.

CAPUT I.

De ecclesiis et oratoriis.

Art. I. — De locis sacris in genere 249
» II. — De ecclesiis 252
» III. — De oratoriis 275
» IV. — De altaribus 286
» V. — De sacra supellectili 299

CAPUT II.

De sepultura ecclesiastica.

Art. I. — De sepultura ecclesiastica in genere . . 305
» II. — De coemeteriis 308
» III. — De obligatione servandi omnes ritus in sepultura ecclesiastica 318
» IV. — De ecclesia funerante 320

PAG.

Art. V. — De sepultura electiva 335
» VI — De sepulcro maiorum 341
» VII. — De ministro funeris 344
» VIII. — De tumulatione et associatione cadaveris ac de ritibus servandis 351
» IX. — De taxis funeralibus 357
» X. — De iis quibus concedenda vel deneganda est sepultura ecclesiastica 363
» XI. — De libro et inscriptione defunctorum . . 366

CAPUT III.

De censura librorum eorumque prohibitione.

Art. I. — De censura librorum 367
» II. — De prohibitione librorum 372

CAPUT IV.

De Seminariis.

Art. I. — De Seminarii notione, divisione, constitutione et necessitate 378
» II. — De reditibus seu bonis temporalibus Seminarii. 383
» III. — De regimine et administratione Seminarii . 387
» IV. — De praeparatione candidatorum et alumnorum admissione 394
» V. — De studiis, disciplina et vita spirituali . . 397
» VI. — De Seminarii exemptione 401
» VII. — De alumnorum dimissione et egressu e Seminario 404

CAPUT V.

De Sacra ordinatione.

Art. I. — De notione et distinctione ordinis . . 405
» II. — De effectibus et officiis ordinum . . . 411
» III. — De materia et forma ordinis 413
» IV. — De ministro sacrae ordinationis 423
» V. — De subiecto ordinationis 432
» VI. — De irregularitatibus et impedimentis . . 440
» VII. — De iis quae ordinationi sunt praemittenda . 457
» VIII. — De ritibus et caeremoniis ac de tempore et loco sacrae ordinationis 464
» IX. — De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis 468

CAPUT VI.

De beneficiis.

PAG.

Art. I. — De notione et divisione beneficiorum . . 469
» II. — De erectione beneficiorum 474
» III. — De unione, translatione et divisione beneficiorum 477
» IV. — De dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum 482
» V. — De collatione beneficiorum 484
» VI. — De iure patronatus 495
» VII. — De iuribus et obligationibus beneficiariorum. 500
» VIII. — De beneficiorum dimissione, permutatione, translatione et privatione 504

CAPUT VII.

De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus.

Art. I. — De natura et erectione huiusmodi institutorum 507
» II. — De visitatione, inspectione, suppressione et mutatione huiusmodi institutorum . . 509

AD LECTOREM

Plane confirmantes quae in praefatione ad volumen primum diximus, iterum lectorem benevolum monemus, nos consulto quaedam omittere, quaedam breviter exponere, quaedam vero fusius atque accuratius, prout maius clericorum bonum postulet, cum in eorum praesertim commodum opus concinnandum aggrediamur.

Id forte nonnullis minus placet. At nihil interest! Nobis adamussim servandae sunt normae a S. C. de Seminariis et Universitatibus studiorum traditae, potissimum in Litteris ad Ordinarios Italiae die 26 april. 1920 datis, simulque necessario attendenda est brevitas temporis, quo Seminariorum alumni studium iuris canonici absolvere coguntur. Eas Codicis partes penitius evolvendas ducimus, secundum normas praefatae S. Congregationis, quae propius ad ministerium ecclesiasticum spectant.

Haec animadvertenda censemus, ut huius operis finem quisque perspectum habeat variamque dicendi rationem ac methodum adhibitam probe dignoscat.

AUCTOR.

CAPUT VIII.

DE VICARIIS FORANEIS.

Articulus I.

De nominatione et potestate vicarii foranei (1).

480. Notio. — 1. Episcopus tenetur territorium dioecesis in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes, distribuere; qui veniunt nomine *vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus,* etc.

2. Sacerdos qui praedicto districtui seu vicariatui foraneo ab Episcopo praeficitur, ut partem muneris episcopalis adimpleat per inspectionem ac vigilantiam circa ea quae ad fideles et clerum ac praesertim parochos spectant, *vicarius foraneus dicitur* (can 445).

481. Institutio. — 1. Ius designandi vicarium foraneum pertinet exclusive ad Episcopum.

(1) Vicarius foraneus constitui coepit occasione cessationis officii chorepiscopi proprie dicti, inde praesertim a saec. IX. Hoc tempore, loco chorepiscoporum, constituti sunt, saltem in pluribus dioecesibus, *archipresbyteri* cum peculiari *iurisdictione* in determinatas paroecias, simul unitas, quae *archipresbyteratus* vel *decanatus* vocari solebant. Iurisdictio autem nonnisi res minoris momenti et frequentius occurrentes respiciebat.

Antiquitus decani munus erat singulis mensibus clerum sui districtus ad collationes seu *conferentias* de rebus spectan-

2. Designatio pluribus modis fieri potest, scil. munus committi potest antiquiori, digniori, per turnum, dummodo sacerdos designatus dotibus requisitis polleat et integrum maneat ius Episcopi libere designandi quem maluerit.

Alicubi officium vicarii foranei adnexum censetur ex consuetudine paroeciae determinatae, generatim principaliori. Episcopus hanc consuetudinem, si velit, servare potest, at minime tenetur (2).

3. Ex can. 217 vicariatus foranei in qualibet dioecesi instituendi sunt; idcirco Episcopus plena libertate hodie, aliter ac olim, non amplius gaudet circa huiusmodi officium instituendum necne.

4. Ad munus vicarii foranei Episcopus eligere debet *sacerdotem* quem *dignum* ratione pietatis, doctrinae ac prudentiae iudicaverit, praesertim inter rectores ecclesiarum paroecialium (can. 446, § 1). Sacerdotium et idoneitas postulantur *ad validitatem;* officium paroeciale est *de consilio* tantum. At maxime expedit ut vicarius foraneus, quippe qui vigilat praesertim super cura animarum, super impletis vel minus parochorum obligationibus, inter paroeciarum rectores eligatur.

482. Potestas. — 1. Iure *communi* nonnisi potestas *administrativa* seu *disciplinaris* competit vica-

tibus ad sacramentorum administrationem et animarum curam vocare eisque praeesse. Huiusmodi praxis post saeculum XIII bis tantum in anno ordinarie servata est.

Clerici qui pertinebant ad eundem districtum, *collegium* constituebant, quod *capitulum rurale* aliquo sensu dici poterat. Sua peculiaria statuta habebat ab Episcopo vel ab archidiacono approbata. Ipsi ius erat eligendi vel praesentandi vicarium foraneum seu decanum. Hic singulis saltem annis certiorem facere debebat Episcopum de rebus et personis sui districtus. Potestas vicarii foranei imminuta est, aucta potestate archidiaconi et munere vicarii generalis instituto.

(2) Peculiaris consuetudo usque ad Codicem viguit ex. gr. in Bavaria et in archidioecesi Coloniensi. Cfr. Eichmann, l. c., p. 187 ss.; Sägmüller, I, 478, nota 1.

rio foraneo (cfr. n. 483); iure *particulari*, nempe ex Concilio plenario aut provinciali vel ex Synodo dioecesana aut ex peculiari Episcopi concessione, competit quoque potestas *iurisdictionis* proprie dictae. Quae potestas ordinaria vel delegata erit, prout ipsi officio ex iure adnexa sit aut commissa tantum personae. Hinc longe verius dicendum, contra paucos, vicarium foraneum habere officium proprie dictum.

2. Mens Codicis est ut peculiares facultates in Synodo provinciali vel dioecesana tribuantur vicario foraneo (can. 447, § 1). Quae variae esse solent, maiores aut minores pro rerum et locorum adiunctis, in variis dioecesibus.

3. Ex can. 899, § 2 habitualiter concedenda est vicario foraneo facultas absolvendi a peccatis reservatis, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotionibus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui vicariatus.

In casu urgenti licentiam scripto concedere potest, ut administratores bonorum ecclesiasticorum litem nomine ecclesiae inchoent vel contestentur; at Ordinarium statim certiorem reddere debet de concessa licentia (can. 1526).

Articulus II.

De iuribus, officiis et remotione vicarii foranei.

483. Iura et officia. — 1. Haec sunt praecipua: 1° inspectio et vigilantia; 2° visitatio; 3° ratio Episcopo reddenda; 4° cura parochi infirmi et paroeciae vacantis; 5° collationes seu *conferentiae* ad casus resolvendos; 6° residentia.

2. *Inspectio* et *vigilantia*. Vicarius foraneus sedulo invigilare debet num in suo districtu omnia quae ad curam animarum, disciplinam ecclesiasticam et cultum divinum pertinent, sancte ac religiose serventur. Praesertim ad normam can. 447, § 1:

1° Num clerici sui territorii vitam ducant secundum praescripta sacrorum canonum, suisque officiis diligenter satisfaciant, praecipue circa legem residentiae, praedicationem verbi divini, catecheticam institutionem pueris et adultis tradendam, obligationem infirmis assistendi;

2° Num decreta lata ab Episcopo in sacra visitatione accurate exsecutioni mandentur;

3° Num debitae cautelae, secundum instructiones datas a S. Sede, adhibeantur circa materiam Sacrificii eucharistici;

4° Num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in custodia SS. Sacramenti et in Missae celebratione accuratissime servetur;

5° Num sacrae functiones secundum leges liturgicas rite celebrentur;

6° Num bona ecclesiastica diligenter administrentur et omnia onera illis adnexa, in primis Missarum, fideliter impleantur;

7° Num libri paroeciales recte conscribantur et religiose asserventur;

8° Ex can. 1289, § 1, vigilare debet vicarius ne sacrae reliquiae veneant.

484. 3. *Visitatio.* Cum officio inspectionis et vigilantiae necessario connectitur obligatio *visitandi* paroecias sui vicariatus. Haec visitatio « statutis ab Episcopo temporibus » (can. 447, § 2) peragenda est. Alicubi *semel* in anno, alibi *bis* vel *ter* aut *pluries*. Attendendae sunt leges synodales, litterae nominationis, etc. Circa victualia, procurationes et expensas itineris, servanda est, deficiente iure scripto, legitima locorum consuetudo.

4. *Ratio Episcopo reddenda.* Saltem semel in anno vicarius foraneus proprii districtus rationem reddere debet Ordinario loci. Exponat non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala orta sint, quae remedia

ad ea reparanda adhibita et quidquid agendum existimet ad ea radicitus exstirpanda (can. 449).

5. *Cura parochi infirmi et paroeciae vacantis.* Ad vicarium foraneum pertinet, statim ac audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat; ac praeterea curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex et cetera quae ad ecclesiam pertinent, depereant vel asportentur (can. 447, § 3).

6. *Collationes* seu *conferentiae ad casus resolvendos.* Vicarius foraneus debet, « diebus ab Episcopo designatis », convocare presbyteros sui territorii ad collationes seu conferentias de quibus in can. 131 (cfr. n. **233**) eisdemque praeesse; ubi vero plures habeantur huiusmodi conventus in variis locis vicariatus, invigilare tenetur ut rite celebrentur (can. 448, § 1).

Designatio dierum fieri potest ab Episcopo aut singulis vicibus aut initio anni; interdum remittitur prudenti iudicio vicarii foranei, qui tamen eximendi facultate non pollet.

7. *Residentia.* Si vicarius foraneus sit parochus, lege residentiae tenetur perinde ac ceteri parochi, ut palam est. Si vero parochus non sit residere debet in territorio vicariatus vel alio loco non valde distanti secundum normas ab Episcopo definiendas (can. 448, § 2).

485. Sigillum, praecedentia, accessus ad Synodum. — 1. Vicarius foraneus debet habere sigillum vicariatus proprium (can. 450, § 1): agitur sane de munere *publico*, cuius exercitium ac testimonium publicam fidem inducit et facit in foro canonico.

2. Praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui vicariatus (can. 450, § 2). Id valet quoties intersit *qua vicarius foraneus*, et non alio titulo aut ratione. Unde v. g. si magister in Seminario sit vel

deputatus et coetui intersit, praecedentia non ipsi competit, sed rectori eiusque vices gerenti; item si canonicus sit, in choro et actibus capitularibus iure praecedentiae nullatenus fruitur (3). Non praecedit Capitulo Collegiali in vicariatu forte existenti. Limitatur praecedentia ad vicariatum, ad synodum dioecesanam aut Concilium provinciale et ad dioecesim: ultra hos limites normis generalibus subest.

3. Vocandus est ad Synodum dioecesanam, at nonnisi votum consultivum, ut ceteri, habet (can. 358, § 1, 362).

486. Remotio. — 1. Vicarius foraneus ad nutum Episcopi amoveri potest (can. 466, § 2). Quidnam si munus vicarii adnexum sit ex consuetudine alicui paroeciae antiquiori seu digniori, ut supra dictum est (n. 481)? In hoc casu, Episcopus *vel* parochum a paroecia removeat, si iustae causae adsint, ad normam can. 2147 ss., *vel* eum privet dumtaxat officio vicarii foranei praefatae consuetudini derogando, *vel* huiusmodi consuetudinem penitus auferat atque ita privatus maneat parochus vicarii munere.

2. Nulla causa *per se* requiritur ad validitatem remotionis; at naturalis et canonica aequitas omnino servanda, ideoque curandum ne dedecus vel infamia inde obveniat vicario amoto.

CAPUT IX.

DE PAROCHIS

Articulus I.

De natura ac divisione paroeciae (1).

487. Notio paroeciae. — 1. Multiplici sensu accipitur paroecia: 1° pro certo dioecesis *territorio*,

(3) Pontif. Comm. Cod. 10 nov. 1922.

(1) Vocabulum *paroecia*, ex voce graeca (παροικία), locum vicinum vel districtum designat et initio religionis christianae

cui peculiaris praeest sacerdos cum potestate ordinaria et propria curam animarum ibi gerendi (cfr. can. 216, §§ 1 et 3); 2° pro *beneficio paroeciali;* 3° pro *officio curae* animarum quam parochus exercet;

territorium Episcopi denotare solebat, nempe dioecesim. Verbum *paroeciae* postea corruptum est in vocem *parochiae*. Unde Codex iure utitur semper verbo paroeciae: quae terminologia accurate servanda est.

Quare primis Ecclesiae temporibus *parochia* seu *paroecia* et *dioecesis* unum et idem erat. Parochus unus erat, nempe Episcopus, qui in civitate episcopali utebatur presbyterio ad curam animarum exercendam et officia sacra obeunda. Fideles ruri degentes in civitatem episcopalem se conferebant ut sacris functionibus interessent.

Aucto fidelium numero, primum ruri, postea in civitatibus, constituti fuerunt presbyteri. His, progressu temporis, peculiaris et proprius populus, quem in spiritualibus pascerent, concreditus est.

Initio isti presbyteri iure delegato vices Episcopi gerebant in praecipuis locis ruralibus. At ruri *stabiliter* minime degebant; expleto enim munere, ad episcopalem civitatem revertebantur ibique sedem habebant.

Postea, praesertim a saec. V, constitui coepti sunt presbyteri qui *stabiliter* residerent ruri apud ecclesias et fideles forenses, ut iisdem commodius praesto essent atque opportunius ad munia sacra obeunda, potissimum ad Missam celebrandam et Sacramenta ministranda. Deinceps huiusmodi presbyterorum munus, quod nondum stabile et fixum erat, ex usu et consuetudine pedetentim tale factum est. Id ex eo praesertim processit, quod ecclesiae rurales separatum patrimonium habere coeperunt, a quibus titulum ordinationis acceperunt clerici illis addicti.

Initio saeculi VI ruri *paroeciale institutum* rite constitutum reperitur, at non in omnibus dioecesibus. Haec est origo et conditio paroeciarum *ruralium*.

Aliud dicendum de paroeciis *urbanis*.

In civitate, praesertim episcopali, una ecclesia diutius curam animarum retinuit, constitutis, praeter principaliorem, aliis ecclesiis cum clero residente. Circa saec. X in *civitatibus* (exceptis Roma et Alexandria) ecclesiae *paroeciales* constitui coeptae sunt, ad modum earum quae ruri iam existebant. Hoc autem factum est, *tum* propter spiritualem fidelium necessitatem, *tum* ob ipsam rerum conditionem, quatenus, pluribus concessis privilegiis confraternitatibus aliisque civium consociationibus, ecclesiae ab his fundatae vel dotatae iura paroecialia obtinuerunt.

Usque tamen ad Concilium Tridentinum divisio dioecesium in paroecias distinctas cum propriis perpetuisque pastoribus

4° pro *coetu fidelium* qui peculiari sacerdoti, tanquam proprio pastori, subsunt; 5° pro *ecclesia* ubi sacrae functiones in commodum parochianorum peraguntur.

2. Prior acceptio communior est. Nomine dioecesis venit quoque abbatia vel praelatura *nullius*, ad normam can. 215, § 2.

3. Si agitur de vicariatu apostolico et de praefectura apostolica, territorii partes quibus peculiares rectores assignati fuerint, *quasi-parociae* vocantur (can. 216, § 3).

4. Ex dictis liquet *quot et quaenam sint paroeciae elementa.*

Sunt haec: 1° determinatus populus; 2° peculiaris rector, qui proprius eiusdem sit pastor; 3° animarum cura iure ordinario et vi officii gerenda; 4° peculiaris ecclesia ad cultum divinum publice in commodum fidelium exercendum; 5° certum territorium; 6° beneficium, cuius reditibus rectoris sustentationi consulatur.

Non omnia et singula sunt de essentia, praesertim duo postrema.

Communius docent AA. sufficere *decem* familias ad paroeciam constituendam, ita tamen ut semel constituta adhuc existat cum omnibus iuribus et officiis, licet imminuatur familiarum numerus (2). Hodie ad valorem *decem* familiae minime requiruntur; per se etiam pauciores sufficiunt.

non fuit ubique recepta. Patres Tridentini sapientissima de hac re tulerunt decreta.

Post revolutionem Gallicam, in Gallia et Belgio (et aliqua ratione etiam in regione trans ripam sinistram Rheni), occasione circumscriptionis paroeciarum, *nova species* parochorum introducta est, ad nutum Episcopi amovibilium (desservants), quorum conditionem iuridicam accurate definivit Pius X, decreto S. C. Consist. « *Maxima cura* », 20 aug. 1910, de amotione administrativa ab officio et beneficio curato. Quod Decretum, paucis inductis mutationibus, ratum et confirmatum est a Codice, ut suo loco dicetur (n. **557** ss.).

(2) Cfr. c. 3, C. 10, q. 3.

488. Divisio.— 1. Paroecia dividitur:

1° In *territorialem et personalem*. Illa, quae etiam *localis* dicitur, est regula; altera exceptio. Vocatur *territorialis* quia constat omnibus iis fidelibus qui ad praefinitum territorium pertinent ratione domicilii vel quasi-domicilii, adeo ut parochus in eos omnes qua proprius pastor (nisi forte sint exempti) suam potestatem exerceat. Titulus igitur est *territorium*.

Dicitur *personalis* paroecia, si titulus directe et immediate vel ex ipsa *persona* profluat vel cum ea intime connectatur. Qui titulus multiplex est. Hinc paroecia huiusmodi subdivitur in 1° *stricte personalem*, ratione ritus aut idiomatis vel nationalitatis; 2° *familiarem*, ratione membrorum quatenus complectitur omnia membra unius eiusdemque familiae; 3° *gentilitiam*, ratione gentis seu stirpis, quatenus complectitur omnes, cognatos et agnatos, qui eiusdem sunt gentis; 4° *castrensem*, ratione officii sive professionis, quatenus constat iis qui peculiari professioni nempe militiae adscripti sunt.

Plerumque paroecia *personalis* est quoque *territorialis*, quatenus complectitur fideles qui commorantur in hoc pago vel civitate, et non extra: unde ad certum territorium coarctatur.

2° In *independentem* seu *non incorporatam* et *dependentem* seu *incorporatam*. Prior dicitur quae est omnino sui iuris; altera quae est unita alicui personae morali ecclesiasticae, v. g. capitulo, monasterio, etc.

Unio seu incorporatio duplex est: *a*) *perfecta* sive *pleno iure*, quando paroecia adnexa est alteri officio vel instituto tam in temporalibus quam in spiritualibus; *b*) *imperfecta* seu *iure non pleno*, quando in temporalibus tantum unita est.

Unio *perfecta* hodie uni Sedi Apostolicae reservatur (can. 452, § 1). Ea posita, cura *habitualis* paroeciae est penes personam moralem, *actualis* penes vicarium (can. 471).

3° In *amovibilem* et *inamovibilem*. *a*) Omnes parochi sunt *stabiles* (can. 454, § 1): id postulat efficacia muneris paroecialis, quod vix posset fructuose exerceri, si pastores pro lubitu Episcopi amoveri possent. Attenditur *stabilitas* subiectiva, quae obiectivam praesupponit.

b) At non omnes parochi eandem habent stabilitatem: qui maiore gaudent, *inamovibiles;* qui minore, *amovibiles* appellantur (can. 454, § 2). Hinc paroeciae *amovibiles* et *inamovibiles*.

c) Maior stabilitas id efficit ut parochi hac fruentes nequeant officio et beneficio in poenam privari nisi ordine stricte iudiciali servato, nec possint a paroecia amoveri absque peculiari processu ad normam can. 2147-2156, nec inviti ad aliam paroeciam transferri, nisi Ordinarius peculiares facultates a S. Sede obtinuerit (can. 2163, § 1). Minor stabilitas faciliorem reddit parochorum remotionem sive in poenam delicti sive etiam citra delictum, atque eorum translationem (can. 2157 ss., 2163, § 2).

d) Fundamentum *stabilitatis* parochi est *titulus*, quia paroecia ei in titulum confertur.

e) Perpetuitas obiectiva est de essentia beneficii paroecialis eaque necessario reperitur in paroecia tum inamovibili tum amovibili; perpetuitas subiectiva est de essentia tantum paroeciae inamovibilis.

f) Codex favet inamovibilitati. Sane existentes paroeciae inamovibiles nequeunt amovibiles reddi sine venia apostolica; amovibiles possunt ab Episcopo, non autem a Vicario capitulari, de Capituli cathedralis consilio, inamovibiles declarari; novae quae erigantur, sint inamovibiles, nisi Episcopus, prudenti suo arbitrio, attentis peculiaribus locorum et personarum adiunctis, magis expedire iudicaverit amovibilitatem, audito Capitulo (can. 454, § 3).

g) Sunt amovibiles *quasi-paroeciae* et paroeciae *religiosae*. Harum rectores, ratione voti quo pendent

a Superiore et simul ratione officii quo pendent ab Ordinario, sunt amovibiles *ad nutum* tam loci Ordinarii, *monito Superiore*, quam Superioris, *monito Ordinario*, aequo iure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam sui iudicii aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu *in devolutivo* ad S. Sedem (can. 454, §§ 4 et 5). Nec ullus in casu processus requiritur (can. 2157, § 2). Hinc patet parochos *religiosos* habere quidem stabilitatem aliquam, sed minimam, minorem profecto ea quae competit ceteris parochis etiam amovibilibus.

4° In *saecularem* et *religiosam*, prout ad solos clericos saeculares vel ad solos clericos regulares pertinet. In dubio, paroecia extra ecclesiam vel domum religiosorum erecta, *praesumitur* saecularis. Si tantum *quoad temporalia* sit incorporata, parochus saecularis instituendus est; si *pleno iure* unita, vicarius religiosus designari debet.

5° In *matricem* et *filialem*. Haec ab illa historice originem habet; plerumque aliquod honoris signum, salva paroecialitate, ei exhibere tenetur (cfr. can. 1427, § 4).

Hodie signum honoris tunc solum exhibendum, cum nova paroecia ex reditibus paroeciae matricis ditatur; excluditur reservatio fontis baptismalis (can. 1427, § 4). Non ita olim. Semper enim aliquis honor reservari solebat ecclesiae matrici, praesertim fons baptismalis, annuus census, coemeterium, cereus, etc. Codex non favet. At huiusmodi honor, si decretum Episcopi adsit vel conventio aut consuetudo, etiam hodie exhibendus est, excepto fonte baptismali ad normam can. 774, § 1.

In dubio an aliqua ecclesia habenda sit ut *vera paroecia*, a matrice independens, *signa parochialitatis* attendenda sunt, quae ad sequentia reducuntur: 1° fons baptismalis; 2° assistentia matrimoniis; 3° applicatio pro populo; 4° ius funerandi; 5° ius distribuendi Communionem paschalem. Si omnia adsunt,

ecclesia est procul dubio paroecia; si unum vel alterum desit, non statim contrarium affirmandum, cum antiquitus fons saepe reservaretur matrici (3).

Articulus II.

De parocho in genere (1).

489. **Notio et divisio parochi** (2). — 1. Ad normam can. 451, § 1 « *parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda* ». Hinc :

a) Parochus proprie dictus potest esse vel persona physica vel persona moralis, ex. gr. Capitulum aut monasterium, iuxta superius dicta (n. 488, 1°).

b) Ad genuinum parochi conceptum requiritur ut personae, physicae vel morali, paroecia collata sit in titulum.

(3) Cfr. Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, II, p. 25; Bouix, *Tractatus de parocho*, part. I, sect. 2, cap. 9.

(1) *Parochus* (πάροικος), latine *copiarius*, apud Romanos dicebatur praefectus stationum (hospitiorum) in Italia et provinciis, ubi publici magistratus iter agentes victum et diversorium reperiebant certa taxa soluta. Inde vox parochi translata est ad significandum dominum cauponae vel hospitii.

Sed vocabulum parochi, quod in iure canonico adhibetur ad animarum pastorem indicandum, non ex illa voce romana derivandum, at potius ex verbo *paroeciae* (παροικία), quod in vocabulum *parochiae* corruptum est, cuius praeses vel praefectus *parochus* inde vocatus.

Vox *parochi* in antiquis fontibus non reperitur. In ultimis Sessionibus Concilii Trid. frequentius usurpari coepit. Olim parochus vocari solebat *plebanus, curator, rector, curio, presbyter parochialis* vel *parochianus, sacerdos proprius*, etc.

(2) Quidam, vulgo *parochistae*, docuerunt parochos esse de iure divino. Inter eos eminere Gulielmus a S. Amore († 1272), Gersonius († 1429). Idem, licet non semper iisdem verbis eademque ratione, tenuerunt Gallicani, Febroniani et Iansenistae, ut potestatem R. Pontificis et Episcoporum imminuerent.

Hanc opinionem, iamdiu obsoletam, tum historice tum dogmatice esse falsam, neminem latet.

c) Praetera opus est, ut universa cura animarum proprie dicta competat.

d) Quae cura exercenda dicitur « sub Ordinarii loci auctoritate », tum quia omnia munia sacra subsunt iurisdictioni legitimi Superioris ecclesiastici, tum speciatim quia cura animarum non est nisi pars quaedam pastoralis dioecesis regiminis.

2. Quidam non sunt parochi proprie dicti, at nihilominus eis *aequiparantur* cum omnibus iuribus et obligationibus et parochorum nomine in iure veniunt (can. 451, § 2). Hi sunt: 1° *quasi-parochi*, nempe qui quasi-paroecias regunt; 2° *vicarii paroeciales*, si plena potestate paroeciali praediti sunt, ut vicarii actuales, oeconomi, substituti, etc.

3. Num cappellani militum inter parochos recensendi sint necne, peculiaria de iisdem praescripta S. Sedis inspici debent (can. 451, § 3); seu videndum utrum ordinaria an delegata polleant potestate, nomine et iure proprio an potius alieno curam spiritualem militum exerceant.

Sane cappellani militum dividi possunt in triplicem classem. Alicubi, ut in Gallia et Belgio, cappellani iurisdictionem accipiunt a singulis Ordinariis; proinde eorum iurisdictio quoad loca, personas et materias pendet ab Ordinariorum delegatione.

Alibi, ut in Italia, Hispania, Germania et Austria, cappellani militum dependent immediate ab Ordinario castrensi, qui gaudet iurisdictione quasi-episcopali, pro facultatibus sibi a S. Sede tributis, in personas militiae addictas. Ab Ordinario castrensi iurisdictionem obtinent cappellani, in favorem militum exercendam. Quae iurisdictio est *personalis*, quatenus directe et immediate respicit militum personas; plerumque est etiam *localis* tempore pacis, quatenus singulis cappellanis peculiaris statio sive districtus assignatur (3).

(3) Ad Italiam quod attinet, vide Decr. S. C. Cons. 6 mart. 1925; *A. A. S.*, XVIII, 42.

Alicubi militum cappellani immediate a S. Sede iurisdictionem accipiunt. Natura et extensio iurisdictionis ex litteris apostolicis desumenda.

4. Certum est cappellanos militum, licet forte aequiparentur parochis, non teneri omnibus officiis paroecialibus, ex. gr. obligatione applicandi Missam pro fidelibus sibi commissis (4).

5. Qui praesunt familiae religiosae aut domui piae a parochi iurisdictione subductae (cfr. **n. 493**), nomine parochorum in iure non veniunt, etsi potestate quasi paroeciali gaudeant quoad sacramenta ministranda. Eorum iura et officia, proinde, non ex iuribus et officiis parochorum dimetienda sunt, sed ex iure communi, ex. gr. ad rectorem Seminarii quod attinet (can 1368), vel ex decreto Episcopi aut ex Sedis Apostolicae privilegio.

6. Parochis applicantur divisiones supra memoratae (**n. 488**).

490. Munus parochi eiusque potestas in genere considerata. — 1. Parochus est *verus pastor* populi sibi commissi eumque regit, in omnibus quae ad curam animarum pertinent, *ordinaria* potestate, nomine et iure *proprio*.

2. Proinde tanta potestas ei competit, quanta requiritur ad huiusmodi munus *pastoris* rite obeundum. Porro, posita iurisdictione, ordinaria et immediata Episcopi in universam dioecesim, ad officium parochi necessaria non est iurisdictio fori externi; dum e contra requiritur omnino iurisdictio fori interni et quaedam potestas administrativa, cum Episcopus nequeat per se ipse omnium et singulorum subditorum spirituali bono consulere.

(4) S. C. Conc. 22 maii 1909 declaravit parochos castrenses et cappellanos curatos militum in Hispania non teneri Sacrum facere pro grege sibi commisso. Id a fortiori dicendum de cappellanis militum in Gallia, Belgio, Germania etc.

3. Parocho competit: 1° potestas ordinaria *fori interni*, tum sacramentalis tum extra-sacramentalis; hic attenditur praesertim potestas fori interni sacramentalis, nempe iurisdictio ad confessiones audiendas (cfr. can. 875, § 1); 2° potestas *disciplinaris* (a nonnullis domestica vel oeconomica aut dominativa lato sensu dicta) in omnes subditos, quatenus eos auctoritative admonere et corrigere valet atque ius et officium habet advigilandi ne quid contra fidem ac mores in paroecia fiat; 3° potestas *administrativa*, quae externa et publica munia complura respicit, v. g. opera caritatis, fidei ac pietatis a parocho vi officii fovenda atque instituenda (cfr. can. 469); 4° potestas dispensandi, etiam in foro externo, super lege ieiunii et abstinentiae et observantia festorum, necnon super impedimentis matrimonialibus (cfr. n. 128).

4. Cum potestas parochi sit ordinaria utpote officio adnexa, quamdiu ille in officio manet, tamdiu eam retinet; et si agitur de parocho proprie dicto, is, cum in *titulum* paroeciam acceperit, potestate *stabili modo* gaudet, adeo ut nonnisi ad normam iuris ea privari possit.

5. Potestas parochi iure communi perspicue determinatur. Episcopus eam nec *auferre* nec *limitare* valet, tamen potest, etiam parocho invito, alium *delegare* tum per modum actus tum habitualiter. Verum, parocho invito id ne fiat nisi raro et iusta de causa (5).

491. Unaquaeque paroecia suum debet habere parochum et quidem unicum. — 1. Parochus *unam* tantum in titulum habere potest paroeciam, nisi agatur de paroeciis aeque principaliter unitis (can. 460, § 1). Sane officia paroecialia sunt inter se incompatibilia, ideoque invalida foret collatio plu-

(5) S. C. Ep. et Reg. 14 dec. 1604, 12 iun. 1618; S. C. C. 14 aug. 1863.

rium paroeciarum in titulum uni parocho facta, ad normam can 156.

2. « In eadem paroecia unus tantum debet esse parochus qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio » (can. 460, § 2).

a) Igitur vetatur omnino *cumulativa* iurisdictio, quatenus in eadem paroecia et in eosdem subditos plures parochi, alter ab altero independens, curam animarum exerceant. Quod non verificatur si una cum parocho adsit vicarius adiutor vel cooperator, cum is *dependenter* a parocho animarum curam gerat. Quare deest ratio prohibitionis.

b) Revocatur quodcumque privilegium etiam apostolicum, peculiari quoque mentione dignum; et haec iuris dispositio respicit non solum futuras, sed etiam existentes paroecias, seu quae ex consuetudine vel privilegio aut statuto sunt in legitima possessione huiusmodi iuris cumulativae iurisdictionis (6).

c) Interdicitur *cumulativa* iurisdictio paroecialis, sive iure praeventionis sive per turnum exerceatur.

d) Si leges fundationis stricte sumptae curam animarum cumulative exercendam forte statuant, vim suam adhuc retinent, ut palam est : unde unicus hodie est casus legitimae iurisdictionis cumulativae.

e) Sicuti ecclesia cathedralis vel collegialis potest esse simul paroecialis (can. 415, § 1), ita una eademque ecclesia, absolute loquendo, potest inservire duabus seu pluribus paroeciis (7). Palam est id minus expedire, ideoque, nisi urgeat necessitas, vitandum omnino.

3. Praefatum iuris praescriptum opportune ac sapienter latum : complura enim incommoda eaque sat

(6) Pontif. Comm. Cod. 14 iul. 1922; *A. A. S.*, XIV, 527.
(7) S. C. C. 17 mart. 1917; 9 febr. 1918; *A. A. S.*, IX, 343, X, 285.

gravia, teste experientia, ex cumulativa parochorum iurisdictione oriebantur (8).

492. Quinam subsint iurisdictioni parochi. — 1. Ex can. 464, § 1 parochus tenetur ex officio « *curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime exempti* ».

2. Paroecianus autem duplici sensu quis dicitur: *stricto* et *lato*. Sensu *stricto* is est, qui habet domicilium vel quasi-domicilium in paroecia; sensu *lato* vocatur vagus et qui non habet nisi domicilium vel quasi-domicilium *dioecesanum*. Isti parochum proprium sortiuntur ex loco ubi actu commorantur ad normam can. 94, §§ 2 et 3.

3. Praeter quam in paroecianos proprie dictos, etiam in *peregrinos* actu in paroecia degentes parochus suam exercere valet potestatem, licet non eodem titulo et ambitu

4. Verum paroeciani eatenus subsunt iurisdictioni parochi, *quatenus exempti non sint*. Exemptio potest esse totalis vel partialis; potest directe et immediate respicere locum sive domum aut personas.

Tituli, unde oritur huiusmodi exemptio a parochi potestate, sunt quinque: 1° privilegium apostolicum; 2° privilegium seu decretum Episcopi; 3° legitima consuetudo; 4° praescriptio debitis vestita conditionibus; 5° lex fundationis, quatenus fundator v. g. alicuius loci pii expresse statuerit locum immediate subiici peculiari sacerdoti, parocho excluso, et haec conditio acceptata fuerit a competente Superiore ecclesiastico.

(8) Antiquitus plures erant paroeciae, in quibus duo vel tres parochi constituti reperiebantur, qui vel per turnum vel iure praeventionis in eosdem subditos curam exercebant. Nostra aetate paucae erant. Tempore promulgationis Codicis, nonnullae in Italia, v. g. in dioec. Firmana et Bergomensi, adhuc existebant.

493. 5. Potestne Episcopus subducere personas vel familias privatas, familias religiosas aut pias domos a parochi iurisdictione?

Procul dubio potest familias religiosas et pias domos, v. g. hospitale, orphanotrophium, etc., iusta et gravi de causa, subducere tam ad tempus quam in perpetuum a parochi iurisdictione (can. 464, § 2).

Ante Codicem res erat incerta; at verior sententia, SS. Congregationum iurisprudentia recentius confirmata, affirmabat (9).

Causa iusta et gravis requiritur ad valorem exemptionis; at praesumptio semper favet Episcopo. Exemptio eatenus concedi potest, quatenus cura piae domus vel familiae religiosae proprio rectori committatur, aut ipsemet Episcopus eiusdem curam directe et immediate suscipiat, non vero quatenus nullus sit praefinitus proprius rector; id enim foret contra ius commune. Exemptio autem potest esse totalis vel partialis.

Quoad *familiam* sive *domum privatam*, verius affirmandum subduci posse a parochi iurisdictione, iisdem ac supra positis conditionibus, ita tamen ut mutentur confinia paroeciae ideoque familia sive domus privata, quae prius erat in territorio paroeciae *A.*, nunc, facta immutatione, reperiatur intra fines paroeciae *B.* Ratio est quia familia sive domus *qua talis* est *in loco*; porro parochus gaudet quidem iure quaesito iurisdictionis in toto territorio paroeciali exercendae, at non habet ex lege communi ius quaesitum ut hic vel ille locus ad territorium paroeciale iuridice pertineat, secus dismembratio paroeciae fieri non posset iure ordinario ab Episcopo.

Quoad *personas* privatas, negandum, si considerentur proprie qua tales; affirmandum, contra, si ex-

(9) Cfr. Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, II, p. 69 s.; Gennari, *Quistioni canon.*, p. 407; Many, *De locis sacris*, n. 172; Bargilliat, n. 913.

emptio directe et immediate non personas afficiat, sed *locum* ubi degunt. Ratio *primi* est, quia omnes qui habent domicilium vel quasi-domicilium in paroecia parochum *proprium* ex ipso loco sortiuntur ad normam iuris communis (can. 94, § 1), cui derogare nequit Episcopus. Nec potest idem Episcopus privatis personis peculiarem rectorem *qua parochum* adsignare, absque respectu ad territorium, cum paroeciae personales constitui nequeant sine indulto apostolico (can. 216, § 4). Ratio *secundi*, quia, ut supra dictum est, Episcopus paroeciam dismembrare valet, servatis servandis, ac proinde ita mutare confinia eiusdem, ut certus *locus* non amplius pertineat ad illam paroeciam. In hoc casu, requiritur generatim causa gravior quam ubi agitur de eximenda domo pia vel religiosa, ac praeterea servandae sunt normae, congrua congruis referendo, quae dismembrationem respiciunt (cfr. can. 1427).

494. 6. Parochus nec in perpetuum nec ad tempus personas vel loca eximere valet a sua iurisdictione, cum paroeciae fines mutare et iure communi derogare minime valeat.

7. Qui a iurisdictione Episcopi sunt exempti, v. g. regulares, Auditores Rotae, etc., eo ipso a potestate quoque paroeciali eximuntur.

8. Si qua domus religiosa vel pia sit exempta, huiusmodi privilegio fruuntur omnes *familiares*, nempe qui diu noctuque degunt in ea, ex analogia cum can. 514, § 1. Si locus sit qua talis exemptus, omnes actu ibi commorantes exemptione gaudent.

9. Si Episcopus ad normam can. 464, § 2 subducat a parochi iurisdictione religiosas familias vel pias domos, non ideo territorium, in quo illae reperiuntur, efficitur extra paroeciale; unde parochus valide assisteret matrimoniis in iisdem, utpote in pro-

prio territorio celebratis. Excipias tamen casum, in quo perspicue constet Episcopum confinia paroeciae revera mutasse.

Articulus III.

De canonica provisione paroeciarum.

495. Nominatio et institutio parochi. — 1. « *Ius nominandi et instituendi parochos competit Ordinario loci*, exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, sed salvo privilegio electionis aut praesentationis si cui legitime competat » (can. 455, § 1).

1° Episcopus in proprio territorio habet intentionem in iure fundatam quoad collationem omnium beneficiorum non reservatorum (cfr. can. 1432).

2° Excipiuntur paroeciae S. Sedi reservatae ex praescripto can. 1435, ratione *affectionis* vel *devolutionis* aut *reservationis* proprie dictae.

3° Alia exceptio respicit privilegium electionis aut praesentationis, *si* et *quatenus* alicui legitime competat. Id locum habet quoad paroecias iuris patronatus vel pleno iure unitas alicui personae morali (cfr. n. **488,** 2°) et quoad illos pro quibus peculiare privilegium concessum fuerit in concordato aut alias.

4° Reprobatur contraria consuetudo. Unde ius electionis vel praesentationis ortum ex consuetudine, sublatum manet.

5° Ante Codicem quaedam personae morales, v. g. Capitula, habebant ius non solum nominandi parochos, sed etiam eis conferendi institutionem *collativam tituli*: institutio autem *auctorizabilis*, quae dicebatur, ab Episcopo tribuenda erat (1).

(1) Imo quaedam Capitula ex privilegio apostolico habebant quoque ius dandi institutionem *auctorizabilem*. Cfr. S. C. C *Tarvisina*, 16 maii 1903; *A. A. S.*, XXXV, 725.

Can. 455, § 1 loquitur tantum de iure electionis vel praesentationis. Quidnam de praefato iure *instituendi*? Si ex consuetudine originem duxerit, penitus revocatum est; si ex privilegio apostolico aut lege fundationis, adhuc existit.

2. *Vicarius capitularis* potest tantum confirmare parochum electum vel acceptare praesentatum et utrumque instituere; elapso autem integro anno a vacatione sedis, conferre valet etiam paroecias liberae collationis (can. 455, § 2).

3. *Vicarius generalis* sine mandato speciali parochos nominare vel instituere nequit. *Sede impedita*, eadem potestate pollet ac Vicarius capitularis; idem dicas de quocumque alio qui impeditam dioecesim administrat (can. 455, § 3).

4. Si paroecia est pleno iure *incorporata* personae morali, haec, nisi exceptio probetur, vicarium praesentat; si concredita sit *religioni*, praesentat eiusdem legitimus Superior, a constitutionibus determinatus: in utroque casu Ordinarius institutionem confert, praemissa inquisitione de idoneitate ad normam iuris (can. 456, 471, § 2).

5. Quasi-parochos *saeculares* nominat Ordinarius, scil. Vicarius aut Praefectus Apostolicus, audito consilio consultorum (can. 457). Si missio concredita sit *religioni*, applicantur eaedem normae quae paroecias religiosas respiciunt.

496. Qualitates parochi, iudicium de idoneitate, examen. — 1. Ad *validitatem* requiritur ut parochus sit in sacro *presbyteratus* ordine constitutus (can. 453, § 1). Sic derogatur iuri antiquo, ex quo satis erat ut promovendus tonsuram haberet et intra annum reciperet presbyteratum (2).

(2) Cfr. c. 5, X, I, 14; Conc. Trid., Sess. VII, c. 3; Sess. XXIV, c. 12, de ref.

Aetas praescripta et legitimitas natalium conditione recepti presbyteratus includuntur.

Requiritur praeterea, generatim ad *liceitatem*, ut promovendus sit praeditus bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia aliisque virtutibus et qualitatibus, quae ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam tum *iure communi*, nempe Codicis, tum *iure particulari*, scil. lege fundationis vel concordato aut legitima consuetudine vel peculiari R. Pontificis praescripto, requiruntur (can. 453, § 2).

2. Iudicium de idoneitate pertinet *semper* ad Ordinarium loci, seu ad illum Ordinarium cui parochus in officio gerendo subesse tenetur, sive agatur de libera collatione sive de institutione aut forte de confirmatione.

Ordinarius debet ex *gravi obligatione* praeferre *magis idoneum*, non quidem absolute, sed relative, nimirum quoad *paroeciam* de qua agitur, habita ratione non tantum doctrinae sed etiam omnium aliarum qualitatum, quae ad gubernandam *determinatam* paroeciam alium prae aliis aptiorem faciunt (can. 459, §§ 1 et 2).

Ut iudicium aequum de idoneitate promovendi sibi Ordinarius efformet, tenetur ex iure communi *a*) *documenta* consulere, si qua sunt in archivo Curiae episcopalis, quae clericum nominandum respiciunt; *b*) *notitias* prudenter exquirere, etiam secretas si opportunum existimaverit, tam in dioecesi quam extra, si opus sit; c) inspicere quonam exitu *examina* scientiae clericus post expletum studiorum curriculum subierit, de quibus in can. 130, § 1 (cfr. n. 232); *d*) promovendum *examini* super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus subiicere; a quo dispensare valet, de *consensu* examinatorum, sacerdotem doctrinae theologicae laude commendatum; e) indicere *concursum*, ubi huiusmodi forma in provisione paroeciarum (n. 499) adhuc viget (can. 459, §§ 3 et 4).

497. 3. Examen peragendum est secundum formam et rationem ab Ordinario praefinitam. Respicere debet quae ad curam animarum spectant; ideoque complectitur, generatim, homiliam vel catechesim, unum aliumve casum, aliquam quaestionem de re pastorali.

Non sufficit examen ad ordines, de quo in can. 996, §§ 2 et 3, licet fiat coram Ordinario et examinatoribus, nisi examen versetur etiam circa ea omnia de quibus interrogandus est clericus qui ad paroeciam promovendus est. Nec sufficit examen quod omnes sacerdotes ad normam can. 130 subire tenentur, quamvis, ut supra, fiat coram Ordinario et examinatoribus (3).

4. Sacerdotes de paroecia providendi, omnes, iure communi, examini subiiciuntur. Si parochus transfertur de una in aliam paroeciam, periculum semel factum pro prima paroecia sufficit etiam pro alia, si translatio fiat *proponente* ac *suadente* Ordinario; non sufficit, contra, si translatio fit *ad instantiam* parochi, nisi Ordinarius cum examinatoribus iudicet idoneitatem adhuc perdurare, eamque esse sufficientem ad *novam* paroeciam. Si *parochus* sponte quidem petat translationem, sed Ordinarius nullo fere habito respectu ad petitionem, transferat auctoritate sua, servatis servandis, obligatio novi examinis subeundi non datur. Quae hypothesis practice plerumque verificatur aut verificari potest.

Nec subiiciendus est examini parochus *amotus* a paroecia, qui ad tramitem can. 2154 transfertur ad aliam; nec ille qui *ex officio* transfertur ad aliam paroeciam ad normam can. 2162-2167. Si clerici, extra casus praefatos, nolint examini se subiicere, quod non raro accidet pro minoribus paroeciis, Ordinarius recurrat ad S. C. Concilii (4).

(3) Pontif. Comm. Codicis 24 nov. 1920, ad 5 et 6; *A. A. S.*, XII, 574.

(4) Pontif. Comm. Cod. 24 nov. 1920, ad 1, 2, 3 et 4; S. C. C. 21 iun. 1919.

5. Obligatio eligendi *digniorem* semper urget ubi agitur de officio paroeciali, at *strictius* urget in casu *concursus*, cuius finis est nedum arcendi indignos, sed et digniores eligendi. Qui *scienter* ad paroeciam *indignum* nominat, praesentat vel instituit, *gravissime* peccat. Etiam provisio *digni*, praetermisso *scienter* digniore, prohibetur sub gravi, cum maxime intersit Ecclesiae ut digniores paroeciis praeficiantur.

6. Si provisus careat qualitatibus requisitis, provisio est *nulla*, si ita cautum sit iure communi vel particulari aut lege fundationis, ex. gr. si provisus careat sacerdotio vel sit inhabilis ratione infamiae iuris, etc.; secus est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest (can. 153, § 3). Provisio facta de idoneo, praetermisso magis idoneo, per se numquam est invalida nec per sententiam Superioris rescindenda, excepto tantum casu concursus, in quo rescindibilis est. Practice tamen non rescinditur.

498. Tempus provisionis. — 1. Paroecia conferenda est *intra sex menses utiles* ab habita notitia vacationis, nisi peculiaria locorum et personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, provisionem differendam suadeant (can. 458). Huiusmodi adiuncta praesertim sunt penuria sacerdotum, defectus dotis sufficientis, dissensiones et lites, etc.

2. Etiam si agitur de provisione paroeciae *per praesentationem*, habentur sex menses utiles; nam patronus intra *quatuor* menses clericum idoneum praesentare, Ordinarius intra duos menses eum instituere debet (can. 1457, 1467).

3. Si tempus utile ad provisionem faciendam iam praeterlapsum sit ob *meram negligentiam* illius, cui ius erat conferendi paroeciam, provisio pro ea vice devolvitur absque ulla sententia declaratoria ad R. Pontificem si agitur de provisione per liberam collationem; ad Metropolitam si agitur de provisione per praesentationem (can. 274, 1°, 1432, § 3).

499. Lex concursus. — 1. Can. 459, § 4 decernit : « In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam const. Benedicti XIV *Cum illud,* 14 dec. 1742, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit ».

Forma concursus primum inducta fuit a Concilio Tridentino (5) in hunc finem, nempe ut non solum facilius et efficacius indigni a beneficiis paroecialibus averterentur, sed praesertim ut *digniores* pro singulis paroeciis deputarentur.

2. Pius V Const. « *In conferendis* », 16 maii 1567, normas peculiares statuit de concursu, edicens, inter alia, nullas et irritas fore provisiones paroeciarum praeter et contra formam concursus, ad tram'tem Concilii Tridentini, factas.

Clemens XI per decretum S. C. Concilii, 10 ian. 1721, complura de concursu praefinivit.

Demum Benedictus XIV Const. « *Cum illud* » 14 dec. 1742, formam concursus accuratissime determinavit eamque ab omnibus servandam praescripsit. Haec sunt summa Constitutionis capita :

1° Concursus *publico edicto* indicendus est, designato celebrationis die, et omnes quorum interest invitandi sunt, iis tantum exceptis qui iure communi vel particulari inhabiles cognoscuntur ad paroeciam obtinendam. Episcopus, etiam publicato edicto, potest clericos vocare, qui una cum sponte se offerentibus examen subeant.

2° Concurrentes interea *documenta* suarum qualitatum, munerum etc. Curiae episcopali exhibere debent; elapso termino praefinito non amplius illa recipiuntur.

3° Quae documenta cancellarius *summatim* exhibeat Ordinario et singulis examinatoribus.

4° Statuta die, omnes concurrentes in conclavi

(5) Sess. XXIV, cap. 18 de ref.

clauduntur, unde nemo eorum egredi, neque alius quispam eo ingredi possit. Singulis *eaedem* quaestiones, *iidem* casus, *idem* textus pro sermone proponuntur, et ab omnibus eodem tempore responsio *in scriptis* danda est.

5° Deinde *examinatores,* saltem tres, iudicium ferre debent non solum de doctrina concurrentium, sed etiam de omnibus aliis qualitatibus quae ad munus paroeciale requiruntur, ac proinde indignos reiicere et *idoneos* renuntiare tenentur.

6° *Episcopus* autem *libere* eligit quem ex idoneis repertis digniorem existimaverit.

7° Tum a mala relatione examinatorum tum ab irrationabili iudicio Episcopi datur *recursus* intra decem dies, sed in *devolutivo* tantum. Discussio apud Superiorem tota versari debet circa acta peracti concursus, adeo ut nec novum examen sit peragendum nec nova documenta admittenda.

500. 3. Forma concursus est duplex : *generalis* et *specialis*. Concursus *specialis* indicitur pro *singulis* paroeciis *actu vacantibus*. Is est quem induxit Tridentina Synodus (6), quem accuratius determinarunt Romani Pontifices, praesertim Benedictus XIV Const. « *Cum illud* », 14 dec. 1742.

4. Concursus *generalis* duplici modo habetur.

1° Semel aut bis in anno indicitur concursus seu examen, ad quos omnes accedere possunt, qui munus paroeciale exoptent. In hoc de *doctrina* tantum inquiritur; qui probati fuerint, ad omnes *vacantes* vel *vacaturas* paroecias adspirare valent. Cum vero de *unaquaque* paroecia conferenda agitur, iterum examinatores convocantur ut perpendant omnes alias qualitates et renuntient quos ad *illam determinatam paroeciam* idoneos existiment. Haec forma viget in pluribus dioecesibus Austriae et Germaniae (7).

(6) Sess. XXIV, cap. 18 de ref.
(7) Laurentius, n. 252; Aichner, n. 302.

2° Alicubi statuto tempore examen instituitur tum circa scientiam, tum circa ceteras qualitates, in ordine ad paroecias *vacaturas* (8).

3° Alibi concursus indicitur pro pluribus paroeciis *vacantibus* et inter idoneos renuntiatos Episcopus singulos ad singulas paroecias eligit. Haec forma viget in provincia Veneta et Mediolanensi (9).

551. 5. Multiplici ratione ferre possunt examinatores suffragium de idoneitate concurrentium. Interdum dant *unicum* suffragium *cumulativum* de scientia ceterisque qualitatibus, interdum *plura* suffragia *distincta*, aliud quidem circa scientiam, aliud circa pietatem, zelum animarum, prudentiam, etc. Aliquando de *singulis* quaestionibus et casibus propositis ac de sermone, itemque de *singulis* qualitatibus et meritis candidatorum, datur *distinctum* suffragium, adeo ut scrutinia *partialia* sint complura. Quae praxis non improbatur, dummodo in fine *cumulativum* detur suffragium de doctrina aliisque omnibus qualitatibus, ex quo unice pendet iudicium de idoneitate concurrentium necne (10).

6. Eximuntur a lege concursus paroeciae : 1° amovibiles; 2° pleno iure incorporatae alicui personae morali; 3° iuris patronatus laicalis vel mixti (11); 4° religiosis concreditae; 5° quae valde exiguos habent reditus; 6° quae a nullo expetuntur, post alterum experimentum (12); 7° illae in quibus, indicto concursu, factiones, rixae, tumultus oriantur; tunc proceditur perinde ac si concursus indictus non fuisset; 8° quo-

(8) Cfr. Instr. S. C. de Prop. Fide, 10 oct. 1884.

(9) Cfr. S. C. C. 17 dec. 1904; 27 ian. 1912; *A. A. S.*, II, 324; IV, 296 ss.

(10) S. C. C. 17 dec. 1904; 27 ian. 1912.

(11) Iure particulari, praesertim ex consuetudine aut lege fundationis, paroeciae iuris patronatus laicalis vel mixti possunt esse obnoxiae concursui. Quod ius profecto sustinetur. S. C. C. 14 febr. 1920; *A. A. S.*, XII, 163.

(12) S. C. C. 17 iun. 1916; *A. A. S.*, XIII, 271.

ties parochus remotus a paroecia, ad tramitem can. 2154 et 2161, transfertur ad aliam paroeciam; item quoties ex officio transfertur, ad normam can. 2162-2167, cum in hisce casibus parochus examini subiiciendus non sit (13).

502. Possessio canonica eiusque effectus iuridici. — 1. Parochus debet paroeciae possessionem capere ad normam iuris, non propria auctoritate, seu in eiusdem possessionem immittendus est a legitimo Superiore ecclesiastico (can. 1443, § 1).

2. Iste Superior legitimus est *Ordinarius loci*, qui alium ecclesiasticum virum ad id delegare valet (can. 1443, § 2), ex. gr. vicarium foraneum aut parochum viciniorem. Nomine *Ordinarii loci* non venit Vicarius generalis, nisi habeat mandatum speciale ad normam can. 1432, § 2.

Missio in possessionem seu institutio corporalis potestne spectare ad aliam personam ecclesiasticam, potius quam ad loci Ordinarium? Ex lege fundationis et apostolico privilegio potest procul dubio competere peculiari personae sive physicae sive morali, ut olim in nonnullis dioecesibus venetae ditionis. Num etiam ex consuetudine? Applicandum praescriptum can. 5.

3. Possessio capienda est *legitime*, i. e. secundum modum *vel* iure peculiari scripto *vel* iure consuetudinario praefinitum. Ordinarius autem, iusta de causa, potest dispensare ab huiusmodi modo seu ritu; quo in casu haec dispensatio captae possessionis locum tenet (can. 1444, § 1). Iusta causa esset v. g. vetitum auctoritatis civilis, tumultus plebis, etc.

4. Ordinarius debet praefinire tempus intra quod parochus canonicam beneficii possessionem capere teneatur; quo inutiliter praeterlapso, nisi obstiterit

(13) Pontif. Comm. Codicis, 24 nov. 1920, ad 1, 2 et 3; S. C. C. 21 iun. 1919; *A. A. S.*, XI, 318; XII, 574.

iustum impedimentum, debet declarare, ad normam can. 188, 2°, beneficium iam vacare (can. 1444, § 2).

5. Parochus vel ante possessionem vel in actu eiusdem tenetur fidei professionem emittere coram loci Ordinario eiusve delegato (can. 461, 1406, § 1, 7°).

6. Contra parochum, qui fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligit, poenae statuuntur: scil. imprimis parochus moneri debet, congruo termino praefinito; quo transacto, qua contumax, etiam per privationem paroeciae puniendus est; nec interim fructus facit suos (can. 2403).

7. Una cum fidei professione parochus, ut ceteri qui ad illam tenentur, praestare debet etiam *iuramentum antimodernisticum* a Pio X praescriptum (14).

8. Documenta fidei professionis emissae et praestiti iuramenti in archivo Curiae episcopalis asservanda sunt.

9. Possessio capi potest etiam per procuratorem *speciale* mandatum habentem (can. 1445). At obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit, qui eam per procuratorem aut coram laico emittit (can. 1407).

10. Parochus a *momento* captae possessionis obtinet curam animarum (can. 461), seu *validum* exercitium iurium paroecialium. *Momentum* non moraliter, ut palam est, sed mathematice sumitur, adeo ut actus a parocho immediate ante captam possessionem, ex. gr. adsistentia matrimonio, per se nullus et irritus sit.

Praeterea a capta possessione *a*) parochus habet ius percipiendi reditus beneficii paroecialis; *b*) vacat aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile, ex. gr. paroecia prius possessa (cfr. can. 188,

(14) Pius X, Motu propr. « *Sacrorum Antistitum* », 1 sept. 1910; S. Off. 22 mart. 1918; *A. A. S.*, II, 669; X, 136.

3°); c) incipit triennalis praescriptio de qua in canone 1446.

II. Si possessio *illegitime* capta fuisset, *per se* nulla et irrita foret ideoque actus a parocho positi invalidi essent. Practice tamen eorundem validitas sustineri posset ob errorem communem, seu ex praescripto can. 209 (cfr. n. 265 ss.).

Articulus IV.

De parochi iurisdictione.

503. Duplex potestas competit parocho. — I. Alia potestas est *connaturalis* ipsi muneri paroeciali, adeo ut verum et proprie dictum parochi officium absque illa concipi nequeat. Talis est *iurisdictio fori interni*, potestas *disciplinaris* et *administrativa*, qua parochus veluti paterfamilias, subditis suis invigilat, paroeciam sibi commissam rite administrat quoad spiritualia ac temporalia, consilia et praecepta dat, morum disciplinam urget, devios corrigit, miseros sublevat, Christi doctrinam edocet, familiarum pacem fovet, bonum ordinem tuetur (cfr. n. 490).

Haec potestas ex ipsa *natura* muneris paroecialis, posita eiusdem existentia, sponte et necessario profluit.

Alia, contra, potestas, scil. dispensandi super impedimentis matrimonialibus, super observantia festorum, super lege ieiunii et abstinentiae vel utriusque, non est connaturalis ipsi muneri paroeciali, sed accessoria, cum ex benigna legislatoris concessione, non vero ex ipsa natura officii, procedat. Sane ante Codicem huiusmodi potestas de iure communi nullatenus parocho competebat.

504. Indoles et extensio potestatis paroecialis. — I. Parochi potestas est *ordinaria* et *pro-*

pria, cum ipso iure sit adnexa officio eamque nomine proprio, non autem Episcopi aliusve, ille qua verus pastor exerceat. Unde eo ipso quod quis parochus constituitur, nulla indiget delegatione aut limitum suae potestatis determinatione: ex ipso enim iure communi directe et immediate obtinet potestatem, expresse quidem ac perspicue praefinitam.

2. Parochus non potest ferre leges aut praecepta generalia vel censuras; nec valet dispensare a votis vel iuramentis, super legibus pontificiis vel provincialibus aut synodalibus, ne in casu quidem particulari, nisi expressa facultas ei concessa fuerit. Non potest sibi reservare casus (1); nec facultatem audiendi confessiones subditorum suorum aliis presbyteris tribuere valet (2).

3. In iis quae ad curam animarum pertinent nemo iure se immiscere valet absque parochi consensu, nisi intervenerit auctoritas legitimi Superioris, i. e. vel R. Pontificis vel Ordinarii loci. Hic tamen nec auferre nec imminuere valet potestatem iure communi officio paroeciali adnexam, nec sibi tot reservare casus ut fere inanis ea reddatur. Potest, contra, eam sive lege dioecesana sive particulari decreto, ex. gr. quoad absolutionem a reservatis, augere. Item potest, etiam parocho invito, ut supra dictum est, alteri sacerdoti committere aliquem actum exercendum, v. g. concedere facultatem baptizandi. adsistendi matrimonio, communionem publice deferendi, etc.

Si Episcopus sine ulla causa id ageret aut frequenter, delegatio esset forte illicita, sed valida.

4. Potestne Episcopus vetare ne parochus audiat confessiones vel matrimoniis adsistat aliaque munia

(1) Olim plures auctores docebant parocho competere huiusmodi facultatem casus reservandi. Cfr. Bened. XIV, *De Synod. dioec.*, lib. V, cap. 4, n. 2.

(2) Can. 874, § 1; Pontif. Comm. Cod. 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 477.

exerceat? Et si parochus, non obstante Episcopi prohibitione, confessiones exciperet et matrimoniis adsisteret, valide ageret necne?

Episcopus procul dubio potest iusta et gravi causa prohibere quominus parochus unum aut plures actus ministerii sui exerceat, sicuti eundem suspendere valet a divinis, ab officio, a beneficio etc. At confundenda non est simplex prohibitio cum poena proprie dicta seu medicinali seu vindicativa. Si lata est simplex prohibitio, parochus valide agit; si lata est poena proprie dicta, v. g. suspensio, item valide agit, nisi intercesserit sententia condemnatoria vel declaratoria, quae hypothesis rarissime verificari potest, cum in casu ad parochi amotionem recurrendum foret.

505. Loca ubi parochi potestas exercetur. — 1. Parochus iurisdictionem exercet in *toto* suae paroeciae *territorio*, si agitur de paroecia territoriali. Quod principium tamen non impedit, quominus ordinariam potestatem exercere valeat etiam *extra territorium* erga proprios subditos. Unde *ubique terrarum* valide absolvit suos paroecianos eosque dispensat a lege ieiunii et abstinentiae etc. Dispensationem concedere potest etiam per epistolam; ex. gr. paroecianus, qui extra paroeciam versatur, recurrere valet ad parochum pro obtinenda dispensatione super lege ieiunii tempore quadragesimali, et parochus potest eandem per litteras concedere.

2. Si agitur de paroecia familiari vel personali (cfr. n. 488), potestas parochi respicit familiam vel personas *ubicumque* degant. Si paroecia sit constituta pro diversitate sermonis vel ritus, videndum utrum certis territorii limitibus, ut plerumque accidit, circumscribatur, necne. Si primum, parochus intra ambitum territorii, licet aliae adsint paroeciae, curam animarum gerere valet erga subditos suos, et ordinariam iurisdictionem exercere potest erga eosdem,

etiam extra territorium versantes; non posset tamen, in praefata hypothesi, extra limites territorii valide assistere matrimoniis subditorum. Si alterum, nulla datur limitatio, ita ut *ubique* omnimodam paroecialem potestatem exercere valeat parochus erga subditos suos.

3. Parochus in ecclesias vel oratoria *exempta* nullum habet ius. Si non sint exempta, distinguendum inter ea quae dependent ab ecclesia paroeciali, et cetera. Praesumptio est in favorem parochi; proinde, stante dubio, res decidenda in eiusdem beneficium. Si ecclesiae vel oratoria sint adnexa ecclesiae paroeciali ex fundatione vel consuetudine aut decreto Episcopi vel S. Sedis, procul dubio iurisdictioni parochi subiiciuntur. Si non sint adnexa ecclesiae paroeciali, videndum utrum sint *separata omnino*, necne. Si omnino separata sint, quatenus peculiarem rectorem, bona propria et distinctam a paroeciali habeant administrationem, parocho non subsunt, nisi aliud constet ex consuetudine aut fundatione aut peculiari praescripto ecclesiasticae auctoritatis. Si non sint omnino separata, subsunt parocho. Qua in re attendendae sunt praesertim consuetudines et leges fundationis.

4. Eleemosynae et oblationes, quae pro huiusmodi ecclesiis vel oratoriis dantur, ad parochum nullatenus pertinent. Ipse tamen eas administrat, nisi ecclesia vel oratorium habeat propriam administrationem, a paroeciali distinctam, aut nisi aliud constet ex iure peculiari scripto vel consuetudinario (can. 1182, § 2).

5. Etiam domus religiosa vel pia exempta, v. g. Seminarium (cfr. can. 464, § 2, 1368), est in territorio paroeciae. Quare parochus valide ibi matrimoniis assistit.

6. De his qui subsunt iurisdictioni parochi vide n. 492 ss.

Articulus V.

De iuribus seu functionibus parochi.

506. Praemittenda. — 1. Alia iura sunt *spiritualia*, alia *temporalia*. Ea respiciunt sacramenta et sacramentalia ministranda, sacras functiones peragendas aliaque id genus; haec referuntur ad reditus beneficiales, ad iura stolae, ad oblationes fidelium.

2. Quaedam iura sunt *stricte paroecialia*, quatenus ita uni parocho competunt in tota sua paroecia, ut, salva auctoritate R. Pontificis vel Episcopi, nullus alius sacerdos possit ea exercere nisi de consensu seu licentia parochi (cfr. n. **507**).

3. Habentur quaedam iura, quae sunt quidem paroecialia, at non exclusive; ea nempe iura seu munia sacra quae possunt exerceri a parocho, sed non ab eo tantum, verum etiam ab aliis presbyteris. Huiusmodi est v. g. praedicatio, benedictio palmarum et candelarum, sollemnis distributio Communionis, etc.

4. Parochus, generatim loquendo, iura habet in *paroecianos* tantum (cfr. n. **492**). Sed quaedam iura ipsi competunt etiam in *non paroecianos*, qui in sua paroecia vel fortuito vel ad brevissimum tempus degunt, ita ut hi nonnisi a parocho possint licite recipere v. g. extremam unctionem et S. Viaticum. Praeterea parochus valide assistit intra limites paroeciae matrimoniis etiam non suorum paroecianorum.

5. Ubi agitur de iuribus paroecialibus, praesumptio stat semper in favorem parochi, et quaevis eorundem restrictio odiosa censetur, cui ius commune resistit.

6. Iura spiritualia, quae parocho competunt, officia quoque sunt in bonum fidelium exercenda.

7. Quidam distinguunt inter *iura* paroecialia et *functiones* paroeciales. Ea vocant, quae utilitatem, honorem, praeeminentiam afferunt; has dicunt, quae

a parochis eorumve delegatis peragi possunt. Quaestio de verbis, potius quam de re vertitur.

507. Functiones peculiares parocho reservatae, seu iura stricte paroecialia. — 1. Recensentur in can. 462, qui eadem non absolute omnino parocho privative tribuit, sed cum aliqua restrictione, scil. « *nisi aliud iure caveatur* ».

2. Hoc ius peculiare est lex fundationis, privilegium apostolicum, legitima consuetudo, lex dioecesana seu statutum Episcopi, conventio inter parochos inita et a loci Ordinario approbata, praescriptio debitis conditionibus vestita.

3. Unde functiones in can. 462 recensitae eatenus *exclusive* sunt reservatae parocho, quatenus non obstet ius peculiare, nempe unus aliusve ex memoratis titulis. At onus probandi non parocho, sed aliis incumbit, qui et existentiam et legitimitatem tituli certis argumentis evincere tenentur. Siquidem ius commune parocho favet.

508. Huiusmodi functiones seu iura stricte paroecialia sunt :

I. « *Baptismum conferre sollemniter* » (can. 462, 1°).

1° Tunc baptismus dicitur *sollemnis*, cum ministratur servatis *omnibus* ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris *praecipiuntur*; secus, *non sollemnis* seu *privatus* vocatur (can. 737, § 2). Si unus vel alter ritus aut caeremonia desit, baptismus manet sollemnis; item si unus aliusve ritus ponatur, non ideo cessat esse privatus (1).

2° Parochus imprimis habet ius baptizandi *paroecianos suos*, eos nempe qui domicilium vel quasi-domicilium possident in eius paroecia vel, si agitur de vagis aut de iis qui nonnisi domicilium vel quasi-do-

(1) Cfr. Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, I, n. 144, 7°, ed. 2ª.

micilium *dioecesanum* habent, actu commorantur in paroecia (can. 94).

3° Quoad *peregrinos* ita distinguendum : si *facile* et *sine mora* possunt a parocho *proprio* in *sua paroecia* sollemniter baptizari, ab eo baptizandi sunt, non autem a parocho loci; secus *quilibet* parochus, etiam arbitrio parentum infantis baptizandi electus, in *suo territorio* potest illum sollemniter baptizare (can. 738, § 2).

Lex igitur, quae decernit baptismum *peregrinorum* ad proprium parochum spectare, non obligat si obstet *aliquod incommodum* aut si baptismus *sine mora*, i. e. *quamprimum* conferri non possit. Proinde, practice loquendo, baptizari potest a parocho loci : *a*) infans qui accidentaliter in paroecia nascitur, si vel locorum distantia vel infirma valetudo vel viarum asperitas vetent, quominus ad paroeciam parentum transferatur; *b*) filius mulieris ex crimine praegnantis, quae extra paroeciam peperit, ut infamiam vitaret suoque honori consuleret; *c*) proles cuius baptismus ultra tres vel quatuor dies esset differendus, si a proprio parocho baptizanda foret.

Hinc sequitur , in paroecia *aliena* parocho minime licere suis *paroecianis* baptismum sollemnem conferre, sine debita parochi vel Ordinarii loci licentia (can. 739).

4° Eatenus collatio sollemnis baptismi parocho reservatur, quatenus vel parochus ipse vel alius sacerdos de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia illum conferre valet; quae licentia in casu necessitatis legitime praesumitur (can. 738, § 1).

5° Baptismus *non sollemnis* ideo parocho privative non reservatur, quia confertur in periculo mortis, i. e. in casu urgentis necessitatis (can. 759, § 1). Tunc ad vitandas anxietates simulque ad consulendum bono spirituali pueruli in mortis periculo constituti amplissima tribuitur facultas, adeo ut in huiusmodi cir-

cumstantiis quilibet homo rationis compos, sive vir sive mulier, sive catholicus sive acatholicus, sive baptizatus sive non baptizatus, et *valide* et *licite*, servatis servandis, baptizare valeat (cfr. can. 742, § 1) (2).

6° Baptismus sollemnis adultorum reservatur quidem parocho, at non ita stricte ac baptismus puerorum, cum ex praescripto can. 744 sit deferendus ad loci Ordinarium, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato *sollemnius* conferatur (3).

7° Graviter *per se* peccat sacerdos qui, extra casum necessitatis, infantem sollemniter baptizat absque parochi vel Ordinarii loci licentia : laedit enim ius alienum.

8° Baptismus, qui *privatim* sub conditione repetendus sit, non reservatur parocho.

9° Suppletio caeremoniarum post baptismum, in necessitate, sine caeremoniis collatum, pertinetne privative ad parochum? Controvertitur (4). Verius ita distinguendum : si caeremoniae suppleantur ad fontem baptismalem ecclesiae *paroecialis*, functio peragenda est a parocho vel a sacerdote de eius licentia; si suppleantur alibi (cfr. can. 773, 774, § 2), non videtur huiusmodi suppletio spectare exclusivo iure ad parochum.

10° Ad loca quod attinet missionum, ubi paroeciae vel quasi-paroeciae nondum constitutae sunt, ex statutis peculiaribus Ordinarii vel S. Sedis atque ex receptis consuetudinibus eruendum est, cuinam sacerdoti, praeter Ordinarium, in universo territorio vel in eius parte ius baptizandi competat (cfr. can. 740).

509. II. « *Sanctissimam Eucharistiam publice ad infirmos in propria paroecia deferre* » (can. 462, 2°) (5).

(2) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 146 s.
(3) Cfr. *Rit. Rom.*, tit. II, cap. 3, n. 2.
(4) Vermeersch-Creusen (*Epitome*, II, n. 23) et alii affirmant.
(5) Olim paroeciani *communionem paschalem* in propria ecclesia paroeciali recipere debebant; alibi sumentes, absque li-

1° Dicitur *publica* delatio ea quae fit manifeste et honorifice per viam publicam; *privata* quae fit vel occulte per viam publicam vel manifeste et honorifice sed in ipsa domo ubi asservatur SS. Sacramentum.

2° Sacra communio *publice* deferenda est ad infirmos, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat. Ius autem et officium sacram communionem *publice* ad infirmos *etiam non paroecianos* deferendi *extra ecclesiam*, pertinet ad parochum *intra suum territorium* (can. 847, 848, § 1).

Ceteri sacerdotes id possunt tantum in casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii (can. 848, § 2). Huiusmodi necessitas haberetur non solum in periculo mortis, sed etiam si parochus abesset v. g. tempore communionis paschalis aut iubilaei aut per aliquot dies et durum foret infirmo divinis epulis privari.

3° Ius et officium parocho non competit erga legitime *exemptos*, qui in propria domo sacram communionem recipiant: talis enim delatio non est publica.

4° Quilibet sacerdos *privatim* deferre potest communionem ad infirmos, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui commissa est custodia SS. Sacramenti (can. 849, § 1), dummodo adsit iusta et rationabilis causa quae *privatam* Eucharistiae delationem licitam reddat. Huiusmodi causa est v. g. periculum publicae irreverentiae, reluctantia familiae aut infirmi, etc. Aestimatio iustae et rationabilis causae non reserva-

centia parochi vel Ordinarii, praecepto paschali non satisfaciebant. Iure novo fidelibus licet *in qualibet ecclesia* et *quolibet oratorio* et *quovis ritu* communionem paschalem recipere. Attamen « suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena ecclesia satisfecerint, *curent* proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere » (can. 859, § 3).

Vox « *curent* » non est intelligenda de stricta obligatione monendi parochum sub poena peccati. Cfr. Cappello, I, n. 475.

tur tantum Ordinario vel parocho, sed etiam confessario aliive sacerdoti ad Eucharistiam deferendam idoneo. Ordinario ius et officium competit curandi ne abusus in hac re irrepant; at nullatenus praecipere potest ut sacerdos nonnisi de eius licentia privatim Eucharistiam ad infirmos deferre valeat.

In hunc sensum accipienda est declaratio S. C. de Sacramentis diei 5 ian. 1928 (6), quia S. Congregatio non potest auferre facultatem concessam a can. 849, § 1, nec restrictivam interpretationem dare, cum legifera auctoritate careat.

5° De prima puerorum communione infra erit sermo (n. 520).

510. III. « *Sanctissimam Eucharistiam publice aut privatim tanquam Viaticum ad infirmos deferre...* salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, 848, § 2, 938, § 2 » (can. 462, 3°).

1° Ad parochum, intra suum territorium, pertinet deferre sacram communionem *per modum Viatici* sive *publice* sive *privatim* ad infirmos etiam non paroecianos (cfr. can. 462, 3°, 848, 850).

2° Longe probabilius agitur de Viatico stricte dicto (prima vice, non aliis successivis), seu de communione quae in gravi mortis periculo facienda est de *praecepto* divino et ecclesiastico, non autem de communione quae, perdurante periculo mortis, pluries *ex devotione* ministratur infirmo etiam non ieiuno. Quapropter cuilibet sacerdoti licet, servatis servandis, privatim deferre communionem ad infirmum non ieiunum, postquam parochus Eucharistiam per modum Viatici eidem ministraverit (7).

3° Ceteri sacerdotes Viaticum sive publice sive privatim deferre possunt *in casu necessitatis* aut *de licentia saltem praesumpta* parochi vel Ordinarii (can. 848, § 2, 850).

(6) *A. A. S.*, XX, 81.
(7) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 325.

Adest *casus necessitatis* quando parochus v. g. est absens vel opportuno tempore nequit advenire vel saltem timetur ipsum tempestive accedere non posse. *Licentia praesumpta* ea est, quam parochus certe concederet aut concedere deberet, si forte interrogaretur. Dato et non concesso quod parochus irrationabiliter licentiam denegaret, tunc legitime praesumenda foret venia Ordinarii.

4° A iure parochi *eximuntur*: *a*) *Episcopus* graviter decumbens, cui sacramenta ministrantur a dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis secundum ordinem praecedentiae (can. 397, 3°); *b*) *professi, novitii* et alii qui ratione famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis diu noctuque degunt in domo religionis clericalis: his Viaticum ministrat per se vel per alium Superior domus (can. 514, § 1); *c*) *moniales* earumque familiares, quae hoc sacramentum recipiunt ab ordinario confessario vel ab eo qui eius vices gerit (can. 514, § 2); *d*) *sodales religionis laicalis* et *piae domus* Viaticum a cappellano accipiunt, quem Ordinarius ad normam can. 464, § 2 parocho suffecerit, quique proinde religiosae familiae aut piae domus curam spiritualem, loco parochi, gerat (cfr. can. 514, § 3); *e*) *omnes qui in Seminario* degunt (alumni, magistri, familiares) communionem per modum Viatici recipiunt a rectore Seminarii eiusve delegato (can. 1368).

Alicubi ex iure *particulari* alumni qui diu noctuque habitant in collegio Viaticum seu ultima sacramenta recipiunt a Superiore domus vel a cappellano collegii; item canonici aliique capitulares ea sacramenta suscipiunt a prima (vel, ea deficiente, a secunda aut tertia, etc. secundum ordinem praecedentiae) dignitate Capituli; pariter vicarii foranei possunt ultima sacramenta ministrare parochis aliisque sacerdotibus sui districtus. Attendendum igitur ius *particu-*

lare in nonnullis dioecesibus ex legitima consuetudine aut lege synodali inductum (8).

511. IV. « *In periculo mortis constitutos extrema unctione roborare,* salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, 848, § 2, 938, § 2 » (can. 462, 3°).

1° Quilibet sacerdos potest *valide* sacramentum extremae unctionis ministrare (can. 938, § 1); *ordinarius* tamen eiusdem minister est solus *parochus* loci, ubi degit infirmus in periculo mortis constitutus.

2° Alii sacerdotes extremam unctionem *licite* ministrare possunt tantum in casu necessitatis vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta parochi vel Ordinarii loci (can. 938, § 2).

3° Excipiuntur ab hoc exclusivo iure paroeciali ii quos supra memoravimus (n. **510**, 4°).

4° Abrogata est excommunicatio S. Sedi simpliciter reservata, qua olim (9) plectebantur religiosi sacramentum extremae unctionis ministrantes, extra casum necessitatis, absque parochi licentia.

512. V. « *Sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare* » (can. 462, 4°).

1° Ad parochum iure proprio pertinet nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, publice in *paroeciali* ecclesia cuiusque candidati denuntiare (can. 998; cfr. n. 852).

Cum sacrae ordinationes denuntiandae sint in ecclesia *paroeciali,* hinc patet cur parocho ius competat illas peragendi aut per se aut per alium.

Si Episcopus praecipiat, ad normam can. 998, § 1, ut nomina promovendorum ad sacros ordines denun-

(8) Olim regulares (Const. « *Apostolicae Sedis* », tit. II, n. 14) plectebantur excommunicatione latae sententiae R. Pontifici reservata, S. Viaticum extra casum necessitatis administrantes absque parochi licentia. Haec censura hodie sublata est.

(9) Cfr. Const. « *Apostolicae Sedis* », tit. II, n. 14.

tientur « *in aliis quoque ecclesiis* », integrum manet ius parochi quoad ecclesiam *propriam,* non autem quoad ceteras ecclesias quae eiusdem auctoritati obnoxiae non sint.

2° Parochus proprius nupturientium publice in ecclesia denuntiare debet matrimonia contrahenda (can. 1022 ss.). Hinc ius, quod officium eodem tempore constituit, parocho incumbens.

3° Ex iure denuntiandi sacras ordinationes et nuptias ineundas aliud sponte ac necessario oritur parochi ius et officium nimirum accipiendi revelationes impedimentorum ex parte fidelium (cfr. can. 999 et 1027) easque Ordinario significandi.

4° Laesio iuris paroecialis in casibus praedictis levis est, ideoque quaelibet causa rationabilis excusat et facilius admittenda licentia praesumpta.

513. VI. « *Matrimoniis assistere, nuptialem benedictionem impertiri* » (can. 462, 4°).

1° Ad *validitatem* matrimonii requiritur ut celebretur coram *parocho* vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, servatis de iure servandis et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099 (can. 1094) (10).

2° Parochus *valide* matrimonio assistit: *a*) a die adeptae possessionis canonicae paroecialis beneficii (cfr. n. **502**), vel initi officii, ex. gr. si agitur de vicario oeconomo vel substituto, nisi per sententiam fuerit excommunicatus vel interdictus aut suspensus ab officio aut talis declaratus; *b*) intra fines suae paroeciae, non extra; *c*) dummodo neque vi neque metu gravi coactus requirat et excipiat consensum nupturientium (can. 1095, § 1).

3° Parochus intra fines sui territorii valide assistit matrimoniis non solum *subditorum* suorum, verum

(10) Cfr. Cappello, *De matrimonio,* nn. 649, 669 ss.

etiam *non subditorum*; extra fines paroeciae nec subditorum nec aliorum.

4° Assistit *licite* matrimoniis parochus; *a*) si legitime constet sibi de libero statu contrahentium; *b*) si constet praeterea de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, de actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii; *c*) si, deficientibus hisce conditionibus, habeat licentiam parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi agatur de vagis actu itinerantibus vel gravis necessitas intercedat quae excuset a licentia petenda (can. 1097, § 1).

5° Parochus qui *valide* assistere potest matrimoniis, potest quoque alii sacerdoti licentiam dare ut *intra fines suae paroeciae* matrimoniis assistat, sive subditorum sive etiam non subditorum.

Huiusmodi *licentia* non est vera et proprie dicta delegatio, cum assistentia matrimonio non sit actus iurisdictionis. Quare parochus assistens matrimoniis actum ordinis administrativi exercet, non actum iurisdictionalem : fungitur enim munere personae *publicae* seu *testis auctorizabilis*, ut aiunt. Quae tamen dicuntur de iurisdictione suppleta ob errorem communem aut dubium positivum (cfr. n. 265), applicantur etiam huiusmodi assistentiae.

6° Regula est ut matrimonium celebretur, ad *liceitatem* quod attinet, coram parocho *sponsae*, nisi iusta causa excuset, quaecumque ea sit (11); matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud iure particulari cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda (can. 1097, § 2) (12).

(11) Cfr. Cappello, *De matrimonio*, n. 688.

(12) Verba « *nisi aliud particulari iure cautum sit* » referuntur ad Graecos-italos, de quibus Bened. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* », 26 maii 1742, haec statuit : « Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter maritum vero graecum et mulierem latinam

7° Parochus, qui sine licentia de qua supra sub n. 4°, c) assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque *proprio* contrahentium parocho remittere debet (can. 1097, § 3) (13).

8° Benedictio nuptialis, ut patet, necessario connectitur cum ipsa matrimonii celebratione (licet altera ab altera separabilis sit); ideoque si parocho competit ius assistendi matrimoniis, competit quoque ius benedictionem nuptialem impertiendi, et quidem ius dandi praefatam benedictionem per se vel per alium illi tantum competit parocho qui *valide* et *licite* assistere potest matrimonio (cfr. can. 1101, § 2).

Sermo est de benedictione *sollemni*. Haec dari potest etiam postquam sponsi diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servatis legibus liturgicis et excepto tempore feriato, quod decurrit a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a Feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. Etiam praedicto tempore Ordinarius loci ex iusta causa permittere potest sollemnem benedictionem, salvis legibus liturgicis et monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant (can. 1101, § 1, 1108, §§ 2 et 3) (14).

Sollemnis benedictio respicit directe et immediate mulierem; proinde si haec illam semel acceperit, nequit in subsequentibus nuptiis iterum eam recipere (15). Aliter dicendum, si vir tantum sit viduus, aut si mulier vidua quidem sit, at in prioribus nuptiis sollemnem benedictionem non receperit.

potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino, ubicumque maritus graecus voluerit. Eius autem loci ac ritus parochus debet assistere, ubi et quo ritu matrimonium contrahitur » (§ VIII, n. 11 s.).

(13) Cfr. Cappello, *De matrimonio*, n. 689.

(14) Cfr. Cappello, op. cit., n. 726.

(15) Can. 1143; *Rit. Rom.*, tit. VII, cap. I, *De sacramento matrimonii*, n. 15.

9° Ius privativum parochi circa assistentiam matrimoniis et nuptialem benedictionem magni momenti est; idcirco eiusdem violatio per se gravis censetur.

514. VII. « *Iusta funebria persolvere ad normam can. 1216* » (can. 462, 5°).

Parocho competit ius peragendi exsequias suorum paroecianorum ad normam can. 1216 ss. Tota haec materia remittitur ad lib. III, tit. XII, *de sepultura ecclesiastica* (n. **705** ss.).

515. VIII. « *Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine* » (can. 462, 6°).

1° Sermo est de sollemni benedictione domorum, quae *occasione Paschatis* in omnibus paroeciis fieri solet. *Infra annum* quilibet sacerdos sive saecularis sive religiosus potest domibus privatim benedicere absque parochi licentia.

2° Attendendae sunt locorum consuetudines. Alicubi, v. g. in Belgio, benedictio domorum in Sabbato Sancto vel alia die in usu non est (16).

3° Circa ritum et formam huius benedictionis vide *Rit. Rom.*, tit. VIII, cap. 4.

4° Si occasione praefatae benedictionis fiant a fidelibus aliquae oblationes, videndum ex legitima locorum consuetudine aut statutis dioecesanis utrum habenda sint tanquam *iure stolae* necne. Si primum, competunt parocho, etsi benedictio de eiusdem licentia detur ab alio sacerdote, nisi parochus ea sponte remittat, salva offerentium voluntate; si alterum, competunt sacerdoti qui de parochi licentia benedicit.

516. IX. « *Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicere* » (can. 462, 7°).

1° Hoc fieri debet privative a parocho, aut a sacerdote de eiusdem licentia, dummodo agatur de ec-

(16) Cfr. De Meester, *Iuris canonici compendium*, n. 835.

clesia paroecialis. At si ecclesia paroecialis sit simul capitularis, et Capitulum functiones hebdomadae maioris peragat, benedictio fontis fieri debet a canonico, qui cetera officia Sabbati Sancti celebrat, cum ab his nequeat seiungi (17).

2° Nulla fit mentio a Codice de benedictione fontis baptismalis in pervigilio Pentecostes. Porro ex legibus liturgicis fons baptismalis benedicendus est tum in Sabbato Sancto tum in Sabbato Pentecostes (18). Sane S. R. C. pluries declaravit fontem benedicendum esse in utroque Sabbato, « *non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet* » (19). Quae liturgicae leges profecto omnem vim suam adhuc retinent ad normam can. 2.

Quibus praemissis, benedictio fontis baptismalis in vigilia Pentecostes estne parocho reservata? Procul dubio *affirmative* respondendum, ex principiis generalibus iuris (can. 2 et 6).

3° Quid vero de fontis baptismalis benedictione extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur? Haec benedictio reservatur ne parocho?

Si agatur de ecclesia paroeciali, licet capitularis sit, ius et officium benedicendi fontem baptismalem in casu est penes parochum. Nam *Rituale Rom.* (tit. II, cap. 1, n. 6) ait: « Si vero (aqua) corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, *parochus* in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque *benedicat* ex formula quae infra praescribitur » (20).

(17) S. R. C. *Syracusana*, 14 iun. 1845; *Ugentina*, 23 maii 1873, ad 1; *Decreta auth.*, nn. 2889, 3300.

(18) *Rit. Rom.*, tit. II, cap. 1, n. 4.

(19) S. R. C. *Lucana*, 12 april. 1755; *Urbevetana*, 7 dic. 1844; *Sancti Hippolyti*, 13 april. 1874; *Decreta auth.*, nn. 2436, 2878, 3331.

(20) Formula exhibetur in tit. II, cap. 7: « *Benedictio fontis baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur* ».

4° Benedictio fontis baptismalis in Sabbato Sancto et in vigilia Pentecostes fieri debet non solum in ecclesiis paroecialibus, sed etiam in aliis ecclesiis quae fontem legitime habent; nec sufficit aquam benedicere, usque ad oleorum infusionem, in ecclesia paroeciali tantum, et inde aquam deferre ad ceteras ecclesias; sed benedictio integra facienda est in singulis ecclesiis. Deficiente clero in ecclesiis filialibus, benedictio fontis nequit differri ad alium diem, sed in casu adhibendum est Memoriale Rituum Benedicti XIII. Si vero in una eademque paroecia plures ecclesiae cum fonte baptismali existant, parochus, qui ius habet peragendi benedictionem, debet alium sacerdotem delegare ad eam peragendam in Sabbato Sancto et in pervigilio Pentecostes (21).

Hodie, attento praescripto can. 774, § 2, facilius iste casus verificatur.

Si agitur de ecclesia exempta a iurisdictione parochi aut quomodocumque eiusdem auctoritati non obnoxia (cfr. can. 1341, § 2), benedictio fontis ad rectorem eiusdem, salvo privilegio aut peculiari iure, spectat.

517. X. « *Publicam processionem extra ecclesiam ducere* » (can. 462, 7°).

1° Triplex conditio requiritur: *a*) *processio* vera, quae non concipitur sine interventu fidelium et ductu sacerdotis; *b*) *extra ecclesiam,* i. e. extra ianuas eiusdem et locum circumseptum sive sacrarium; *c*) *publica,* i. e. quae palam ducatur in vias aut plateas publicas.

Ex responso Pontif. Comm. Codicis, 12 nov. 1922, verba « publicam processionem extra ecclesiam ducere » intelligenda sunt etiam de processione, quae initium ducit non ab ecclesia paroeciali, sed ab aliis

(21) Cfr. S. R. C. *Mantuana,* 1 mart. 1636; *Utinen.,* 13 ian. 1899, ad I, II, III et IV; *Decreta auth.,* nn. 630, 4005.

ecclesiis intra ambitum territorii paroeciae sitis, licet non sint ecclesiae filiales et proprium rectorem habeant (22).

Nihil interest, utrum processio sit *sollemnis*, nempe cum sonitu campanarum, cum vexillis, cantu atque magno populi et cleri interventu, necne; idcirco immerito confundunt quidam processionem publicam cum sollemni.

2° Parocho nonnisi intra limites suae paroeciae, ut palam est, ius competit quoad processiones.

3° Sodales religiosi *intra claustra* possunt processiones ducere, etiam sine licentia parochi vel Ordinarii; *extra ecclesias et claustra*, licet sint exempti, indigent licentia Ordinarii loci, excepta processione infra octavam Corporis Christi (can. 1293).

4° Infra hanc octavam, omnes religiosi possunt processiones ducere extra suas ecclesias et claustra ad normam can. 1291, § 2.

5° Iuri *privativo* parochi derogatum est quoad processionem in festo Corporis Christi; hac die, nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi iudicio, aliud exigant, unica tantum et sollemnis per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet *ab ecclesia digniore*. Parochus autem *intra octavam* propriam processionem agere valet (can. 1291).

6° Nequit parochus processiones *novas* inducere aut *consuetas* transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia (can. 1294, § 1). Igitur ius parochi circa processiones, illas tantum respicit, quae *ordinariae* sunt, utpote quae vel ex legitima consuetudine vel ex statutis dioecesanis vel ex praescripto Ecclesiae v. g. in festo S. Marci et diebus rogationum fieri debent.

7° Interdum etiam confraternitati, piae unioni etc. potest competere ius legitime quaesitum, v. g. ex pri-

(22) *A. A. S.*, XIV, 661.

vilegio, ducendi processiones independenter a parocho.

8° Si ecclesia paroecialis sit etiam capitularis, et Capitulum ipsum processionem peragat, cessat ius parochi.

518. XI. « *Benedictiones extra ecclesiam cum pompa et sollemnitate impertiri* » (can. 462, 7°).

1° Tres conditiones: *a) benedictio* proprie dicta, cuius nomine, ad mentem Angelici, venit « *oratio necessitate disponens ut id quod bonum alicui est, per alium ipsi fiat* » (23); agitur de benedictione *ecclesiastica*, quae fit a ministris Ecclesiae, non autem de benedictione *laicali*, quae peragitur a laicis, praesertim ab iis qui peculiarem habent titulum in personas aut rem benedicendam, ut parentes in filios eorumque bona; *b) extra ecclesiam*, ita ut non comprehendantur benedictiones *intra* ecclesiam impertitae, quae proinde ab aliis quoque sacerdotibus dari poterunt; *c) cum pompa et sollemnitate*, i. e. cum cantu et sonitu campanarum atque populi concursu; igitur si *privatim* tantum huiusmodi benedictiones impertiantur, parocho reservatae non sunt.

S. R. C. die 13 iun. 1893 declaravit simplicem sacerdotem, sive saecularem sive religiosum, posse rogatum campos, animalia et similia *privato ritu* benedicere (24); qui *ritus privatus*, in quantum opponitur sollemni, non excludit superpelliceum et stolam, sed tantum ministros, cantum, sonitum campanarum et populi concursum.

2° Eatenus parocho competit praefatum ius circa benedictiones, quatenus non agatur de iis quae sint aliis reservatae, v. g. Ordinario, alicui religioni, etc.

(23) Cfr. S. Th., in 4, D. 15, q. 4, art. 1, q. 1; Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 111.

(24) *Decreta auth.*, ad VI, n. 3801.

3° Cessat ius privativum parochi, si ecclesia paroecialis sit simul cathedralis vel collegiata, et Capitulum huiusmodi benedictiones impertiat.

4° Benedictio mulieris post partum, candelarum, cinerum et palmarum non est reservata parocho. Idem dicas de functionibus in hebdomada maiori, de Missis cantatis et sollemnibus, etc.

519. Alia iura non stricte paroecialia, quae tamen parocho competunt rationi officii. — 1. Sunt quaedam iura, quae non reservantur exclusive parocho, cum pertinere possint etiam ad alios, v. g. ad sodales religiosos; quae iura tamen *singulis sacerdotibus* nullatenus competunt, dum ad *parochum* spectant ratione *officii*, ita ut ipsi incumbant quoque qua *obligationes* proprie dictae.

2. Praecipua haec sunt:

1° *Praedicatio verbi Dei* vi canonicae missionis acceptae ipso paroeciali officio, quin peculiaris facultas aut licentia necessaria sit. Paroeciani olim tenebantur adire ecclesiam paroecialem ad verbum Dei audiendum (25); non ita hodie.

2° *Celebratio Missarum* non solum privatarum, sed etiam cum cantu et sollemnium per annum tam pro vivis quam pro defunctis, salvo praescripto can. 482. Fideles tamen diebus dominicis et festis de praecepto obligationi audiendi Sacrum satisfaciunt, etiamsi Missam audiant in aliis ecclesiis vel oratoriis publicis aut semi-publicis.

3° *Distributio sacrae communionis*, salva tamen fidelium libertate sacramentum Eucharistiae quolibet ritu confectum et ipsam communionem paschalem in aliis ecclesiis recipiendis ad normam can. 859, § 3 et 866.

(25) Cfr. Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 4 et 7; Bened. XIV, *De Synod. dioec.*, lib. XI, cap. 14, n. 13.

De iure parochi quoad primam puerorum communionem infra (n. 520).

4° *Administratio sacramenti poenitentiae.* Parochus *ordinaria* potestate gaudet ad excipiendas confessiones in suo territorio, vi officii paroecialis obtenti, quin peculiaris approbatio et facultas requiratur. Intra fines paroeciae, nunc *ex iure communi* (olim ex iure delegato aut consuetudinario), valide et licite absolvit etiam vagos et peregrinos ex alia paroecia aut dioecesi advenientes itemque catholicos cuiusque ritus orientalis (can. 881, § 1).

Suorum paroecianorum autem confessiones parochus valide excipit non solum intra ambitum paroeciae, sed ubique terrarum (can. 201, § 3,, 881, § 2).

Parochus ordinariam iurisdictionem, qua pollet, ad confessiones audiendas nequit aliis delegare, ut alibi dictum est (n. 504, 2).

In pluribus dioecesibus parochus habet ex statutis dioecesanis iurisdictionem pro universa dioecesi; alicubi solum pro vicariatu; alibi demum pro paroeciis conterminis.

Regulariter nullus sacerdos, etsi approbatus et iurisdictione praeditus, excipere potest confessiones in ecclesiis aut oratoriis publicis *absque parochi* vel *rectoris licentia*; et in litteris Ordinarii apponi solet clausula praedicta, nempe ut confessiones audiantur *praevia licentia parochi* seu *rectoris ecclesiae.* Haec clausula non est ad valorem, sed tantum ad liceitatem, quatenus rectus ordo exigit ut nullus actus potestatis ordinis vel iurisdictionis exerceatur inscio aut invito parocho aut rectore ecclesiae, cui immediate commissa est cura eiusdem ecclesiae. Ordinarius, et eo magis R. Pontifex, deputare potest sacerdotem, qui fidelium confessiones excipiat ceteraque munia sacra obeat in aliqua ecclesia paroeciali, parocho inscio aut invito.

Paroeciani etiam tempore paschali non amplius tenentur proprio parocho confiteri.

5° *Administratio bonorum temporalium paroeciae* ad parochum spectat, servatis servandis, nisi ex iure particulari aliis competat (cfr. can. 1182).

520. Num admissio puerorum ad primam communionem privative parocho competat. — 1. Imprimis distinguere oportet inter *iudicium* de puerorum dispositione et *ius* atque *officium* eos admittendi ad primam communionem. Quod plerique auctores non satis attendunt.

Iudicium de sufficienti puerorum dispositione ad Eucharistiam suscipiendam pertinet ad confessarium, ad parentes, ad eos qui vices parentum gerunt (can. 854, § 4). Ratio est, quia hi, prae aliis, cognoscere valent mentis discretionem pueri, num scil. sit compos sui necne, num cognitionem et gustum eucharistici sacramenti habeat an non (26).

Inde tamen non sequitur, iudicium spectare unice et exclusive ad confessarium, ad parentes eorumve locum tenentes. Alii quoque possunt optime diiudicare de sufficienti puerorum dispositione quoad Eucharistiam suscipiendam.

2. « *Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quam primum hoc divino cibo reficiantur* » (can. 854, § 5).

Ex hoc praescripto plura sequuntur :

1° Parochus non habet ius proprium et exclusivum admittendi pueros ad primam communionem.

2° Non potest parochus repellere a sacra Synaxi puerum, quem sufficienter dispositum existimaverint

(26) Cfr. Decr. « *Quam singulari* » S. C. de Sacramentis, 8 aug. 1910, n IV; *Catech. Rom., de Euch. sacram.*, n. 68.

parentes aut eorum vices gerentes vel, a fortiori, confessarius, nisi forte habeat fundata motiva (quod vix admitti seu supponi debet, ubi iudicium datum fuerit a confessario) de sufficienti dispositione.

3° Non requiritur consensus parochi, ut puer accedere possit ad Eucharistiam primo suscipiendam; practice expedit ut parochus moneatur.

4° Nequit parochus prohibere quominus pueri ad primam communionem admittantur in collegiis religiosorum aut in aliena paroecia.

5° Parocho officium incumbit advigilandi ne pueri sanctissimam Eucharistiam recipiant vel ante adeptum rationis usum vel sine sufficienti dispositione. Porro ex Decreto « *Quam singulari* » aetas discretionis ad S. Communionem « ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi praecepto Communionis ». Ad dispositionem quod attinet, distinguendum inter *periculum mortis* et *extra periculum mortis*.

Ex can. 854, ut sanctissima Eucharistia, *in periculo mortis*, ministrari possit ac debeat pueris, sufficit ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare; *extra periculum mortis*, requiritur plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio, ea scilicet, qua pueri fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant et devote pro suae aetatis conditione ad sacram Synaxim accedant.

6° Parochus potest, sed non tenetur, puerum ad examen subeundum adigere, ut cognoscat num sit assecutus usum rationis sitque sufficienter dispositus, necne. Nequit tamen primam communionem puerorum in sua paroecia faciendam conditioni praevii examinis *generaliter* subordinare. Nec potest puerum, qui reverenter accedit ad sanctam communionem, repellere, quia de eius aetate dubitat aut quia maiorem

ipse optaret doctrinae christianae cognitionem. Si positive dubitet de pueri dispositione, licet parocho eum suaviter interrogare et, si casus ferat, a sacra quoque mensa benigne amovere.

7° Itaque iudicium de puerorum dispositione, quod confessario et parentibus tribuitur, ita cum officio parochi componi debet: parentes et confessarii de *singulis* pueris iudicare possunt, nec tenentur parochum monere vel consultum adire; *generalis* vero inspectio seu vigilantia, quasi fori exterioris, parocho committitur. Igitur confundenda non est vigilantia *generalis* cum *speciali*, i. e. de hoc aut illo puero in hisce adiunctis. *Generalis* semper incumbit parocho; *specialis* tunc solum, quando suspicio aliqua seu dubium fundatum adsit (27).

8° Parochus gravi obligatione tenetur, curandi ut pueri usum rationis adepti et sufficienter dispositi *quamprimum* — scil. intra unum vel alterum mensem, generatim loquendo — sacram communionem suscipiant.

9° Parochus semel aut pluries in anno curare debet ut in paroecia habeatur communio generalis et sollemnis, ad quam non modo novensiles admittantur, sed etiam alii, qui confessarii vel parentum iudicio, iam antea ad sacram Synaxim accesserint.

At parochus prohibere nequit quominus et in aliis ecclesiis, ex. gr. collegiorum, fiant communiones sollemnes et generales.

10° Quidam olim docebant, ex lege dioecesana vel provinciali parocho competere posse ius *exclusivum* circa primam puerorum communionem in forma *privata* et a fortiori in forma *sollemni*. Attento praescripto can. 462 et 854, hodie negandum, quia Syno-

(27) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 530; Vermeersch-Creusen, II, n. 118; Ferreres, *Compendium theol. mor.*, II, n. 423, quaer. 9.

dus dioecesana vel Concilium provinciale aut plenarium nequit iure pontificio seu Codicis — qui nullatenus distinguit inter unam et aliam formam — derogare. Nec potest *privative* reservari parocho iudicium de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem (28).

Articulus VI.

De iure parochi ad legitima emolumenta.

521. Ius in genere. — 1. Parocho competit profecto ius ad *congruam sustentationem*, sive ex beneficio aut pensione a gubernio soluta sive ex oblationibus et decimis fidelium pro diversitate locorum suppeditandam.

2. Peculiare ius habet parochus ad emolumenta quae *iura stolae* vocantur, quae a fidelibus solvuntur occasione sacrarum functionum, administrationis sacramentorum et sacramentalium.

3. Emolumenta, quae parocho obveniunt, sunt *debita* vel *libera*. Dicuntur *debita* si ex probata consuetudine aut legitima taxatione solvenda sint, adeo ut parochus *ius habeat illas exigendi*, ex. gr. pro assistentia matrimoniis, pro exsequiis etc.; haec proinde strictam obligationem solvendi ex parte fidelium inducunt. Unde can. 2349 statuit: « Recusantes praestationes *legitime* debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint ». Igitur *delictum* committunt fideles, qui *legitimas* praestationes solvere recusant.

Porro ea sunt emolumenta *legitima* in specie et quantitate, quae ex *probata consuetudine* aut *taxatione facta a competente auctoritate ecclesiastica* exiguntur et debentur. Praefinire taxas pro variis actibus

(28) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 531 s.

iurisdictionis voluntariae et occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium, in tota provincia ecclesiastica solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi pollet huiusmodi taxatio, nisi prius a S. Sede approbata fuerit, nempe a S. C. Concilii vel a S. C. de Prop. Fide pro diversitate regionum (can. 736, 1507, § 1).

Praeterea Ordinarii loci est, de consilio Capituli cathedralis, conficere pro suo territorio *indicem taxarum funeralium* (can. 1234, § 1).

4. Emolumenta *libera* sunt oblationes quae a fidelibus sponte et libere, sive ad altare sive extra, citra ullam obligationem in specie vel quantitate, religionis causa offeruntur.

5. Proprie loquendo, nomine *iurium stolae* emolumenta dumtaxat *debita* veniunt. Utrum haec pertineant ad dotem beneficii paroecialis necne, ad normam can. 1400, ex lege fundationis, statutis dioecesanis et praescripto Episcopi pendet.

522. Ius parochi in specie. — 1. Parochus habet ius ad praestationes, quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio iuxta superius dicta (can. 463, § 1).

2. Nequit *exigere* aut *petere potiores*, seu ultra quantitatem legitime praefinitam; ita quidem ut si ultra exigat vel petat, teneatur eas restituere, cum careat titulo illas sibi retinendi.

Si parochus taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augeat aut ultra eas aliquid exigat, gravi mulcta pecuniaria coercendus est; recidivus ab officio suspendendus vel removendus pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperit (can. 2408).

3. Praestationes solvuntur parocho *ratione muneris;* quare ipsi cedunt, licet ministerium, cuius occasione dantur, expletum fuerit ab alio sacerdote, nisi

quoad partem, quae taxam superet, *certo* constet de contraria offerentis voluntate, v. g. ratione amicitiae, consanguinitatis etc.

4. Parocho gravis obligatio incumbit gratuitum ministerium praestandi iis qui solvendo pares non sunt (can. 463, § 4). Agitur sane de obligatione quae ipsi officio paroeciali inhaeret.

5. Quoad *cetera emolumenta*, haec animadvertenda :

1° Parochus habet in iure fundatam intentionem quoad omnes oblationes quae fiunt intra limites suae paroeciae, nisi ex consuetudine, intentione offerentium, expressa iuris dispositione aliove titulo exceptio probetur. Unde *per se* ad parochum spectant oblationes quae intra Missam aliasque sacras functiones fiunt in ecclesia paroeciali aut in ecclesia filiali, quae nempe auctoritati parochi subest, sive ipse celebret sive alius sacerdos.

2° Nullum parocho competit ius percipiendi oblationes, quae fiunt in ecclesiis religiosorum, confraternitatum et in iis quae ab ecclesia paroeciali sunt independentes (cfr. can. 485, 691, § 2, 1182, § 2). Idem dicendum de oblationibus quae ad *peculiarem* finem *praefinitum* colliguntur, ex. gr. in favorem pauperum, ecclesiae, pii operis etc., vel quae fiunt ad pedem statuae aut imaginis alicuius Sancti, vel in capsis ad *certum* usum expositis. In hisce casibus contraria offerentium voluntas manifesta est.

523. Iura honorifica. — 1. Peculiaria honoris insignia aut privilegia de iure *communi* parochis non competunt. Nec Episcopus potest huiusmodi insignia aut privilegia proprie dicta concedere. Legitima tamen consuetudine possunt alicubi introduci, et a fortiori ex concessione S. Sedis (1).

(1) Parochi in dioecesi Mediolanensi olim tamquam insigne ornamentum deferebant *becca* sive capitulum. Ex praescripto S. C. Ep. et Reg. 7 iul. 1850, permissum fuit omnibus

2. Nonnulli docent parochum deferre posse stolam *in signum iurisdictionis*. At S. R. C., *Briocen.* 21 iul. 1855, merito declaravit stolam esse « signum officii, non iurisdictionis » (2). Quare parochi, perinde ac ceteri sacerdotes, circa delationem stolae leges liturgicas et legitimas consuetudines servare tenentur (3).

Nequeunt parochi sollemniter, i. e. per verba : *Sit nomen Domini*, etc. benedicere populo intra vel extra ecclesiam, ut pluries declaratum fuit a S. Sede. Id sane solis Episcopis aliisque Praelatis ecclesiasticis reservatur (4).

Articulus VII.

De parochi obligationibus.

524. Praemittenda. — 1. Omnes obligationes parochi vel ad *curam spiritualem* populi sibi commissi vel *ad bonorum temporalium administrationem* suae ecclesiae spectant.

2. Ex praescripto can. 464, § 1 « parochus *ex officio* tenetur curam animarum exercere », ideoque *ex*

parochis dioecesis « di usare invece della cotta il rocchetto ed invece dell'antica *becca* una mozzetta senza cappuccio, di stoffa di seta nera, con fodera, bottoni, occhielli e filettatura di colore violaceo ». Nasoni, *Iuris canonici compendium*, p. 141, nota 5.

Etiam in aliis dioecesibus Italiae viget huiusmodi mos ex consuetudine aut privilegio inductus.

(2) *Decreta auth.*, n. 3035.

(3) S. R. C. *Casalen.* 20 aug. 1870, ad V, declaravit: « Possunt parochi uti mozzetta ac stola, dummodo collegialiter incedant et *apostolico privilegio fruantur*. Attamen non possunt ante se facere elevare propriam crucem, sed incedere debent sub illa cathedralis. Usus invectus, non obstante dispositione Synodi dioecesanae, utpote decretis contrarius, est abolendus » *Decreta auth.*, n. 3228.

(4) Cfr. Nardi, *Dei parochi*, I, p. 82 s.; Bouix, *De parocho*, part. IV, cap. 12.

iustitia, ob quasi-contractum ipsa muneris paroecialis susceptione initum.

3. Obligationes parochi sunt: 1° *professio fidei*; 2° *residentia*; 3° *Missa pro populo*; 4° *praedicatio verbi Dei*; 5° *celebratio divinorum officiorum*; 6° *sacramentorum administratio*; 7° *vigilantia pastoralis*; 8° *cura infirmorum, pauperum et miserorum*; 9° *institutio puerorum*; 10° *cura librorum paroecialium*. De singulis nonnulla.

525. Professio fidei. — 1. Haec palam et personaliter, non per procuratorem, coram Ordinario eiusve delegato emittenda est ad normam can. 1406.

2. Haec professio adnexa est ipsi paroeciae consecutioni; quare *toties* emittenda, *quoties* beneficium paroeciale obtinetur.

3. Cetera de professione fidei et iuramento *antimodernistico* vide sub **n. 502**.

525. Residentia. — 1. Intelligitur *physica* et *formalis*, nempe commoratio in paroecia, officii personaliter obeundi causa. Nam *ipse* parochus *per se* adimplere debet munia pastoralia; nec satis est, ut egregie monet Benedictus XIV, « si corpore solum intersit, in desidia tamen versetur, vel tantum leviora munera sibi desumat, reliqua vero ministris committat » (1).

2. Parochus non solum tenetur residere intra limites paroeciae, sed in *domo* quidem *paroeciali, prope suam ecclesiam*, non autem in domo paterna aut consanguineorum vel privata. Ordinarius ex iusta causa permittere potest ut parochus *alibi*, sive intra sive extra fines paroeciae, commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut inde detrimentum capiat perfunctio munerum paroecialium (can. 465, § 1).

(1) *Instit. eccl.*, 17, n. 6.

Vox « *alibi* », cum sit indeterminata, minus recte videtur a nonnullis restringi ad limites paroeciae, modo locus sit revera vicinus et nullum patiatur damnum animarum cura. At profecto gravior causa requiritur pro licentia commorandi extra paroeciam, quam intra, in domo non paroeciali; et una Sedes Apostolica permittere potest ut parochus *in perpetuum* habitet extra fines paroeciae, praesertim si domus distet ab ecclesia paroeciali.

3. Parocho permittitur abesse *per duos ad summum intra annum menses*, sive continuos, sive intermissos (can. 465, § 2). Menses *continui* supputantur prout in calendario de momento in momentum; *intermissi* comprehendunt bis 30 dies 24 horarum de momento ad momentum supputandarum. Quare duo menses efformantur ex absentiis *etiam interpolatis*, modo non ita breves sint ut supputatione dignae non videantur, cuiusmodi essent absentiae per paucas horas sive deambulationis causa, sive invisendi sacerdotes aut propinquos gratia, sive ob aliam quamcumque rationem. Nec verius supputari debent absentiae paulo magis protractae, v. g. per dimidiam circiter diei partem, sed rariores : dum scil. parochus ad civitatem episcopalem vel ad oppidum vicinum mane se confert, ante vel statim post meridiem rediturus.

4. In duobus praedictis vacationum mensibus non supputantur, *semel in anno*, dies, in quibus parochus ad normam can. 126 spiritualibus exercitiis vacat (can. 465, § 3).

527. 5. Ordinarius e gravi causa valet *tum* diuturniorem *tum* breviorem tantum absentiam permittere, seu aut ultra aut infra duos menses (can. 465, § 2).

Brevior absentia tunc conceditur, cum v. g. deest sacerdos qui parochum absentem suppleat, cum praesentia parochi necessaria sit ad tumultum sedandum,

ad pacem fovendam, etc. Pro absentia diuturniore requiritur una aut alia ex causis memoratis a Concilio Trid. (2), quae sunt: *christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae aut reipublicae necessitas vel utilitas* (3).

Notandum, periculum vitae imminens, quod tum pastori tum gregi *commune* est, ut in casu saevientis pestis, non excusat a personali residentia (4); dum e contra haberetur *urgens necessitas* ideoque causa iusta discedendi, si parocho periculum vitae vel salutis immineret: tunc ad tempus abesse legitime posset.

6. Pro absentia *ultra hebdomadam*, sive tempus vacationum sit continuum sive intermissum, ius *commune* duo exigit; nempe parochus debet 1° licentiam scriptam ab Ordinario obtinere; 2° idoneum vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum. Si parochus sit religiosus indiget praeterea licentia sui Superioris et substitutus relictus debet approbari tum ab Ordinario loci tum a Superiore religioso (can. 465, § 4).

Iste vicarius substitutus ordinarie residere debet in ipsa domo paroeciali. Interdum ad tale munus designari potest sacerdos intra fines paroeciae degens, aut parochus conterminus, dummodo uterque facile vocari et adesse queat fidelibus petentibus. Spectandae peculiares locorum et personarum circumstantiae.

7. Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, debet *quamprimum* per litteras Ordinarium monere, indicando tum causam discessus tum sacerdotem supplentem relictum in paroecia, eiusque mandatis stare tenetur (can. 465, § 5).

(2) Sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

(3) Barbosa, *De officio et postestate parochi*, part. I, cap. 8, n. 46 ss.; Leurenius, *For. benef., part.* I, q. 376.

(4) Cfr. Bened. XIV, *De Synod. dioec.*, lib. XIII, cap. 19, n. 2 ss.

Huiusmodi causa repentina et gravis esset v. g. mors, aut infirmitas patris vel matris seu consanguineorum, urgens necessitas familiae, morbus parochi cito curandus, et similia. In casu habetur *licentia* rationabiliter *praesumpta*.

8. Si absentia sit *infra* aut *per* hebdomadam etiam integram, tamen non ultra, peculiaris licentia Ordinarii de iure *communi* non requiritur. Alicubi requiri potest ex iure *particulari*, scil. ex paescripto Episcopi, ex lege dioecesana aut provinciali. Quovis in casu parochus, licet non absit ultra hebdomadam, debet nihilominus fidelium necessitatibus consulere, praesertim si peculiaria rerum adiuncta id postulent (can. 465, § 6), ex. gr. si adsint in paroecia infirmi graviter decumbentes.

9. Obligatio residentiae *gravis* est. Non quaevis tamen absentia illegitima peccatum mortale constituit, cum detur profecto parvitas materiae. Culpa potest esse lethalis multiplici ex capite: *a*) propter *animarum damnum*, si parochus discederet nullo vicario relicto, et infirmus sine sacramentis et assistentia decederet; *b*) propter *defectum licentiae*, si parochus abesset sine Ordinarii venia ultra duas vel tres hebdomadas; vel etiam per tempus brevius, si licentia expresse denegata fuisset; c) propter *diuturnitatem absentiae*, si haec, seclusa causa absolute gravi, notabiliter protraheretur ultra duos menses.

Gravitas aut levitas culpae in casu mature attendenda est, ut inde constet utrum adsit delictum necne, peculiari sanctioni obnoxium.

10. Parochus illegitime absens incurrit *ipso facto*, ante sententiam declaratoriam, amissionem fructuum beneficii paroecialis pro rata illegitimae absentiae; fructus autem amissi tradendi sunt Ordinario loci, in favorem ecclesiae, pauperum vel pii loci distribuendi (can. 2381).

Praeterea parochus, qui perseveret in absentia illegitima, potest etiam paroecia privari, processu via administrativa seu disciplinari ad normam can. 2168-2175 peracto.

528. Missa pro populo. — 1. Parochus sub gravi et ex iustitia tenetur Sacrum pro grege sibi commisso applicare. Haec obligatio fundatur in ipso *munere pastorali*, et remote ac generice profluit ex *iure divino*, non quidem absoluto, sed *hypothetico*, sc. posito facto Ecclesiae curam pastoralem in certum populum parocho committentis. Unde Conc. Trid. (5) ait: « Cum *praecepto divino* mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre...* » (6).

Quae obligatio, ex iure divino quoad substantiam orta, iure ecclesiastico determinatur quoad dies et varias circumstantias. Hinc facile explicatur diversitas disciplinae ecclesiasticae pro variis temporibus et dispensatio amplior aut restrictior super huiusmodi obligatione.

2. Discrimen attendatur inter *parochos* et *quasi-parochos*. Illi, ut Episcopi, tenentur Missam pro populo applicare omnibus diebus dominicis et festis de praecepto *etiam suppressis* (7), secundum catalogum Urbani VIII, addito festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. ex Clementis XI Const. « *Commissi Nobis* », 6 dec. 1708. Isti tenentur dumtaxat illis decem diebus qui pro Vicariis et Praefectis Apostolicis can. 306 assignati sunt (can. 466, § 1).

529. 3. Obligatio Sacrum applicandi pro populo est *personalis, realis, localis, certis diebus affixa*.

(5) Sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.
(6) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 639.
(7) Id clare liquet ex verbis can. 339, § 1, atque authentice confirmatum fuit a Pontif. Comm. Cod. 17 febr. 1918, ad II.

1° *Personalis*: idcirco parochus *per se ipse* celebrare et applicare tenetur, nisi legitime sit impeditus.

Si parochus sit *capitularis*, et *Missam conventualem celebret* pro benefactoribus applicandam ad normam can. 417, § 1, Missam pro populo aut ipso die per alium sacerdotem aut die sequenti per se ipse celebrare debet (can, 419, § 1).

Si parochus *ob infirmitatem* nequeat celebrare, Sacrum pro populo *per alium* celebret *statis diebus;* quod si fieri id non possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die (cfr. can. 339, § 4). Idem dicendum de parocho, qui celebrare nequit ob suspensionem, irregularitatem, etc.

Si parochus legitime absit, potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco ubi degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerit in paroecia (can. 466, § 5). Quidnam si *illegitime* absit? Si parochus ipse celebret, obligationi personali et reali applicandi pro populo satisfacit, quamvis suo officio desit eo quod in ecclesia paroeciali non celebret. Nec ideo teneretur in casu *aliam* Missam pro populo applicare in templo paroeciali.

Si parochus, nulla excusante legitima causa, alteri committit Missam pro populo celebrandam et applicandam, satisfacitne suae obligationi? Certe peccat, sed obligationi satisfacit, ut in praecedenti hypothesi.

2° *Realis*: agitur sane de onere ipsi officio paroeciali adnexo. Unde qui excusatur ab obligatione personaliter implenda, non ideo eximitur ab ipso onere, cui per alium satisfaciendum est. Idcirco non excusat infirmitas, absentia, paupertas, defectus redituum, etc.

3° *Localis*, quatenus Missa pro populo celebranda est *in ecclesia paroeciali*, nisi rerum adiuncta *alibi* celebrandam exigant aut suadeant (can. 466, § 4). Si

parochus sit absens, datur optio de qua paulo superius (n. 1°).

Praefata rerum adiuncta complura eaque varia esse possunt; ex. gr. peculiaris festivitas in alia ecclesia celebranda, maior fidelium concursus, etc.

4° *Certis diebus affixa*: quinam sint isti dies, supra dictum est (n.528. 2).

Ordinarius *iusta de causa* permittere potest ut parochus Missam pro populo applicet alia die ab ea, qua iure adstringitur (can. 466, § 3). Causa iusta multiplex in praxi: infirmitas, Missa pro sponsis, funus, Missae Gregorianae aut fundatae, Sacrum applicandum ad intentionem eleemosynam offerentis ob causam gravem et urgentem, etc. Huiusmodi causae valent praesertim pro diebus festis suppressis.

Ordinarius praedictam licentiam concedere potest non solum per modum actus, sed etiam *habitualiter*, i. e. modo permanenti. Censemus expressam Ordinarii licentiam non requiri ad unum vel alterum actum (8). Idque a fortiori dicendum, si tempus desit recurrendi ad Ordinarium.

Cetera quae huc spectant vide sub n. **380.**

530. 4. Si parochus regat plures paroecias aeque principaliter unitas, aut si, praeter propriam, aliam vel alias in administrationem habeat, non tenetur, ut olim (9), tot applicare Missas quot sunt paroeciae, sed obligationi suae plene satisfacit applicando unicam Missam pro populis sibi commissis (can. 466, § 2).

Si duae paroeciae regendae (aut plures) habent Patronum diversum (cfr. n. **380**), Missa applicanda est in festo utriusque; si Patronus idem sit, per unicam Missam satisfit obligationi, dummodo festum distinctis diebus recolendum non sit.

5. Necesse non est ut Missa pro populo celebre-

(8) Nobiscum Wernz-Vidal, II, n. 736, not. 68.
(9) S. C. C. 11 maii 1720; 12 mart. 1774.

tur cum cantu aut peculiari aliqua sollemnitate. Potestne Episcopus id praecipere? Quidam pauci affirmant (10); quidam negant. Haec sententia, rite intellecta, vera est. Episcopus potest quidem praecipere in Synodo aut extra ut Missa in ecclesia paroeciali celebretur diebus dominicis, aut saltem in praecipuis per annum festivitatibus, cum cantu vel peculiari sollemnitate; at praecipere nequit ut haec Missa, et non alia, applicetur pro populo. Si parochus sit solus in paroecia, necessario applicanda erit pro populo Missa cantata vel sollemnis; si vicarius cooperator quoque sit, hic Sacrum cum cantu seu sollemniter facere poterit, parochus autem privatim pro populo applicare. Quare lex dioecesana vel praescriptum Episcopi non respicit *directe* et *immediate* Missam pro populo *qua talem*, sed Missam in commodum fidelium diebus dominicis aut sollemnioribus festis celebrandam, sive haec applicetur pro populo sive non (11).

6. Palam est parochum qui applicat Missam pro populo eleemosynam percipere non posse (cfr. can. 825, 2°): deest sane titulus, cum ex alio capite urgeat obligatio applicationis.

7. Onus applicandi pro populo tam stricte ac rigorose urget, ut sive scienter sive ignoranter Missa praescriptis diebus applicata non fuerit, maneat obligatio eam quamprimum alia die applicandi, nisi condonatio a Sede Apostolica (a S. Poenitentiaria pro foro interno, a S. C. Concilii pro foro externo) obtenta fuerit (12).

531. Praedicatio verbi Dei. — 1. Ministerium praedicationis, quod parochus legitime exercet ex missione vi ipsius officii paroecialis accepta (can.

(10) De Meester, II, n. 846.
(11) Cfr. S. C. C. 9 april. 1881; R. R. C. 20 dec. 1864.
(12) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 652.

1328), duo complectitur, scil. *sermonem homileticum et catecheticam institutionem.*

2. « Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto *proprium cuiusque parochi officium* est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare » (can. 1344, § 1).

1° Obligatio urget sub gravi et incumbit personaliter parocho, at non ita stricte ut Missa pro populo; scil. parochus per se ipse tenetur huic obligationi satisfacere et non per alios, nisi legitima causa excusetur : quo in casu onus implendum est per sacerdotes ad munus praedicationis legitime approbatos.

2° Parochus sane praedictae obligationi « nequit per alium *habitualiter* satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam » (can. 1344, § 2). Huiusmodi causa est absoluta aut moralis impossibilitas, absentia legitima, maior populi utilitas, obligatio canendi Missam conventualem, etc.

Ut una aliave vice, i. e. *per modum actus* praedicationi satisfiat per alium presbyterum, nec venia Ordinarii nec peculiaris causa requiritur : quaecumque ratio, etiam levissima quae practice semper existit, sufficit.

3° Homilia habenda est « *praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia* ». Id postulat ipse finis praedicationis attingendus.

4° Ab onere praedicandi per se vel per alios non eximitur parochus aut *exiguo* paroecianorum *numero*, aut *frequentia concionum* quae fiunt in aliis ecclesiis eiusdem loci, aut *consuetudine* etsi *centenaria* vel *immemorabili* quae abusus gravissimus et corruptela dicenda est. Quod intelligi debet non modo de omissione perpetua aut frequenti, verum de quacumque omissione.

5° Ordinarius permittere potest ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, iusta de causa, aliquibus

diebus dominicis concio omittatur (can. 1344, § 3). Strictius igitur urget obligatio praedicandi diebus dominicis quam in ceteris festis de praecepto. Dies festi sollemniores, quibus ex licentia Ordinarii omittitur concio, ultra octo aut decem ne sint, regulariter loquendo.

6° Parochus in praedicatione exponat imprimis quae fideles credere et facere debent ad salutem consequendam, opportuno modo ac sermone ad audientium captum atque intelligentiam omnino accommodato (13).

7° Loci Ordinarius curare debet ut *tempore Quadragesimae*, itemque, si id expedire visum fuerit, *tempore Adventus*, in ecclesiis paroecialibus sacrae conciones *frequentius* ad fideles habeantur (can. 1346, § 1).

Ordinarius loci praecipere potest ut aliis quoque temporibus, extra Quadragesimam scil. et Adventum, peculiaris praedicatio *cura parochi* ad populum fiat. Idque praecipere valet sive per modum actus, ob hanc aut illam occasionem, sive perpetuo per legem dioecesanam, ex. gr. ut fiant triduanae supplicationes in honorem SS. Sacramenti.

8° Si parochus vel una vice omittat absque causa per se vel per alium concionari, certe peccat, saltem venialiter. Verius *graviter* peccat, si aut per unum mensem continuum aut per tres menses non continuos sine iusta causa omittat (14). Alii ad gravem culpam requirunt ut parochus, secluso scandalo, notabiliter ultra mensem, v. g. per duos menses, continue omittat concionari, aut notabiliter ultra tres menses non continuos in anno (15). Hanc sententiam solide probabilem dicere non audemus.

(13) Can. 1347; Bened. XV, litt. encycl. « *Humani generis* », 15 iun. 1917; S. C. Cons. *Normae pro sacra praedicatione*, 28 iun. 1917 (*A. A. S.*, IX, 305, 328 ss.).

(14) Ita S. Alph. (III, n. 269) cum aliis.

(15) Lemhuhl, II, n. 645; Berardi, *Theol. past.*, p. 67, ed. 4ª.

9° Si parochus graviter deliquerit circa officium praedicandi, pro gravitate delicti, coerceri debet ab Ordinario monitione, correptione, punitione, ipsa quoque privatione paroeciae, sive sit amovibilis, sive inamovibilis; sed parochus inamovibilis, antequam a sua paroecia amoveri queat, puniri debet privatione fructuum beneficii ex toto vel ex parte (can. 2382 coll. cum can. 2182-2185).

532. 3. Sublata obligatione Missam audiendi in *propria* paroecia, sublata quoque est obligatio fidelium audiendi *proprium* parochum concionantem. Attamen fideles monendi sunt ut sacris concionibus praesertim *in ecclesia sua paroeciali* frequenter intersint, atque ita a proprio pastore, qui oves suas cognoscere omnino debet, in fide et sanctis moribus erudiantur (can. 467, § 2, 1348).

4. Ordinarii advigilare debent « ut *saltem decimo quoque anno* sacram, quam vocant, missionem, ad gregem sibi commissum habendam *parochi* curent » (can. 1349, § 1).

Quae *missiones* ad populum primum locum obtinent inter conciones extraordinarias, a RR. Pontificibus summopere commendatas, uberrimos fructus in animarum salutem afferentes.

5. Muneri praedicationis cohaeret obligatio parochi denuntiandi fidelibus officia divina, dies festos, dies abstinentiae et ieiunii, indulgentias lucrandas, mandata R. Pontificis et Episcopi : populus enim rite erudiri ac certior fieri debet de iis omnibus quae ad exercitium religionis seu ad bonum spirituale spectant.

6. « *Proprium* ac *gravissimum* officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare » (can. 1329). Agitur de obligatione *propria*, utpote quae sponte ac necessario profluit ex munere pastorali; agitur de obligatione

gravissima, quia ex tradita catechetica institutione maxima bona in animarum salutem oriuntur, sicuti innumera mala eaque omnino lugenda ex illa neglecta sequuntur, experientia teste.

Obligatio catecheticae institutionis gravius urget quam obligatio sermonis homiletici : momentum sane utriusque attendendum atque influxus in fidem, mores, religionem populi christiani (16).

533. 7. « Debet parochus : 1° Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare; 2° Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent » (can. 1330).

1° Praeparatio puerorum ad sacramenta poenitentiae, confirmationis et Eucharistiae rite suscipienda, fieri debet *singulis annis*, et quidem per *plures dies continuos*. Ad primam autem Communionem praeparatio, cum agatur de re tanti momenti, *peculiari omnino studio* seu speciali cura atque diligentia a parocho peragenda est, potissimum, nisi adiuncta aliud exigant vel suadeant, *tempore Quadragesimae*, ut pueri accedere possint tempore paschali ad sacram Synaxim sufficienter instructi riteque dispositi.

Circa tempus, durationem etc. praedictae praeparationis, attendendae sunt leges dioecesanae et legitimae locorum consuetudines.

2° Nihil prohibet quominus una atque eadem institutione catechetica, dummodo recte fiat, pueri praeparentur tum ad sacramenta poenitentiae et confirmationis tum ad primam Communionem.

3° Quae institutio catechetica versari debet, ut palam est, circa veritates fidei, naturam et effectus

(16) Cfr. Pii X litt. encycl. « *Acerbo nimis* », 15 april. 1905; litt. encycl. « *Editae saepe* », 26 maii 1910.

sacramentorum, conditiones requisitas ad illa valide ac licite suscipienda.

4° Profecto optandum est ut pueri, qui prima vice SS. Eucharistiam sunt suscepturi, catechesi praeparatoriae in ecclesia paroeciali habitae assistant; sed parochus exigere nequit ut in ea, non vero domi vel alibi ex. gr. in scholis aut institutis religiosis, christianam doctrinam addiscant, sub poena alioquin eos, licet idoneos, a prima Communione arcendi. Sane parocho ius et officium est tantum curandi ut cognitio necessaria et sufficiens ad sacramenta rite suscipienda, a parentibus vel ab aliis impertiatur.

8. Parochus, praeter puerorum institutionem, de qua hucusque, « ne omittat pueros, qui primam Communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere » (can. 1331).

1° Sicuti pueri tenentur integrum catechismum pro modo suae intelligentiae addiscere, ita parochus tenetur eundem illis explicare.

2° Ad rationem, partitionem, methodum, tempus, etc., catechismi quod attinet, leges dioecesanae et legitimae consutudines attendantur.

9. Parochus « in religiosa puerorum institutione *potest*, imo, si legitime sit impeditus, *debet* operam adhibere clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium *doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint » (can. 1333, § 1). Huic parochi iuri atque obligationi correspondet officium sacerdotum et clericorum, qui, nisi sint exempti et legitime impediti, *proprio parocho* operam praestare tenentur in catechetica puerorum institutione, idque etiam sub poenis ab Ordinario infligendis (can. 1333, § 2).

10. Parochus frequenter recolat parentibus aliisque qui parentum vices tenent, ipsis quoque heris ac patrinis, obligationem qua adstringuntur curandi

ut omnes sibi subiecti vel commendati catechetica institutione erudiantur (cfr. can. 1335). Quae obligatio gravis est.

534. II. « Diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet insuper parochus catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare » (can. 1332).

1° Haec institutio catechetica *fidelibus adultis* tradenda, a *puerorum* institutione distinguitur, ita ut parochus duplici obligatione hac in re teneatur, explicandi scil. catechismum tum *pueris* tum *adultis*.

2° Hisce, aliter ac illis, catechismus explicandus est singulis *diebus dominicis ceterisque festis de praecepto*. Ubi agitur de homilia, Ordinarius permittere valet ut in quibusdam festis omittatur (n. **531**), ubi agitur de catechismo pro adultis, id permittere nequit.

3° Pius X in litt. encycl. « *Acerbo nimis* » statuit ut parochi Catechismo Romano utantur, eo quidem ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent, nempe de symbolo, de sacramentis, de decalogo, de oratione et praeceptis Ecclesiae. Quae norma directiva est, non praeceptiva.

Normas ab Episcopis hac de re latas parochi adamussim servent.

4° Ipsi religiosi, etiam exempti, tenentur parocho auxilium praestare, Ordinario loci mandante, ad populi catecheticam institutionem.

5° Parochus negligens circa institutionem catecheticam puerorum et adultorum, subest poenis supra memoratis (n. **531**, 9°).

535. Celebratio divinorum officiorum. I. Parochus tenetur *officia divina* celebrare (can. 467, § 1), quorum nomine veniunt functiones potestatis

ordinis ad cultum divinum ordinatae et a solis clericis exercendae (cfr. can. 2256).

2. Huiusmodi sunt : Missae, praesertim cum cantu sive sollemnes, vesperae diebus dominicis et festis de praecepto ubi adest lex dioecesana aut consuetudo, benedictio candelarum cinerum, palmarum, functiones hebdomadae maioris, processiones, expositio cum benedictione SS. Sacramenti, supplicationes novendiales vel triduanae, etc.

3. Praeter functiones liturgicas quae ex *Missali* et *Rituali Romano* peragendae sunt, peculiares quoque functiones peragi debent, a Concilio provinciali, vel a Synodo dioecesana, vel ab Episcopo, permanenter aut speciali occurrente circumstantia, praescriptae.

4. Obligationi parochi celebrandi divina officia in commodum paroecianorum respondet *commendatio* his data, non tamen obligatio, frequentandi paroecialem ecclesiam ut iisdem intersint.

536. Administratio Sacramentorum. — 1. Parochus debet « *administrare sacramenta fidelibus, quoties legitime petant* » (can. 467, § 1).

1° Est obligatio *personalis*, idcirco a parocho ipso quantum fieri possit personaliter praestanda, praesertim si *nominatim* a paroecianis requiratur. Unde parochus nequit sacramentorum administrationem totam committere aliis presbyteris, v. g. vicariis cooperatoribus.

Controvertitur, an parochus teneatur per se ipse paroecianis peste aut alio contagioso morbo laborantibus sacramenta ministrare. Ita distinguendum : si parochus ipse *expresse* et *nominatim* advocetur, ipsemet, non alius, ministrare debet, nisi legitime sit impeditus; si expresse et nominatim non requiratur, sacramenta ministrare potest per quemcumque presbyterum idoneum.

2° Est obligatio per se *gravis*, quae urget *ex iustitia*, i. e. vi officii.

3° Petitio censetur *legitima* seu *rationabilis* non solum quando fideles sacramenta suscipere tenentur *ex praecepto* sive *ex necessitate*, sed etiam quando *ex mera devotione* illa recipere cupiunt.

Parochus *graviter* peccat: si *frequenter* recuset petentibus ex mera devotione; si denegatio infamiam, scandalum, gravem populi offensionem, iniuriam petenti, diminutionem frequentiae sacramentorum ex parte fidelium afferat; si sacramenta, etiam *semel* tantum, serio recuset petentibus ex praecepto aut necessitate; si *habitualiter* se tardum exhibeat atque socordem in sacramentis ministrandis .

Si fideles *irrationabiliter* vel *indiscrete* petant, ex. gr. hora insueta, aut si scrupolosus pluries in die velit confiteri etc., parochus recusans *per se* non peccat. Non ministrare sacramenta una alterave vice, secluso scandalo et casu gravis necessitatis, leve est.

Gravius urget obligatio ministrandi sacramenta iis qui versantur in periculo vitae (17).

537. Vigilantia pastoralis. — 1. Ratione muneris quo fungitur, parochus sedulo advigilare debet qua bonus paterfamilias solersque pastor gregis sibi commissi, ut per opportuna monita et correptiones vitia, abusus, pravae occasiones e medio tollantur. In hunc finem necesse est ut parochus oves suas cognoscat; idcirco debet accuratas exquirere notitias de singulis familiis, mores agendique rationem paroecianorum studiose inspicere, parentes ac liberos suaviter alloqui, omnes ad se accedentes paterne recipere.

2. Vitam christianam fovere, opera caritatis et pietatis excolere, *actionem catholicam* promovere,

(17) An et quando sacramenta sint ministranda etiam cum periculo vitae, vide Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 67.

religiosas consociationes ac pia sodalitia instituere tenetur parochus, secundum praescripta S. Sedis et statuta dioecesana, attentis peculiaribus paroeciae circumstantiis (can. 467 et 469).

538. Cura infirmorum, pauperum et miserorum. — 1. Parochus sedula cura et effusa caritate spiritualiter adiuvare debet aegrotos eosque ad ultima sacramenta tempestive et cum adhuc sunt compotes sui praeparare, atque eorum animas ad praescripta Ritualis Romani Deo commendare (can. 468, § 1). Hac obligatione tenetur parochus etiam erga eos, qui ratione domicilii vel quasi-domicilii paroeciani stricto sensu non sunt, dummodo in territorio paroeciae degant et in domo religiosa aut pia exempta non sint (nisi forte, hoc in casu, desit cappellanus domus, qui vices parochi gerat).

2. Hodie omnibus parochis (item ceteris sacerdotibus), qui infirmis assistunt, facultas competit concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis (can. 468). Haec benedictio ordinarie impertienda est post suscepta sacramenta moribundorum, nec est omittenda licet moribundus iam sit sensibus destitutus aut in delirium inciderit (18). Concedi potest iis omnibus, quibus licite absolutio et extrema unctio, etsi sub conditione, dari possit; ideoque etiam pueris, qui nondum forte primam communionem acceperint, si usum rationis attigerint, cum eo ipso sint capaces peccati et consequenter indulgentiae lucrandae (19).

Benedictio impertienda est secundum formulam liturgicam, quae a Benedicto XIV, Const. « *Pia mater* », 5 april. 1747, praescripta fuit et in Rituali Romano (l. c.) refertur (20).

(18) *Rit. Rom.*, tit. V, cap. 6.
(19) Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 987.
(20) Ante Codicem Episcopus facultatem concedendi bene-

3. Parochus peculiari ratione paternaque cura sibi commendatos habere debet pauperes, pupillos, viduas, quoscumque miseros; eos auxilio, consiliis, opera pro viribus adiuvare tenetur (can. 467, § 1).

Agitur de obligatione ipsi officio paroeciali adnexa, quae ex iure divino profluit, docente Trid. Synodo (21): « Cum *praecepto divino mandatum sit* omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere... *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere...* ».

539. Institutio puerorum. — 1. Parochus sedulam curam adhibere debet in catholica puerorum institutione (can. 467, § 1). Huc spectat imprimis quae supra de catechetica institutione dicta sunt (n. 533 ss.).

2. Praeterea huc spectat etiam *inspectio scholarum*, quae intra fines paroeciae existunt, dummodo ex communi privilegio exemptionis aut iure particulari ab auctoritate parochi subductae non sint.

Cum religiosa iuventutis institutio *in quibuslibet scholis* auctoritati et inspectioni Ecclesiae subiiciatur (can. 1381, § 2), parochi diligenter advigilare debent ne quid contra fidem ac mores in scholis publicis aut privatis tradatur (can. 469).

3. Curet parochus ne pueri catholici scholas acatholicas, *neutras* quas vocant vel *aconfessionales*, frequentent. Sciat *unius Ordinarii* esse decernere, ad normam instructionum S. Sedis, in quibusnam rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, periculo perversionis remoto, tolerari possit ut praedictae scholae a pueris catholicis frequententur (can. 1374).

4. Si desint scholae catholicae, parochus earundem

dictionem apostolicam cum indulgentia plenaria impetrare debebat a S. Sede, eamque sive per se sive per alium impertire poterat. Ita ex Bened. XIV Const. « *Pia mater* », 5 april. 1747.

(21) Sess. XXIII, cap. 1, *de ref.*

erectioni et sustentationi consulat (cfr. can. 1379, § 1). Qua in re mandata Episcopi sancte religioseque serventur.

5. Contra parochum qui neglexerit catholicam puerorum institutionem, procedendum est ad normam can. 2182 ss., usque ad remotionem quoque a paroecia.

540. Cura librorum paroecialium. — 1. Parochus tenetur peculiari diligentia conscribere et custodire *libros paroeciales*, quorum nomine veniunt libri, in quibus omnia adnotantur quae ministerium paroeciale respiciunt (22). Quinque enumerantur: 1° *liber baptizatorum;* 2° *liber confirmatorum;* 3° *liber matrimoniorum;* 4° *liber defunctorum;* 5° *liber de statu animarum.*

Quator priores sunt rigorose praescripti; ultimus minus stricte praecipitur (cfr. can. 470, § 1).

1° *Liber baptizatorum.* In eo adnotari debent: *a*) nomen et cognomen baptizatorum, locus et dies collati sacramenti, nomen et cognomen ministri, parentum ac patrinorum (can. 777); *b*) in margine, confirmatio postea recepta; matrimonium initum (nisi agatur de matrimonio conscientiae, quod in separato et secreto libro Curiae episcopalis adnotandum est, ad normam can. 1107); subdiaconatus susceptus, professio sollemniter emissa (can. 470, § 2).

Quae parochi obligatio secumfert obligationem pro ministro confirmationis vel Ordinis, pro parocho

(22) Ante Conc. Trid. peculiares libri paroeciales iure *communi* praescripti non erant. Concilium hoc iussit ut omnes parochi librum *baptizatorum* et *matrimoniorum* conficerent eumque diligenter asservarent. Iure *particulari* alii quoque tres libri praescripti sunt et in *Rit. Rom.* (tit. X, c. 2, 7) normae traduntur quomodo conscribendi sunt.

Usque ad exitum saec. XVIII, seu ad revolutionem gallicam, libri paroeciales etiam in *foro civili* agnoscebantur plenamque fidem faciebant, cum peculiares libri in eo foro deessent.

qui matrimonio assistit, pro Superiore religioso, hos actus communicandi parocho loci ubi baptismus collatus fuit.

Quoties testimonium requiratur recepti baptismi, in eo omnes istae adnotationes referendae sunt (can. 470, § 2), ita ut ex solo testimonio baptismi facile erui possit libertas status eorum, qui matrimonium inire volunt.

2° *Liber confirmatorum.* In hoc adnotantur nomina confirmatorum, parentum, patrinorum et ministri, dies et locus confirmationis ad normam can. 798.

3° *Liber matrimoniorum.* Adnotantur in eo nomina coniugum ac testium, locus et dies matrimonii celebrati, secundum praescriptum can. 1103. Inscriptio fieri debet ab ipso parocho sive per se sive per alium vices suas gerentem, quamvis alius sacerdos a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

4° *Liber defunctorum,* in quo adnotantur nomen et aetas defuncti, nomen parentum (et coniugis, si matrimonio copulatus), dies mortis, quis et quae sacramenta ministraverit, locus et dies tumulationis (can. 1238).

5° *Liber de statu animarum,* in quo singulae familiae paroeciae atque singula earum membra accurate quantum fieri potest describenda sunt, cum opportunis adnotationibus circa statum spiritualem paroeciae, conditionem et christianam pietatem paroecianorum.

541. 2. Parochus debet memoratos libros, secundum usum ab Ecclesia probatum (23) vel ab Ordinario loci praescriptum, accurate conscribere et diligenter asservare. Igitur quoad formam, linguam etc. usui recepto vel Ordinarii praescripto standum est.

3. Inscriptiones in libris paoecialibus factae, attestationes ex iisdem authentice desumptae, earum

(23) Cfr. *Rit. Rom.*, tit. XII, cap. 2 ss.

authentica exemplaria, sunt documenta publica, quae plenam faciunt fidem etiam in iudicio (can. 1813, 1816). Quare negligentia parochi in libris conscribendis et asservandis facile gravem reatum constituere potest, ad normam can. 2383 puniendum.

4. In fine cuiuslibet anni tenetur parochus *authenticum exemplar* librorum paroecialium ad Curiam episcopalem mittere, excepto libro de statu animarum (can. 470, § 3). Idcirco quatuor priores libri conficiendi sunt in duplici exemplari: alterum penes parochum, alterum in Curia asservandum. Hac duplicitate consulitur librorum custodiae, ne scil. incendio, inundatione, aliove infortunio pereant.

Putamus satisfieri praescripto can. 470, § 3 etiam si *authentica* tantum *excerpta* ad Curiam mittantur.

Palam est Ordinarium non posse parochum ab onere asservandi libros paroeciales eximere praetextu eorundem custodiae in archivo Curiae dioecesanae, nec sibi reservare ius privativum attestationes ex illis conficiendi, quarum occasione certa emolumenta parocho solvi solent (24).

5. Nulla mutatio (correctio, substitutio, suppressio), fieri potest in libris paroecialibus, nisi praevie recognita et approbata fuerit ab Ordinario; idque in ipsis libris expresse indicandum, ut plane constet de mutatione *legitime* facta.

542. Archivum et sigillum paroeciale. — 1. Quilibet parochus *archivum* seu *tabularium* habere debet, in quo accurate serventur, praeter libros paroeciales, epistolae et decreta Ordinarii, omnia documenta necessaria vel utilia, cuiusmodi sunt: acta fundationum, instrumenta iura temporalia ecclesiae seu beneficii paroecialis comprobantia, inventarium rerum immobilium, mobilium pretiosarum et aliarum ad ecclesiam vel domum aut beneficium paroeciale

(24) Cfr. Wernz-Vidal, II, n. 737.

pertinentium cum earundem descriptione et aestimatione, elenchus legatorum seu omnia onera sive perpetua sive temporanea eorumque adimplementum et eleemosynae (cfr. can. 470, § 4, 1522, 1523, 1549).

2. Archivum ab Ordinario vel eius delegato visitationis tempore inspici debet, ut inde constet num libri omniaque documenta rite ordinata ac diligenter custodita existant.

3. Parochus sedulo cavere debet ne documenta archivi ad extraneorum manus deveniant, salvo tamen iure inspectionis et obtinendi transcriptionem documentorum, quae sub secreto servanda non sint, ab iis quorum interest, ad normam can. 384.

Documenta originalia ex archivo paroeciali efferri nequeunt sine debitis cautelis et Episcopi vel Vicarii generalis consensu (can. 383, § 2, iunct. can. 378).

In communicandis documentis et eorum exemplaribus describendis tradendisque parochus regulas servet ab Ordinario statutas.

4. Parochus est testis qualificatus in iis quae ad proprium munus pertinent; quapropter ius et officium ei competit habendi proprium *sigillum*, quo documenta, ab ipso vel ab alio eius vice subscripta, signo authenticitatis donantur (can. 470, § 4).

Articulus VIII.

De cessatione officii paroecialis.

543. Varii modi cessationis.—Munus paroeciale cessat: 1° *morte;* 2° *renuntiatione;* 3° *translatione;* 4° *permutatione;* 5° *remotione administrativa;* 6° *privatione, depositione et degradatione.* De singulis pauca, excepto casu mortis qui nulla indiget declaratione.

544. Renuntiatio. — 1. Secundum normas alibi traditas (n. 298 s.), renuntiatio expressa officii pa-

roecialis debet regulariter fieri in manibus Episcopi, ex causa ab eo probata, et ab eodem acceptari.

2. Resignationem beneficii paroecialis in commodum aliorum, vel sub aliqua conditione, quae *aut* ipsam beneficii provisionem (v. g. cum reservatione ingressus vel regressus) *aut* redituum erogationem, (v. g. cum reservatione pensionis vel partis fructuum) attingat, Ordinarius admittere nequit, nisi in casu quo beneficium sit litigiosum et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius (can. 1486).

3. Renuntiatio fieri potest ob causas complures, v. g. ob corporis debilitatem, malitiam plebis, imperitiam, etc.

545. Translatio. — 1. Sermo est de translatione *oeconomica*, cuius nomine venit ea canonica provisio, qua Ordinarii auctoritate parochus *a sua* quam utiliter regit, ad *aliam* paroeciam, in bonum animarum, destinatur (cfr. can. 2162).

Causa igitur translationis est *necessitas* vel *utilitas paroeciae*, i. e. *bonum animarum*, quod haberi potest ex parte tum paroeciae *a qua* tum paroeciae *ad quam*.

2. Translatio secundum has normas (can. 2162-2167) facienda est:

1° Ordinarius parochum *inamovibilem invitum* transferre nequit, nisi a S. Sede speciales facultates obtinuerit. Ratio est, quia si parochus, ut ex conceptu translationis liquet, *utiliter* paroeciam suam regit, propter titulum inamovibilitatis habet ius strictum ibidem manendi. Tamen si Ordinarius eidem translationem proponat ac suadeat, parochus, huic invitationi, ut dicit can. 2162, «pro Dei atque animarum amore consentiat».

2° Parochus *amovibilis* potest *etiam invitus* transferri: *a*) si paroecia *ad quam* non sit ordinis nimio inferioris (ratione dignitatis, amplitudinis, redituum,

conditionis etc.); *b*) dummodo serventur peculiares normae a Codice praefinitae.

3° Praecipua norma attendenda haec est: Ordinarius, ut *valide* agat, debet *audire* (consilium, igitur, non consensus postulatur) consultores super causis a parocho *invito* allatis et cum iisdem perpendere adiuncta in quibus versatur tum paroecia *a qua* tum paroecia *ad quam*, et rationes quae translationis necessitatem vel utilitatem suadeant.

4° Si parochus invitationi ab Ordinario factae consentiat, nullus processus ordine administrativo instituendus est nullaque causae discussio requiritur, sed statim locus fit translationi ex Ordinarii decreto.

5° Si, contra, invitationi parochus non consentiat, summarie ac via administrativa processus seu causae discussio fieri debet. Quoad tempus et effectus vacationis, ubi agitur de translatione *coacta*, standum est mandatis Ordinarii, qui maiori vel minori utetur benignitate pro maiori vel minori translati bona voluntate.

6° In translatione parochi non requiritur concursus neque examen.

7° A definitivo decreto Ordinarii datur recursus ad S. Sedem, quo pendente, paroecia *a qua* nequit valide alii stabiliter conferri (cfr. n. 551).

546. Permutatio. — 1. Huius nomine venit resignatio duorum parochorum ea lege facta ut alter resignans alterius resignantis beneficium paroeciale auctoritate competentis Superioris ecclesiastici obtineat. Permutatio est peculiare *institutum iuridicum*, quod specialibus normis regitur ac praefinitos effectus canonicos sortitur.

2. Ad validitatem requiritur *iusta causa, debita forma* et *consensus Episcopi* (excluso Vicario generali sine speciali mandato et Vicario capitulari), si be-

neficium paroeciale non est reservatum, secus *consensus S. Sedis*, ac praeterea, si paroecia sit iuris patronatus, *consensus patroni* (can. 1487, § 1 iunct. can. 186).

3. Permutatio coram Episcopo facienda debet esse simplex, absoluta et libera ab omni fraude et mala fide.

4. Episcopus intra mensem consensum praestare vel denegare debet; permutatio autem valet a momento consensus ab Episcopo praestiti.

5. Si beneficia paroecialia, quae permutantur sint inaequalia, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cuiusque rei pretio aestimabilis (can. 1488).

547. Amotio administrativa. — 1. Ratio amotionis est *bonum animarum*, forma est *processus via administrativa* seu *disciplinari institutus*, causa multiplex sive *culpabilis* sive *non culpabilis* (1).

Accidere potest ut ex una parte ministerium parochi, etiam citra eius culpam, sit inefficax imo et noxium saluti fidelium, et ex alia parte poenali privationi aut criminali iudicio locus non sit. Hoc in casu, ne *salus animarum*, quae profecto *suprema lex* est, damnum patiatur, probe consulitur paroecianorum utilitati amotione parochi. Haec igitur directe et principaliter in poenam, licet forte adsit culpa gravis, nullatenus applicatur (2).

(1) Amotio administrativa parochorum accurate praefinita fuit Decreto « *Maxima cura* » S. C. Consist. iussu Pii X die 20 aug. 1910 edito. Ante nec causae eiusdem determinatae erant, nec eo minus forma in illa decernenda statuta.

Quidam iuris textus (c. 10, X, de renunt. I, 9; c. 5, X de rerum permut. III, 19; Conc. Trid., Sess. XXI, de ref., cap. 6) quandam potestatem removendi beneficiatos *administrative* Episcopis agnoscebant. At res erat valde incerta. Normae in Decr. « *Maxima cura* » traditae, nunc in Codice, nonnullis inductis immutationibus, continentur.

(2) Amotioni administrativae locus non est, ubi agitur de

2. Causa propter quam fit locus amotioni *gravis* sit oportet, eaque talis censetur quae ministerium parochi aut *noxium* aut saltem *inefficax* reddat (can. 2147, § 1).

Causae non sunt *taxative* praefinitae; at vix dari potest causa quae ad unam aliamve ex numeratis a Codice referenda non sit (3).

3. Ex can. 2147, § 2 causae *praesertim* sunt istae :

1° *Imperitia* (sive absoluta sive relativa ad hanc paroeciam, non autem forte ad aliam, sive procedat ex defectu scientiae sive tantum ex defectu iudicii practici vel educationis aut prudentiae, etc.) vel *permanens infirmitas mentis* (insania, dementia, hebetudo) aut *corporis* (paralisis, anemia cerebralis, neurasthenia, coecitas, surditas, gravis aphonia, etc.), quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si, iudicio Ordinarii, per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat ad normam can. 475.

Quare haec causa *subsidiarie* tantum ponitur, quatenus nempe incommodis congrue occurri non possit nominatione vicarii cooperatoris vel adiutoris. Infirmitas debet esse *permanens* quae opponitur transeunti, i. e. *perpetua* vel saltem *diuturna*.

2° *Odium plebis*, quamvis iniustum (scil. absque ulla parochi culpa excitatum) et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, nec brevi cessaturum praevideatur.

Ex circumstantiis pendet utrum plurium an paucorum odium satis sit. Aliquando accidere potest ut unius tantum personae, v. g. magistratus, praefecti,

parochis *religiosis*: pro his servandum est praescriptum can. 454, § 5 (cfr. n. 488, 3°).

(3) Cfr. Cappello, De *administrativa amotione parochorum, seu Commentarium in Decretum « Maxima cura »*, p. 5 ss.; Villien, *Le déplacement administratif des curés*, p. 5 s.; Besson, in *Nouv. rev. théol.*, vol. 43, p. 458 ss.; Amanieu, *Amotion*, in *Dictionnaire de droit canonique*, col. 471; Wernz-Vidal, VI, n. 742 ss.

syndici, viri auctoritate et praestantia praediti, sufficiat. Tempus *breve* generatim est spatium sex mensium; practice peculiaria adiuncta spectanda.

3° *Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros*, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo eius crimine, quod nuper detectum eximatur iam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae satis provisum sit.

Bona aestimatio est conditio omnino necessaria ut parochus ministerium suum utiliter exercere valeat. Quare eiusdem defectus iure inter causas remotionis recensetur. Amissio bonae aestimationis duplici ex causa oriri potest: *a*) ex agendi ratione ipsius parochi; *b*) et ex facto eorum quibuscum parochus vivit, nempe familiarium aut consanguineorum.

In priore casu, i. e. ex facto parochi, amissio haberi potest: *a*) ex *levi vivendi ratione*, v. g. ex avaritia, maledicentia, iracundia, intemperantia; *b*) ex *suspecta vivendi ratione*, v. g. ex frequenti conversatione cum mulieribus praesertim iunioribus, cum personis haereticis aut incredulis. Necesse est ut huiusmodi ratio parochi sit *frequens* seu *habitualis* ita ut verificetur quod sit *modus vivendi* levis aut suspectus.

Si famae amissio nondum habetur, Ordinarius recurrat ad monitiones cum praecepto, v. g. de *non ingrediendis tabernis, de vitanda conversatione cum mulieribus*, etc. (4).

Demum amissio famae provenire potest ex delicto antiquo *occulte* patrato, quod nuper detectum est. Nam, etsi forte ob praescriptionem actionis poenalis nequeat per criminalem processum congrua poena plecti, nihilominus id nullatenus impedit quo-

(4) Cfr. Cappello, op. cit., p. 38; Besson, l. c., p. 712; Villien, l. c., p. 59.

minus parochus bonam existimationem non amittat ex divulgatione delicti (5).

Hinc ratio consulendi incommodo alia via, nempe *administrativa*.

In altero casu, quando amissio famae provenit ex facto familiarium vel consanguineorum, Ordinarius praecipere debet ut istae personae domum paroecialem deserant; si tali discessu fama parochi non amplius periclitatur, deest ex hoc capite remotionis causa.

4° *Probabile crimen occultum*, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem.

Tria requiruntur: *a*) ut Ordinarius notitiam habeat delicti *vere probabilis* a parocho commissi, quae notitia nempe solidis nitatur rationibus; *b*) ut praevideatur delictum, modo occultum, probabiliter divulgatum iri; *c*) ut huiusmodi divulgatio grave scandalum in populo allatura praevideatur. Haec *triplex circumstantia* existimanda relinquitur Ordinario, non exclusis tamen examinatoribus synodalibus.

Discrimen inter praecedentem et hanc causam manifestum: ista respicit periculum amissionis famae, illa amissionem famae de facto iam existentem. Legislator in priori casu consulit per remotionem periculi, in altero per remotionem causae amissionis famae.

5° *Mala rerum temporalium administratio* cum gravi ecclesiae aut beneficii damno; quoties huic malo remedium afferri nequeat sive auferendo administrationem parocho sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

Requiritur et sufficit grave damnum ecclesiae vel beneficii paroecialis aut *certum* aut *vere probabile*,

(5) De praescriptione actionis poenalis vide can. 1702 ss.; Cappello, op. cit., p. 40 s.; Wernz-Vidal, VI, n. 365; Besson, l. c., p. 714.

sive *iam existens* sive *obventurum*, ex mala bonorum temporalium administratione. Nihil interest utrum id proveniat ex *culpa* parochi an ex mera *ineptitudine*. Bonum ecclesiae et beneficii praevalet bono parochi: damnum, quod illis imminet, tempestive praecavendum.

548. 4. *Modus procedendi in amotione administrativa parochi inamovibilis* complectitur tres gradus a Codice accurate praefinitos, qui sunt: 1° *invitatio ad renuntiandum;* 2° *decretum amotionis;* 3° *recursus* contra decretum seu *revisio actorum* (6).

1° *Invitatio ad renuntiandum.* a) Ante omnia Ordinarius (Episcopus, Vicarius capitularis, etc., non autem Vicarius generalis sine mandato speciali), *auditis* duobus examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus (7), invitare debet parochum ad renuntiandum paroeciae intra certum tempus, nisi, ut patet, agatur de parocho vitio mentis laborante, quippe qui actum renuntiationis validum emittere non valet.

Invitatio fieri potest sive *scripto* sive *oretenus*, legitima tamen forma, et, *ut acta valeant*, continere debet causam quae Ordinarium movet ad invitationem faciendam et argumenta quibus ipsa innititur (can. 2148). Id optimo consilio statuitur, nimirum ut parochus legitime se defendere valeat (8). Haec invitatio est *iuridica*, nullatenus confundenda cum *mere*

(6) Ex Decreto « *Maxima cura* » idem erat procedendi modus pro amotione parochi inamovibilis ac pro amotione parochi amovibilis.

(7) Ex Decreto « *Maxima cura* » (can. 9) requirebatur *consensus* examinatorum; hodie sufficit *consilium*.

(8) Sedulo caveat Ordinarius communicando causam amotionis et argumenta, ne patefiant nomina testium et recurrentium, si ii secretum petierint, aut, licet secretum non petierint, si praevideatur eos vexationibus et molestiis expositura iri, praetereaque ne populi offensio, rixae aut quaerelae excitentur. Cfr. Decretum « *Maxima cura* », can. 11; Cappello, op. cit., p. 94.

paterna quae potest sane praemitti, imo generatim suadenda, at absolute requisita non est.

b) Si parochus *renuntiet*, Ordinarius paroeciam vacantem *ex renuntiatione*, non vero ex alia causa, declarare debet. Potest parochus loco causae ab Ordinario invocatae, aliam ad renuntiandum afferre sibi minus molestam et gravem, dummodo vera et honesta sit, ex. gr. ut obsequatur desideriis Ordinarii. Renuntiatio rite facienda est ad normam can. 186 (n. 299), eique parochus apponere potest conditionem, dummodo ab Ordinario legitime acceptari possit ac revera acceptetur (can. 2150).

c) Si parochus velit oppugnare causam adductam ab Ordinario ad invitationem faciendam, id agere valet; in hunc finem potest etiam petere et obtinere ab Ordinario dilationem ad probationes afferendas, dummodo dilatio in animarum detrimentum ne cedat (can. 2151).

2° *Decretum amotionis*. *a*) Si parochus intra praefinitum tempus *nec* renuntiet *nec* dilationem postulet *nec* causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit *et* invitationem ad renuntiandum, rite factam, parocho innotuisse *et* ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse, eum statim a paroecia amoveat, quin teneatur praescripto can. 2154 de amoti provisione (can. 2149; cfr. n. 550).

Istae conditiones ad validitatem decreti amotionis postulantur. Parochus in casu graviter spernit auctoritatem Ordinarii proprii ideoque rigidius contra ipsum procedendum.

b) Si parochus rationes afferat contra invitationem ad renuntiandum, eas Ordinarius, *ut valide agat*, debet, auditis iisdem examinatoribus de quibus supra, perpendere, approbare aut reiicere. Decisio, sive affirmativa sive negativa, decreto significanda est paro-

cho (can. 2152), ita ut, si velit, renuntiare valeat antequam edatur amotionis decretum (9).

c) Si decisio sit negativa et parochus non renuntiet, Ordinarius edere debet decretum amotionis, facta mentione de invitatione ad renuntiandum, de exhibitis a parocho allegationibus ac de requisito examinatorum consilio. Decretum parocho denuntiandum est; at publicari nequit, nisi elapso tempore utili ad recursum interponendum (10).

3° *Recursus contra decretum amotionis cum revisione actorum.* a) Parochus contra decretum amotionis potest intra *decem dies* recursum interponere apud eundem Ordinarium, qui decretum tulit.

b) Ordinarius, *ne invalide agat,* debet, *auditis duobus parochis consultoribus* (cfr. n. 409), novas allegationes a parocho iam productas vel intra decem dies ab interposito recursu producendas, simul cum rationibus primo allatis perpendere, approbare aut reiicere. Decisio, sive favorabilis parocho sive non, eidem novo decreto significanda est (can. 2153).

c) Si decisio fuerit contra parochum, a die novi decreti, quo ipsi id significatur, paroecia vacans censetur, etsi parochus amotus recursum ad S. Sedem interposuerit (n. 551).

549. 5. *Modus procedendi in amotione administrativa parochi amovibilis* complectitur duos gradus tantum, tertio excluso, nempe recursu contra decretum cum actorum revisione (can. 2158-2161).

(9) Si conclusio non sit pro amotione, Ordinarius ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta, quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur. Idque semper fiat, si ex actis constet de culpa parochi, quamvis causa pro amotione decernenda legitima seu sufficiens habita non fuerit. Cfr. Decr. « *Maxima cura* », can. 21; Cappello, op. cit., p. 107.

(10) Cfr. Decr. « *Maxima cura* », can. 20; Cappello, op cit., p. 106 s.

1° *Invitatio ad renuntiandum.* Ordinarius parochum *paterne* monere et hortari debet ut renuntiet, causa indicata. Consilium examinatorum in hac invitatione non requiritur. Duplex igitur discrimen inter hanc et aliam invitationem parocho inamovibili faciendam.

2° *Decretum amotionis.* *a*) Si parochus Ordinarii invitationem formaliter spernat, de qua (n. 548, 2°), statim amotionis decretum edendum est.

b) Si renuat renuntiare, rationes in scriptis reddere debet, quas Ordinarius, *ut valide procedat,* tenetur, auditis duobus examinatoribus, perpendere, approbare aut reiicere.

c) Si Ordinarius cum examinatoribus allatas rationes reiiciat, paternas hortationes ad parochum iterare debet, comminata amotione, si intra congruum definitum tempus, v. g. intra quindecim dies aut mensem, sponte non renuntiet.

d) Elapso tempore praefinito, Ordinarius potest vel iterare adhortationes ac tempus prorogare, vel statim decretum amotionis emittere : quo emisso, paroecia ipso facto vacabit.

e) Parochus recurrere potest ad S. Sedem contra decretum remotionis (n. **551**).

550. 6. Quoad *provisionem* parochi amoti, haec animadvertenda (can. 2154-2156) :

1° Parocho sive amovibili sive inamovibili renuntianti vel amoto Ordinarius, auditis examinatoribus *aut* parochis consultoribus qui partem habuerunt in negotio amotionis, pro viribus consulere debet, *vel* per translationem ad aliam paroeciam *vel* per assignationem alicuius officii aut beneficii ecclesiastici aut pensionis, iuxta peculiares circumstantias.

2° Ceteris paribus, magis favendum est renuntianti quam amoto, item amoto ob causam inculpabilem quam amoto propter causam culpabilem.

3° Provisioni parochi amoti consulendum aut in ipso remotionis decreto aut postea, sed *quamprimum*.

4° Parochus amotus debet quamprimum liberam relinquere domum paroecialem — nisi agatur de infirmo qui e paroeciali domo sine incommodo nequeat alio transferri — et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere.

551. 7. Quoad *recursum* ad S. Sedem haec breviter adnotanda:

1° Fit locus recursui a decreto *definitivo* seu ultimo, non autem a decretis quae pendente adhuc processu eduntur. Hoc tamen non impedit quominus S. Sedes acceptet, si velit, recusum forte interpositum etiam ante emissum definitivum decretum.

2° In casu recursus, omnia acta processus transmittenda sunt ad S. Sedem, seu ad S. C. Concilii.

3° Pendente recursu, Ordinarius nequit *valide* paroeciam alii *stabiliter* seu in titulum conferre.

4° Tempus utile ad recursum faciendum est *decemdium* ab intimatione decreti, supputandum ad normam can. 34, § 3 et can. 35 (11).

5° Huiusmodi recursus, proprie et iuridice loquendo, nec in devolutivo nec in suspensivo potest dici, cum ex una parte amotionis decretum effectum sortiatur, ex alia parte vero Ordinarius paroeciam vacantem alii stabiliter conferre prohibeatur sub poena nullitatis. De utroque modo igitur recursus participare dicendus.

552. Privatio, depositio et degradatio. — Paroecia *in poenam* amittitur 1° per *amotionem poenalem* seu privationem late dictam, cui subest pa-

(11) S. C. C. 12 ian. 1924; *A. A. S.*, XVI, 162.

rochus non residens, vel concubinarius, aut negligens in officiis paroecialibus adimplendis (cfr. can. 2168 ss.); 2° per *privationem* stricte dictam, quae incurritur vel ipso iure ob delicta in iure expressa, post sententiam declaratoriam, vel per sententiam condemnatoriam; 3° per *depositionem* proprie dictam (can. 2303); 4° per *degradationem* (can. 2305).

CAPUT X.

DE VICARIIS PAROECIALIBUS ET RECTORIBUS ECCLESIARUM.

ARTICULUS I.

De vicariis paroecialibus.

553. Notio ac divisio vicariorum paroecialium. — 1. Dicitur *vicarius paroecialis* ille sacerdos, qui *vices* gerit *parochi* in cura animarum exercenda, sive plena gaudeat potestate paroeciali sive non, sive parochum adiuvet sive, eo deficiente, parochi locum teneat.

2. Vicarii paroeciales, pro variis causis ob quas constituuntur, in quinque classes seu species dividuntur. Habentur 1° *vicarii actuales*, qui vocantur etiam *perpetui* (alicubi *vicarii curati*); 2° *vicarii oeconomi;* 3° *vicarii substituti;* 4° *vicarii adiutores;* 5° *vicarii cooperatores*. Haec terminologia Codicis accurate servanda est. De singulis vicariis nonnulla.

554. Vicarius actualis. — 1. Hoc nomine venit sacerdos qui curam animarum gerit in paroecia *pleno iure* personae morali unita (can. 471, § 1).

Dicitur *pleno iure*, i. e. quoad spiritualia ac temporalia, ita ut paroecia in titulum collata sit ipsi personae morali. Huiusmodi est Capitulum, monasterium, collegium, etc. Persona moralis dicitur paro-

chus habitualis eique competit cura animarum *habitualis*, dum vicarius curam *actualem* gerit: unde nomen *vicarii actualis*.

2. Hunc iure *communi* persona moralis *praesentat* Ordinario loci, qui, probe cognita eiusdem idoneitate ad normam can. 459 (cfr. n. 496), *institutionem canonicam* confert. Facultas *libere* designandi ac instituendi vicarium competere potest iure *particulari* Ordinario loci, scil. ex privilegio aut consuetudine vel reservatione facta ab eodem Ordinario si ipsemet dotaverit vicariam sibique reservaverit ius libere eligendi vicarium (can. 471, § 2).

3. Vicario adsignanda est congrua portio redituum arbitrio Ordinarii (can. 471, § 1), vel ab ipsa persona morali solvenda aut aliunde percipienda.

4. Vicarius est *stabilis*, at magnum datur discrimen inter religiosum et alios. Religiosus est *amovibilis*, aequo iure tum ab Ordinario loci tum a Superiore religioso; ceteri omnes vicarii sunt *perpetui* ex parte praesentantis, sed ab Ordinario loci possunt amoveri ad instar parochorum, monito eo qui illos praesentavit (can. 454, § 5; 471, § 3).

Proinde isti vicari per se *inamovibiles* sunt; sed Ordinarius iusta de causa potest eos amovibiles constituere. Pro diverso gradu stabilitatis diversa ratione procedendum in oeconomica amotione, ut supra dictum est (n. 548 s.).

5. *Universa* cura animarum pertinet *exclusive* ad vicarium, *cum omnibus iuribus et obligationibus parochorum* ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana ac laudabiles consuetudines (can. 471, § 4). Persona moralis nullum ius sibi reservare aut vindicare potest. Iura et officia vicarii tum ex iure *communi* eruenda, tum ex iure *particulari*, nempe ex lege dioecesana et legitima consuetudine.

6. Potestas vicarii actualis est ordinaria. Num proprio an alieno nomine eam exerceat ideoque utrum *propria* an *vicaria* sit, controvertitur. Lato sensu vicaria profecto est; stricto sensu, ad normam can. 197, § 2, talis dici nequit, cum vicarius *independenter* omnino a persona morali curam animarum gerat. Porro qui *nomine alterius* potestatem exercet, necessario ab eo dependet eique rationem reddere tenetur de potestatis exercitio : qua obligatione vicarius non obstringitur.

555. Vicarius oeconomus. — 1. Is dicitur, qui *vacante* quacumque de causa *paroecia*, ad eam regendam deputatur, donec novus parochus constituatur.

2. *Constitutio* vicarii oeconomi — *quam primum*, i. e. non ultra tres vel quatuor dies aut quinque facienda — pertinet *ad Ordinarium loci*, habito consensu Superioris, si agatur de vicario religioso (can. 472, 1°).

3. Cum vicarii constitutio interdum aliquod temporis spatium exigat, sapienter statutum est, regimen paroeciae, « *nisi aliter provisum fuerit* », competere, ipso iure ante oeconomi constitutionem, 1° *vicario cooperatori*, et quidem *primo*, si plures sint vicarii ad invicem aliquo modo subordinati, vel *antiquiori*, si omnes sint aequales; 2° *parocho viciniori*, si desint cooperatores; 3° *Superiori domus*, si agatur de paroecia religiosis concredita. Omnes isti debent loci Ordinarium statim certiorem facere de vacatione paroeciae (can. 472, 2°).

Dicitur : « *nisi aliter provisum fuerit* », quia vel Episcopus in singulis casibus vel statuta dioecesana consulere possunt regimini ecclesiae vacantis, ex. gr. per vicarios foraneos.

Parochus vicinior is habendus, qui talis ab Episcopo declaratus fuerit, si plures sint paroeciae va-

canti conterminae. Non solum distantia est attendenda in casu, sed etiam viarum commoditas aliaque adiuncta (1).

4. Vicario oeconomo adsignanda est congrua portio fructuum (can. 472, 1°), aut ex ipso beneficio paroeciali aut aliunde v. g. ex aerario publico.

5. Vicarius eadem iura et officia habet ac parochus (2); at nihil agere valet in paroecia, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut beneficio paroeciali (can. 473, § 1). Ei competit potestas ordinaria et quidem propria.

6. Cessat ab officio, praeter alios modos quibus cessare quis potest ab officio (n. 296), statim ac novus parochus sui officii possessionem ceperit, aut ab ea capienda legitime dispensatus sit. Novo parocho vel oeconomo successori debet coram vicario foraneo aut alio sacerdote ab Ordinario designato tradere clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum quae ad paroeciam pertinent, et rationem reddere accepti et expensi tempore administrationis (can. 473, § 2).

556. Vicarius substitutus. — 1. Est sacerdos cui cura paroeciae committitur tempore quo parochus *vel* legitime abest ultra hebdomadam *vel* privatus beneficio sententia iudiciali ad S. Sedem appellavit (can. 474, 1923, § 2).

2. In casu *legitimae absentiae* ex praevia scripta

(1) Potestas competens vicario cooperatori aut parocho viciniori aut Superiori domus, qui regimen paroeciae ex praescripto iuris assumit ante vicarii oeconomi constitutionem, a nonnullis dicitur *delegata a iure*, ab aliis *ordinaria*. Attento can. 197, § 1, verius dicenda est ordinaria; sacerdos autem qui ea fruitur, parocho aequiparatur ad normam can. 451, § 2.

(2) Alicubi, attenta exiguitate redituum, vicarius oeconomus ex peculiari indulto S. Sedis non tenetur singulis dominicis et festis de praecepto Sacrum facere pro populo.

Si plures paroecias tempore vacationis regat, unam tantum Missam applicare debet pro populis sibi commissis. Cfr. can. 466, § 2; resp. Pontif. Comm. Cod. 14 iul. 1922, ad VI; *A. A. S.*, XIV, 526.

licentia Ordinarii, vicarius substitutus *designatur* a parocho, sed ab Ordinario approbandus est. Si parochus sit religiosus, requiritur etiam approbatio Superioris religiosi, quae tamen non est eiusdem valoris ac Ordinarii approbatio, cum *per se* nonnisi *ad liceitatem* postuletur (3). Si ob repentinam causam parochus a paroecia discedere cogatur, sufficit ad constitutionem vicarii substituti ut parochus Ordinario loci sacerdotem supplentem indicet; qui iure manet in officio donec Ordinarius aliud statuerit.

In casu *privationis beneficii paroecialis*, nominatio vicarii substituti ab ipso Ordinario loci libere fit.

3. Vicario substituto congrua portio redituum assignanda est pro sustentatione, a parocho in casu absentiae, et secundum normas ab Ordinario praefiniendas in casu privationis beneficii.

4. Iste vicarius, legitime constitutus, *ipso iure* locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus absens aliquid exceperint (can. 474). Unde valide ac licite sacramenta administrat, matrimoniis assistit, functiones paroeciales exercet. Parochus *sub poena nullitatis* nihil excipere valet, nec *per se* Ordinarius loci. Potestas vicarii substituti est *ordinaria*.

5. Codex silet de vicario supplente parochum absentem non ultra hebdomadam. Eius potestas non est ordinaria, sed delegata et quidem, nisi aliud expresse constet, ad universitatem causarum.

557. Vicarius adiutor. — 1. Est sacerdos, Ordinarii auctoritate deputatus, qui vicem supplet parochi suis muniis rite obeundis imparis ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve causam (can. 475, § 1).

2. Deputatio vicarii *adiutoris* vel *coadiutoris* spectat ad Ordinarium loci; at si agitur de paroecia reli-

(3) Cfr. resp. Pontif. Comm. Cod. 14 iul. 1922, ad V; *A. A. S.*, XIV, 526.

giosis quacumque ratione concredita. Superiori competit ius praesentandi (can. 475, § 1).

Ordinarius tunc solum licite valet hunc vicarium constituere, cum ita suppleri possit *congrue* parocho infirmo sive impedito; secus bono animarum consulendum per parochi amotionem (can. 475, § 4).

Etiam *parocho invito* potest Ordinarius vicarium adiutorem ob causam canonicam constituere. Iudicium de existentia causae eiusque gravitate Ordinario reservatur (4).

3. Ad *iura* et *officia* quod attinet, haec sedulo animadvertenda :

1° Si adiutor *in omnibus* supplet vicem parochi, imparis omnino suis muniis implendis, omnia iura et officia parochorum propria habet, excepta tantum Missae applicatione pro populo quae parochum gravat (can. 475, § 2). Ratio, quia Sacrum pro populo est onus *reale* (cfr. n. 529). Si parochus sit impotens, aut ipsemet aut Ordinarius loci curare debet ut alter sacerdos applicet, congruo stipendio assignato.

Potestas in casu competens adiutori est ordinaria.

2° Si *ex parte tantum* supplet vicem parochi, eius iura et obligationes *ex litteris deputationis* ab Ordinario datis desumuntur (can. 475, § 2). At statuta quoque dioecesana attendenda sunt, quae praefinire valent modum, rationem et ambitum potestatis vicarii adiutoris.

3° In utraque hypothesi, si parochus sit sui compos, adiutor praestare debet operam suam sub eiusdem auctoritate secundum litteras Ordinarii (can. 475, § 3), cuius est mutuas relationes moderari, ne discordia aut discrepantia forte oriatur.

4. Vicario adiutori assignanda est ab Ordinario loci congrua portio fructuum beneficii paroecialis, nisi aliter sit provisum (can. 475, § 1).

(4) Deputatio vicarii adiutoris *cum iure successionis* in beneficio paroeciali R. Pontifici reservatur (can. 1433).

5. Officium adiutoris cessat revocatione, renuntiatione rite facta et acceptata, cessatione causae seu impedimenti ex parte parochi, huius obitu vel amotione, aliisque modis quibus parochus beneficium paroeciale amittit. Quovis in casu adiutor iurisdictionem servat usque ad momentum quo sacerdos legitime deputatus paroeciae regimen assumit.

558. Vicarius cooperator. — 1. Hoc nomine venit sacerdos in auxilium parochi datus, cum is propter populi multitudinem aliasve causas nequit, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere paroeciae (can. 476, § 1). Praecipuae causae, praeter multitudinem fidelium, sunt: amplitudo territorii, locorum distantia, opera complura caritatis vel pietatis excolenda. Cooperatores possunt esse plures.

Manifestum discrimen inter vicarium adiutorem et cooperatorem. Ille constituitur ob vitium mentis aut corporis parochi; hic ob circumstantias extrinsecas paroeciae.

Cooperator alicubi vocatur *cappellanus, vice-parochus, vicarius, coadiutor*. Optandum ut stricte servetur Codicis terminologia.

2. Cooperator nominatur ab Ordinario loci, *audito parocho*. Id verius ad validitatem, at Ordinarius obligatione non tenetur accedendi ad votum parochi.

Olim designatio cooperatoris iure *communi* ad parochum spectabat cum approbatione Episcopi. Alicubi, v. g. in Italia, Gallia, Austria, Belgio aliisque regionibus, inducta consuetudo ius nominandi cooperatorem Episcopo tribuebat. Haec consuetudo, dummodo centenaria vel immemorabilis, tolerari adhuc potest ad normam can. 5; at practice longe melius est, ut *parochus audiatur* secundum Codicis praescriptum (5).

(5) S. C. Conc., *Zagabrien.* 13 nov. 1920, censuit consuetudinem etiam centenariam, vi cuius Episcopus nominabat vicarios cooperatores *inaudito parocho*, non posse contra praescriptum can. 476, § 3 praevalere. *A. A. S.*, XIII, 43.

Vicarium cooperatorem *religiosum* Superior cui id ex constitutionibus competit, audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eundem approbare (can. 476, § 3). Qua approbatione praesentatus in munere vicarii cooperatoris constituitur.

3. Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia, sive pro determinata eius parte (can. 476, § 2): idque intelligi debet tum de divisione territoriali, tum de fidelium determinata divisione, ex. gr. si alter cooperator constituatur pro fidelibus linguae italicae, alter pro fidelibus linguae gallicae, etc. Nec repugnat cooperatoribus varia negotiorum genera assignari, ita ut alter sacramentis ministrandis, alter puerorum institutioni, alter operibus pietatis et caritatis *principaliter* incumbat.

4. Iura et obligationes cooperatoris ex *statutis dioecesanis*, ex *litteris Ordinarii* et ex ipsius *parochi commissione* desumuntur; « sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii parochi vicem supplere, eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo » (can. 476, § 6). Quidam, perspectis hisce verbis, censent competere cooperatori potestatem ordinariam (6). Haec opinio solide probabilis non est, attento textu atque contextu ad normam can. 18 (7).

(6) Cfr. Fanfani, *De iure parochorum*, n. 308; Matth. a Coronata, *Institutiones iuris canonici*, I, n. 492.

(7) Verba can. 476, § 6 « eius iura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione desumantur » evidentissime ostendunt agi de potestate *delegata*. Verba, quae immediate sequuntur, *obligationem* cooperatoris declarant *vi ipsius muneris*. Scil. cooperator, nisi aliud expresse caveatur, *ratione officii*, seu eo ipso quod est in tali munere constitutus, *debet* vicem parochi supplere eumque adiuvare in universa cura paroeciali. Id locum habebat etiam ante Codicem, et nihilominus iure *communi* ordinaria potestas cooperatori minime competebat. Accedit quod munus cooperatoris *officium* stricto sensu, de quo in can. 145, § 1, non est; porro potestas ordinaria ea dicitur, quae iure adnexa est officio stricte sumpto ad normam can. 197, § 1. Quae, ceteris omissis, etiam praescripto can. 1096, § 1 confirmantur.

Iure *particulari*, nempe ex lege dioecesana aut Concilii provincialis vel plenarii, *ordinaria* quoque potestas potest competere vicario cooperatori, dummodo eiusdem munus sit officium ecclesiasticum stricte sumptum.

5. Cooperator *residere* tenetur *in paroecia* secundum statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines aut Episcopi prescriptum; imo Ordinarius prudenter curare debet, ut in eadem domo paroeciali commoretur (can. 476, § 5).

6. Vicarius cooperator subest parocho, qui eum paterne instruere ac dirigere debet in ministerio paroeciali, eique sedulo invigilare et saltem quotannis ad Ordinarium de eodem referre (can. 476, § 7).

7. Cooperatori congrua remuneratio tribuenda (can. 476, § 1).

Quoad *iura stolae* aliaque emolumenta, haec teneas:

1° Praestationes, quae a fidelibus solvuntur occasione functionum stricte paroecialium, *per se* ad parochum pertinent; *per se*, inquam, i. e. nisi consuetudo, lex dioecesana aut Concilii provincialis vel plenarii, libera voluntas offerentium, conventio inter parochum et cooperatorem legitime inita, aliud statuant.

2° Oblationes factae occasione ministerii ecclesiastici non stricte paroecialis, v. g. ob assistentiam Missis sollemnibus, exsequiis, anniversariis, ob praedicationem verbi divini etc., cooperatori obveniunt, sicut ceteris quibuslibet presbyteris.

3° In praxi attendendum ius *particulare*, praesertim legitima consuetudo et dioecesana statuta (8).

(8) Parochus, qui Missas celebrandas vicario committit, teneturne ipsi *integrum* tradere stipendium quod accipit, an potius *consuetum* tantum, sibi parte eiusdem retenta? Responsio manifesta:

1° Si agitur de Missis *manualibus* sive lectis sive cantatis,

559. Amotio vicariorum. — De vicario *actuali* iam dictum est (n. 553). De aliis ad normam can. 477 haec teneas:

1° Vicarii paroeciales *religiosi* sunt omnes amovibiles ad nutum tum Ordinarii loci tum Superioris.

2° Ceteri vicarii *saeculares* amovibiles sunt ad nutum Episcopi vel Vicarii capitularis, non autem Vicarii generalis sine mandato speciali. Requiritur causa rationabilis, etsi non gravis. Deficiente causa, amotio valida, sed illicita erit.

3° Si vicaria est beneficialis, cooperator removeri potest processu ad normam iuris, non solum ob causas propter quas alii parochi amoveri possunt, sed etiam ob aliam causam, nimirum si graviter defecerit subiectioni parocho debitae in exercitio suarum functionum. Processus potest esse stricte iudicialis et administrativus seu disciplinaris. Videndum num beneficium sit amovibile an inamovibile, cum diversa forma adhibenda sit.

560. Praecedentia vicariorum paroecialium. — Hisce normis regitur (can. 478):

1° Vicarius *actualis* Capituli cathedralis praecedit, sicut parochus ecclesiae cathedralis, omnibus aliis parochis et vicariis dioecesis.

2° Vicarius *oeconomus* censetur ut parochus ideoque ad normam can. 106 (n. 214) spectatur antiquitas promotionis, ordinis aut aetatis.

parochus debet celebranti integrum solvere stipendium, nisi certo constet stipendium ordinario pinguius oblatum fuisse *intuitu personae parochi*.

2° Idem dicendum de Missis *fundatis*, modo ne agatur de iis quae *intuitu officii paroecialis* fundatae fuerint, ita ut pro parte locum teneant congruae paroecialis; quo in casu parochus nonnisi consuetum stipendium cooperatori tradere tenetur.

3° Si agitur de *Missis, quae ad iura stricte paroecialia pertinent*, ut sunt exsequiales vel nuptiales, parochus ordinarium stipendium solvere debet, sibi retenta parte taxam dioecesanam excedente. At forte contraria voluntas offerentium spectanda quoque in casu.

3° Vicarius substitutus et adiutor praecedunt, donec in munere manent, cooperatoribus.

4° Cooperatores praecedunt ceteris sacerdotibus paroeciali ecclesiae addictis.

Articulus II.

De rectoribus ecclesiarum.

561. Notio. — 1. Nomine rectoris ecclesiae hic venit *sacerdos, cui cura demandatur alicuius ecclesiae quae nec paroecialis est nec capitularis, nec adnexa communitati religiosae quae in eadem officia celebret* (can. 479, § 1).

2. Agitur proinde de ecclesia a paroeciali separata atque independente, Episcopo immediate subiecta. Huiusmodi est ecclesia Seminarii, collegii puerorum, etc.

Quare, nomine rectorum, hic non veniunt cappellani religiosarum aut sodalium virorum religionis laicalis, nec *per se* rectores confraternitatum piarumque associationum, nec rectores ecclesiarum quae ex lege fundationis aut praescriptione aut alio titulo iuridico a paroeciali ecclesia dependent.

3. Vox *ecclesiae* late accipienda est, ita ut comprehendat etiam oratoria publica.

562. Nominatio et approbatio rectorum. — 1. Rectores ecclesiarum *libere* nominantur ab Ordinario loci, salvo iure eligendi vel praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu Ordinarii est rectorem *approbare* (can. 480, § 1).

Haec approbatio requiritur etiam si ecclesia pertineat ad aliquam religionem exemptam, v. g. si in eius dominio existat (dummodo tamen ipsa ecclesia exempta non sit aut saltem verificetur conditio de qua in can. 479, § 1); tunc rector *nominatus* a Supe-

riore debet *approbari* a loci Ordinario (can. 480, § 2) (1).

Si ecclesia sit coniuncta cum Seminario aut alio collegio quod a clericis regitur, Superior Seminarii vel collegii est *simul*, i. e. *ipso iure* rector ecclesiae, nisi aliter loci Ordinarius constituerit (can. 480, § 3).

Attento textu et contextu, vox *clerici* stricte sumenda videtur: excluduntur proinde sodales religionis laicalis.

2. Examen speciale ad munus rectoris non exigitur. Attamen ex alio capite Episcopus potest illud urgere, nempe ut rector approbetur ad confessiones audiendas et ad praedicationem.

563. Iura et obligationes rectoris. — 1. Rector, in ecclesia sibi commissa, potest divina officia etiam sollemnia celebrare, exclusis functionibus paroecialibus et salvis legitimis fundationis legibus, dummodo non noceant ministerio paroeciali. In dubio utrum huiusmodi nocumentum adsit necne, Ordinarii loci est rem dirimere atque opportunas tradere normas ad illud vitandum (can. 481, 482).

Vi muneris nulla iurisdictio proprie dicta, etiam fori interni, competit rectori, sed solum quaedam *oeconomica* seu *administrativa potestas*, qua uti valet ad rite administrandam suam ecclesiam quoad spiritualia ac temporalia rectumque ordinem in ea servandum. Unde munus rectoris videtur esse verum officium ecclesiasticum stricte dictum.

« Sine rectoris vel alius legitimi Superioris (2) li-

(1) Quidnam si ecclesia, v. g. coemeterii, hospitalis civilis etc., sit quidem loci Ordinario subiecta, at simul adnexa existat domui religiosae quae in eadem officia celebret? In hoc casu praevalere putamus conditionem *religiositatis*, ita ut non fiat locus praescripto can. 480, § 2, nisi *ex instituto* in tali ecclesia cura animarum, more paroeciali, exerceatur, v. g. in ecclesia carcerum, hospitalium etc.

(2) *Legitimus Superior* non est parochus, ut quidam opinatur

centia saltem praesumpta, *nemini* licet in ecclesia Missam celebrare, sacramenta ministrare, aliasve functiones peragere; haec vero licentia *dari* vel *negari debet* ad normam iuris » (can. 484), scil. quoad Missae celebrationem secundum can. 804, quoad confessionem iuxta can. 874, quoad conciones iuxta can. 1341, § 2, etc. Attamen parochus libere potest ex ecclesia sanctissimam Eucharistiam pro infirmis sumere, si ecclesia paroecialis, iudicio Ordinarii, ita distet ut sine gravi incommodo nequeat ad eam accedi (can. 483, 2°). In aliis casibus parochus indiget licentia saltem praesumpta rectoris, ex. gr. ut in eiusdem ecclesia celebret Missam, matrimonio assistat etc., perinde ac alii sacerdotes.

Habet ius *acceptandi* et *administrandi* bona reparandae ac decorandae ecclesiae divinoque cultui in ea exercendo destinata, atque oblationes in commodum ecclesiae factas (can. 1182, 1536).

Ad ipsum spectat, salva Ordinarii auctoritate, nominatio, moderatio, et dimissio sacristae, cantorum aliorumque ecclesiae inservientium (can. 1185).

Potest ecclesiam reconciliare et benedictionem sacrae supellectilis impertire (can. 1176, 1304, 3°).

2. Rector ecclesiae, sub auctoritate Ordinarii loci ac servatis legitimis statutis et iuribus quaesitis, advigilare debet ut 1° divina officia ad normam sacrorum canonum rite in ecclesia celebrentur; 2° onera fideliter impleantur; 3° bona recte administrentur; 4° sacrae supellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur, et ne quidquam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet (can. 485).

Si ecclesia, Ordinarii iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani nonnisi cum gravi incommodo possint

(Eichmann, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, p. 198), sed vel Ordinarius loci, vel qui vices rectoris gerit, vel Superior religiosus si ecclesia pertineat ad religionem et rector sit religiosus.

eam adire ibique divinis interesse officiis, Ordinarius rectori praecipere valet ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet, catecheticam institutionem atque Evangelicam explicationem tradat (can. 483, 1°) (3).

564. Remotio rectoris. — Rector ecclesiae, etsi ab aliis electus aut praesentatus, est *amovibilis* ad nutum Ordinarii loci ex qualibet iusta causa. Si religiosus sit, amovibilis est ad nutum tam Ordinarii quam Superioris, aequo iure, altero monito (can. 486 iunct. can. 454, § 5).

CAPUT XI.

DE RELIGIOSIS (1)

Articulus I.

De statu religioso in genere.

565. Notio status religiosi. — 1. Status religiosus est stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt (can. 487).

1° *Status* est stabilis vitae conditio ex causa permanenti procedens : unde conditio iuridica personae.

(3) De religiosis etiam exemptis vide praescriptum can. 1334 et 1335.

(1) Cfr. praesertim : Piat, *Praelectiones iuris regularis*, Tornaci, 1905 ; Pellizzarius, *Manuale regularium*, Venetiis, 1647 ; Pellizzarius-Montano, *De monialibus*, Romae, 1755 ; Vermeersch, *De religiosis institutis et personis*, Brugis, 1907 ; Fanfani, *De iure religiosorum*, Taurini-Romae, 1925 ; Biederlack-Führich, *De religiosis*, Oeniponte, 1919 ; Schäfer, *Das Ordensrecht nach dem Codex iuris canonici*, 1923, Creusen, *Religieux et religieuses*, Brugis, 1921 ; Gautrelet-Choupin, *Nature et obligations de l'état*

Tres praecipui *status* in Ecclesia : *laicalis, clericalis* et *religiosus*.

2° *In communi*, i. e. in communitate, sub determinato Superiore et regula. *Vita communis*, quatenus ad statum religiosum requisita exigit *incorporationem* alicui societati approbatae cum *dependentia* ab eodem Superiore, et *cohabitationem* sub eodem tecto cum participatione mensae et aliarum rerum, saltem lato sensu. Unde tria includuntur in vita communi : *a*) regula seu constitutiones; *b*) incorporatio alicui societati atque inde cohabitatio rerumque communio; *c*) dependentia ab uno eodemque Superiore.

3° *Consilia evangelica* sunt virtutes obedientiae, castitatis et paupertatis, a Christo in Evangelio valde commendatae. Susceptione obligationis servandi consilia evangelica, christiani in *completo* statu perfectionis *acquirendae* constituuntur.

4° Obligatio suscipitur per *vota* publica et saltem virtualiter perpetua. Vota sunt fundamentum *stabilitatis*. Debent esse *publica*, i. e. in facie Ecclesiae emissa atque ab Ecclesia acceptata, quia inde oriri debet status *iuridicus*, qui nonnisi ex publica auctoritate ortum habere potest. Vota saltem *virtualiter perpetua* sint oportet, i. e. cum intentione ea renovandi elapso tempore. Tria vota castitatis, paupertatis et obedientiae essentialia sunt : his alia addi possunt ex propriis religionis constitutionibus.

2. Itaque ad statum religiosum hodie tria requiruntur : 1° stabilis modus vivendi; 2° vita communis; 3° consilia evangelica votis publicis et saltem virtualiter perpetuis firmata.

religieux, 1923; Balmès, *Les religieux à vœux simples*, Paray-le-Monial, 1921; Mothon, *Traité sur l'état religieux*, 1923; Thevenot, *Nouveau droit canonique des religieuses*, Paris, 1922; Batandier, *Guide canonique pour les constitutions des instituts à vœux simples*, Paris, 1923.

566. Notio religionis. — Religio est societas a legitima auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt (can. 488, 1°). Dicitur :

1° *Societas* non qualiscumque, sed personalitate iuridica gaudens ex iure positivo ecclesiastico, quae proinde iure personarum moralium regitur.

2° *A legitima auctoritate approbata*, i. e. vel a S. Sede vel ab Ordinario loci. Hodie *approbatio* et quidem *positiva* requiritur omnino.

3° *Secundum proprias leges* seu constitutiones, quibus determinatur finis peculiaris et proprius religionis eiusque regiminis forma, quatenus a Codice non sit praefinita.

4° *Vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda*, sive sint sollemnia sive simplicia. Deficiunt a statu religioso instituta quae vota mere *privata* emittunt, et a fortiori quae nulla aut unum aliudve tantum; item eo ipso e statu religioso excidunt qui *positive* excludunt intentionem renovandi, elapso tempore, vota temporaria.

5° *Ad evangelicam perfectionem tendunt*, non quamcumque, sed *completam*. Hic est finis primarius cuiuslibet religionis; habentur praeterea fines secundarii et peculiares, qui aliam ab alia religione distinguunt (2).

567. Divisio religionum. — Dividuntur religiones :

1° Ratione votorum in *ordines* et *congregationes*, prout sollemnia aut simplicia vota emittant sodales. Habetur ordo, licet non omnes, sed aliqui tantum

(2) De natura perfectionis christianae ac de variis statibus perfectionis in Ecclesia, egregie disserit Gautrelet-Choupin, *Nature et obligations de l'état religieux*, p. 4 ss.

vota sollemnia nuncupent; item si alicubi ex dispensatione S. Sedis simplicia emittant, dummodo *ex instituto* sollemnia sint emittenda (3); secus, religio.

2° Ratione *subiectionis* et *dependentiae* in *exemptas* et *non exemptas*, prout a iurisdictione Ordinarii loci sint subductae necne. Exemptio latissima viget pro ordinibus *clericalibus*, minus lata pro congregationibus, restricta pro ordinibus et congregationibus *laicalibus*.

3° Ratione *ordinationis* in *clericales* et *laicales*, prout ex instituto plerique sodales sacerdotio augeantur necne. *Ex instituto*, inquam, seu ex constitutionibus: non factum, proinde, attenditur. Vox « *plerique* » denotat maiorem partem; at videntur sufficere etiam *plures*, dummodo ex instituto.

4° Ratione *approbationis* in religiones *iuris pontificii* et *iuris dioecesani*, prout, approbationem vel saltem *decretum laudis* a S. Sede obtinuerunt, vel non. Religio *iuris dioecesani* est de iure vigenti congregatio, non ordo.

5° Ratione *paupertatis* in *mendicantes* et *possidentes*: illae ex instituto ne in communi quidem possidere possunt; istae possunt. Mendicantes sunt fratres Minores, Augustiniani, Dominicani, Societas Iesu, Carmelitae, etc. Sunt mendicantes stricto sensu et lato: hi, cum aliqua restrictione, in communi possidere possunt (4); aliter illi.

6° Ratione *regiminis* in *hierarchicas* et *non hierarchicas*. Illae ita reguntur ut moderator supremus super omnes provincias, domos et religiosos in universo orbe potestatem habeat; hae, contra, constant monasteriis *sui iuris*. Attamen etiam istae quandam unionem habent: constituunt sane congregationes mona-

(3) Olim distinctio inter vota sollemnia et simplicia ignorabatur, ideoque divisio religionis in ordinem et congregationem non erat. Cfr. Wernz, III, n. 608.

(4) Cfr. Reiffenst, III, 31, 27; Piat, *Praelectiones iuris regularis*, 1, 30.

sticas, et congregationes monasticae eiusdem ordinis inter se confoederationem habent cum Abate Primate (cfr. can. 488, 8° et 501, § 3).

Congregatio monastica est vera persona moralis, non item verius confoederatio congregationum.

7° Ratione finis *proximi* et *mediorum* in *contemplativas, activas* et *mixtas*, prout principaliter in divinis rebus contemplandis, vel in operibus praesertim corporalibus exercendis, vel in his atque in illis versantur; item in *monachales, militares* et *hospitalares*, quae, militaribus exceptis (quarum sodales vi proprii instituti ad Ecclesiae defensionem ordinantur), in praecedentes reincidunt (5).

568. Nomina. — 1° Quid *religio, ordo* et *congregatio*, iam dictum est (nn. 566, 567).

2° *Domus religiosa* dicitur domus cuiusvis religio-

(5) Haec historice animadvertenda:

1° Prima forma fuit *monastica*. Inde a medio saec. III in Aegypto viri et mulieres complures vitam eremiticam, in deserta loca abeuntes, ducebant. Notissimi sunt S. Paulus et S. Antonius. Postea alia forma accessit, nempe *coenobitica*. Auctor fuit Pacomius. Hoc quoad *Orientem*.

2° Monachismus in *Occidente* iam initio saec. IV existebat. Patriarcha monachorum in Occidente fuit S. Benedictus (480-543).

Ex ordine Benedictino aliae familiae ortae: *Camaldulenses, Vallumbrusani, Carthusiani, Cistercienses*.

3° Dein orti sunt ordines, quibus ex instituto nedum singulorum sanctitas, sed etiam fidelium bonum per munia ecclesiastica obtinendum finis erat. Memoratu digni sunt *canonici regulares, ordines mendicantes* ac praesertim *clerici regulares*, quorum alumni sacerdotium intendunt, ut in salutem animarum clericalia ministeria exerceant. Huiusmodi: *Barnabitae, Theatini, Somaschi, Societas Iesu, Ministri infirmorum*, etc.

4° Recentius ortae sunt *congregationes* votorum *simplicium*, sive virorum sive mulierum. Maximi momenti *iuridice* fuit innovatio S. Ignatii, qui in Societate Iesu alumnos vota simplicia dumtaxat emittentes admisit et expresse declaratum est a Greg. XIII (Const. « *Quanto fructuosius* », 2 febr. 1583, et « *Ascendente Domino* », 25 maii 1584), eos vere religiosos esse.

5° Habentur quoque societates vitae communis *sine votis* aut cum votis mere *privatis*, quarum prima fuit *Oratorium* S. Philippi Neri (1566).

nis (6); *regularis*, quae pertinet ad ordinem; *formata*, in qua saltem sex religiosi professi, etiam votorum temporariorum, degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor sint sacerdotes; secus dicitur *non formata* (7).

3° *Monasterium* est domus regularis monachorum aut canonicorum regularium aut monialium; *monasterium sui iuris* est domus *autonoma*, cuius Abbas est Superior maior.

4° *Provincia* est coniunctio plurium domorum religiosarum sub eodem Superiore, partem religionis eiusdem constituens.

5° *Religiosi* vocantur qui vota, etsi temporaria, in aliqua religione nuncuparunt, sive mares sive feminae; *votorum simplicium*, qui in congregatione religiosa; *regulares*, qui in ordine; *sorores*, religiosae votorum simplicium; *moniales*, religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, etiam religiosae quarum vota sunt quidem sollemnia, sed pro aliquibus locis (non ubique) ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia.

6° *Superiores maiores* sunt Abbas Primas, Abbas Superior congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, supremus religionis moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar Provincialium potestatem habentes (can. 488).

Etiam moderatrix suprema, antistita proprie dicta et abbatissa venit nomine *Superioris maioris*. Vicarii eatenus veniunt Superiorum maiorum nomine, quatenus actu potestas ipsis competat et quidem eadem (aut fere) ac quae competit provinciali (8).

(6) Ad constituendam domum religiosam tres saltem sodales requiruntur, secus persona moralis haberi nequit; semel constituta, manet licet unus tantum supersit (can. 100, § 2, et 102, § 2).

(7) *Granciae, villae hospitia* et *domus stricte filiales* non habent personalitatem iuridicam distinctam a domo a qua dependent.

(8) Tales sunt Vicarii missionum, Superiores missionum, Vi-

569. Regulae et constitutiones. — 1. In ordinibus ante saec. XVI fundatis *regula* est lex fundamentalis, pluribus generatim religionibus communis, ex. gr. regula S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, etc.; *constitutiones* sunt leges, regulae antiquae additae, quae varias religiones *eandem* regulam profitentes distinguunt.

In religionibus clericorum regularium post saec. XVI ortis *constitutiones* generatim vocatae sunt leges fundamentales a S. Sede probatae; *regulae*, normae minutiores ad mentem constitutionum concinnatae.

2. Regulae et constitutiones oppositae Codici, huius promulgatione abrogatae sunt; aliae vim suam retinent. Quoad *privilegia* et *consuetudines*, standum praescripto can. 4, 5 et 613.

3. Singulae religiones debent regulas et constitutiones ad normam Codicis emendare easque emendatas S. C. de Religiosis subiicere; item eidem S. C. subiicere tenentur libros referentes consuetudines usus et preces (9).

570. Praecedentia. — 1. Ex ipsa natura status religiosi, clerus *saecularis* praecedit *religiosis*, hi autem *laicis*; sed in ecclesia propria, religio clericalis praecedit clericis saecularibus, exceptis Capitulis. Etiam religiosae praecedunt laicis, ita tamen ut in processionibus generatim praecedant mulieribus laicis, non viris; *generatim*, inquam, quia consuetudines locorum et mores populi attedendi sunt.

2. Inter varias religiones, normae praecipuae: 1° Religiones clericales praecedunt laicalibus; 2° canonici regulares monachis, hi ceteris regularibus;

sitatores, Custodes, Vice-provinciales etc., modo ordinaria, quamvis vicaria, potestate gaudeant. Attendendum ius peculiare cuiuslibet religionis.

(9) S. C. de Religiosis, 31 mart. 1919, 26 oct. 1921; *A. A. S.*, IX, 339; XIII, 538.

3° ordines congregationibus; 4° congregationes iuris pontificii congregationibus iuris dioecesani. Omnes religiosi in suis ecclesiis praecedunt ceteris quibuscumque.

3. Praecedentia religiosorum eiusdem speciei moderanda est; 1° ex pacifica quasi-possessione, si de hac constet; 2° si non constet, ex antiquitate in loco; 3° si de neutra constet, ex analogia legis et iuris (10). Integra manent privilegia.

4. Inter membra eiusdem religionis: 1° attendendum ius particulare in constitutionibus expressum; 2° si constitutiones nihil dicant, standum consuetudini; 3° si desit ius scriptum et consuetudinarium, recurrendum ad ius commune, de quo in can. 106 et 491.

Articulus II.

De erectione et suppressione religionis provinciae ac domus.

571. Religio. — 1. Institutio aut suppressio *ordinis* est causa maior ideoque Apostolicae Sedi exclusive reservata (1).

(10) Praecedentia inter familias franciscanas regitur Pii X Brevi « *Seraphici Patriarchae* », 1 aug. 1910. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, V, 446.

(1) Ordines antiquiores orti sunt sine ulla *explicita* approbatione S. Sedis. Conc. Lat. IV (c. 9, X, 3, 36; an. 1215) prohibuit « ne quis de cetero novam religionem inveniat ». Sed etiam post hoc Concilium, conditi sunt plures ordines, inter quos quatuor celeberrimi mendicantium a Sede Apostolica *expresse* approbati. Quare Conc. Lugd. II (c. 1, 3, 17, in 6°; an. 1274), iis tantum exceptis, ceteros omnes post Conc. Lat. constitutos immediate aut mediate suppressit, novosque condi iterum prohibuit.

Hoc ius semper viguit; at *ordines* tantum, non autem *congregationes* respiciebat. Mos invaluit ut istae ab Episcopis tolerari et approbari solerent.

2. Episcopus, excluso Vicario capitulari et generali, erigere valet in suo territorio congregationem *iuris dioecesani* (can. 492, § 1).

1° Sed monetur Episcopus ne condat congregationem neve condi sinat, inconsulta S. C. de Religiosis (2).

Licentia S. Sedis requiritur ad liceitatem tantum.

Si agitur de congregatione *tertiaria* necesse est praeterea ut a supremo moderatore primi ordinis suae religioni aggregetur (can. 492, § 1).

2° Habito consensu S. C. de Religiosis, Episcopus decretum formale erectionis emittere potest, ex quo congregatio iuridicam personalitatem acquirit ac proinde persona moralis collegialis efficitur.

3° Congregatio haec, licet in plures dioeceses diffusa, remanet dioecesana, Ordinariorum subiectioni plane obnoxia (can. 492, § 2).

4° Ordinarius loci potest mutare illius constitutiones, exceptis iis quae S. Sedi pro licentia obtinenda exposita fuerunt ab eaque iam recognita; item excipiendus est casus, in quo constitutiones praesentatae fuerint eidem S. Sedi, approbationis obtinendae causa. Si congregatio in alias dioeceses diffusa sit, mutatio fieri nequit nisi de consensu singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus domus erectae sunt (can. 495, § 3).

5° Congregatio dioecesana in alia dioecesi domum constituere non potest nisi de consensu utriusque Or-

Pius X, Mot. propr. « *Dei providentis* », 16 iul. 1906, statuit easdem induci legitime haud posse absque praevia S. Sedis licentia.

Novum ius circa *congregationes* constituit et accuratius praefinivit Leo XIII, Const. « *Conditae a Christo* », 8 dec. 1900. S. C. Ep. et Reg. anno 1901 edidit *Normas* secundum quas ipsa procedere solebat. S. C. de Relig. die 6 mart. 1921 (*A. A. S.*, XIII, 312) *novas normas* edidit, quae cum prioribus, paucis tantum exceptis, concordant.

(2) Pius X Mot. propr. « *Dei providentis* », 16 iul. 1906; S. C. de Relig., *Normae*, 6 mart. 1921; *A .A. S.*, XIII, 312.

dinarii, tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo velit commigrare; Ordinarius autem loci unde excedit, nequit consensum denegare absque gravi causa (can. 495, § 1); si id fieret, ad S. Sedem esset recurrendum.

6° Exstinguitur: *a*) *iuris dispositione*, morte veluti naturali, si per centum annos esse desierit, ut alia quaelibet persona moralis; *b*) *suppressione* facta a competente Superiore, i. e. a S. Sede, non ab Ordinario loci, licet agatur de religione quae unicam domum habet; quo in casu S. Sedes de bonis congregationis exstinctae, salva offerentium voluntate, decernit (can. 102, § 1; 493) (3); *c*) *unione* cum alia religione, item S. Sedi reservata.

3. Congregatio *iuris pontificii* conditur a S. Sede, nempe a S. C. de Religiosis, vel a S. C. de Prop. Fide si religio habeat finem praecipuum inserviendi missionibus.

1° S. Sedes posset directe condere religionem huiusmodi. Quod tamen facere non solet; sed prius religio probatur ut congregatio iuris dioecesani, dein laudatur, postea devenitur ad formalem approbationem. Habetur *a*) decretum laudis, nullatenus confundendum cum litteris laudatoriis; *b*) decretum approbationis congregationis; *c*) approbatio constitutionum ad tempus; *d*) approbatio definitiva (4). Quoad effectus iuridicos, non datur discrimen inter congregationes simpliciter *laudatas* et *formaliter approbatas*.

2° Vi approbationis pontificiae, etiam per solum decretum laudis obtentae, congregatio fit *iuris pontificii*, subtrahitur in multis ab Ordinariorum iurisdictione ac maiorem obtinet autonomiam.

3° Cessat iisdem modis ac congregatio dioecesana.

(3) Bona non pertinent ad sodales congregationis suppressae, ut palam est; sed profecto ex aequitate honestae eorundem sustentationi consulendum.

(4) Cfr. *Normas* an. 1921, n. 3 ss.

572. Provincia. — 1. In religione *iuris pontificii* erectio, innovatio et suppressio provinciarum uni S. Sedi reservatur. Idem dicendum de congregatione monastica. Exstincta provincia, quae bona propria possidere potest, ex his secernenda sunt imprimis quae ut oneribus iustitiae et fundatorum voluntati satisfiat necessaria sunt; de ceteris disponendum iuxta constitutiones si casum praevideant, secus iuxta normas a Capitulo generali vel, extra tempus Capituli, a moderatore generali cum suo consilio statutas (can. 494).

2. Non expedit in provincias dividere religionem *iuris dioecesani*, si in una tantum dioecesi existat. Si ample iam diffusa sit in alias dioeceses, potest dividi in provincias; ad hanc divisionem perficiendam requiritur consensus singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus domus existunt, nisi forte constitutiones peculiarem dispositionem de hac re contineant, salvo iure S. Sedis si conditiones ab ea appositae fuerint in limine fundationis. Idem analogice dicendum de innovatione ac suppressione.

573. Domus. — 1. Intelligitur hoc nomine non solum domus materialis in qua religiosi stabili modo habitant, sed *potissimum* ipsa communitas ab eis constituta, quae vera persona iuridica est (cfr. can. 531).

2. Praevia *conditio* ad erectionem domus cuiuslibet est ut prudenter iudicari possit congruae sodalium sustentationi esse provisum sive ex reditibus propriis sive ex consuetis eleemosynis sive alio modo (can. 496). Controvertitur num adhuc vigeat privilegium antiquum, cannarum dictum (5). Sententia affirmativa vera est, dummodo verificentur conditiones

(5) Ex hoc privilegio multi ordines resistere poterant ne intra spatium 140 cann. (m. 3100 circ.) ab eorum conventibus alius aedificaretur. Cfr. Piat, II, 343.

in can. 4 expressae; in dubio recurrendum ad Sanctam Sedem.

3. Requiritur *licentia* tum *Sedis Apostolicae* tum *Ordinarii loci* ut *valide erigatur*: 1° domus exempta; 2° monasterium monialium; 3° quaelibet domus in locis S. C. de Prop. Fide subiectis.

Requiritur et sufficit licentia solius Ordinarii loci, si agitur de quavis alia domo. Hic nomine Ordinarii nec Vicarius generalis sine mandato speciali nec Vicarius capitularis venit (cfr. can. 369, § 1, 436). Consensus Ordinarii dandus est *in scriptis;* idque verius ad valorem (cfr. can. 497, § 1).

Ad condendam domum *iuris dioecesani* consensus tum Ordinarii originis tum Ordinarii loci obtinendus est. Domus illegitime fundata *iuridice* non existit, ideoque *valide* iuribus et privilegiis frui nequit. Non requiritur consensus ad restituendam domum quae, non formaliter suppressa, nondum a saeculo esse desierit (can. 102, § 1).

4. Religiosi, domo legitime erecta, ius habent in ea exercendi pia opera religionis propria, salvis conditionibus in ipso consensu appositis. Si religio sit *clericalis*, potest habere etiam ecclesiam vel oratorium publicum domui adnexum (can. 497, § 2); quod si domui saltem moraliter, adnexum non sit, alia specialis licentia a loci Ordinario impetranda est (6).

5. In domo iam constituta *libere* fieri possunt *mutationes* quae, salvis legibus fundationis, ad regimen *internum* et disciplinam religiosam solum referuntur. Ut in *alios usus* convertatur eaedem sollemnitates ac in erectione requiruntur (can. 497, § 4). Simplex translatio domus religiosae ex uno in alium situm

(6) Si religiosi acquirant domum cui ecclesia iam adnexa est, requiritur licentia Ordinarii ut possint et illam conservare et alteram *novam* aedificare. Aliter Chelodi (n. 249), at sine solido fundamento, ut videtur.

eiusdem loci sollemnitates non exigit, nisi recidat in novam fundationem (7).

6. *Suppressio* domus *exemptae* S. Sedi reservatur; domus *iuris pontificii* non exemptae fieri potest a supremo moderatore de *consensu* Ordinarii loci; domus *iuris dioecesani* supprimi potest a loci Ordinario *audito* Superiore congregationis, nisi unica sit, quia tunc requiritur beneplacitum S. Sedis, cum talis suppressio aequivaleat exstinctioni ipsius religionis (can. 493). Contra decretum suppressionis iis, quorum interest, datur recursus *in suspensivo* ad S. Sedem (can. 498).

Articulus III.

De regimine religionum.

574. Potestas dominativa et iurisdictionis. — 1. Cuilibet religioni competit necessario potestas *dominativa*, tum quia connaturalis et propria est cuiusvis societatis tum quia religiosi se tradunt plene societati ac voto se obstringunt ad obedientiam erga Superiores, qui eo ipso *dominium* in voventes acquirunt.

Potestas *iurisdictionis* non est connaturalis et propria cuiuslibet religionis, cum non sit societas perfecta. Attamen ex *positiva* concessione R. Pontificis potest competere huic vel alteri religioni, quatenus haec eximitur ab ordinaria Pastorum potestate et per suos Superiores in utroque foro regitur. Talis est religio clericalis exempta (cfr. can. 501, § 1).

2. Potestas *iurisdictionis* est in casu legifera, iudicialis et coactiva; *dominativa* ad sola *praecepta* re-

(7) Leo XIII, Const. « *Romanos Pontifices* », 8 maii 1881. varios casus mutationum distinguit et accurate expendit.

stringitur et ad poenas quae limites *correctionis* non excedant. Huius capaces sunt etiam mulieres (1).

575. Superiores externi.— 1. Religiosi subsunt *R. Pontifici,* cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae (can. 499, § 1). Igitur, praeterquam eiusdem *iurisdictioni,* ut ceteri fideles, subsunt etiam potestati *dominativae,* quae se extendit ad ea omnia eaque sola quae expresse vel tacite in professione promissa sunt, ideoque varia est pro varietate religionum. R. Pontifex suam potestatem in religiosos plerumque exercet per S. C. de Religiosis.

2. *Cardinalis protector,* nisi aliud *expresse* cautum fuerit in peculiaribus casibus, iurisdictione in religionem aut in singulos sodales non gaudet, nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere, sed eius tantum est *consilio* ac *patrocinio* bonum religionis promovere (can. 499, § 2). Iure communi praecipitur religioni Cardinalis protector (2).

3. Iurisdictioni *Ordinarii loci*:

1° Subsunt religiosi omnes *non exempti* (can. 500, § 1). Maior est potestas Ordinarii loci in religiones iuris dioecesani quam in iuris pontificii. Harum sodales subsunt universim *qua fideles* et in nonnullis etiam *qua religiosi,* ita tamen ut Ordinarius loci in iis quae ad internum regimen et administrationem spectant se imiscere nequeat, nisi in casibus a iure expressis (can. 512, 618). Congregationes *iuris dioecesani* subsunt omnino Ordinario loci, sed ad normam iuris (can. 492, § 2) fruuntur quadam libertate atque autonomia in iis quae ad regimen internum pertinent.

(1) Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. I, cap. 8, n. 4 ss.; *De virtute et statu relig.*, tract. VIII, lib. 2, c. 9.

(2) Olim amplissima erat Cardinalis protectoris potestas; postea ob abusus valde coarctata a RR. Pontificibus, usque ad Inn. XII, qui Const. « *Christi fidelium* », 17 febr. 1694, ad modernos limites eam restrinxit. De historica evolutione officii Protectoris vide Larroana in *Commentarium,* VI, 127 ss.

2° Religiosi *exempti* subiiciuntur in casibus dumtaxat a iure expresse determinatis (can. 500, § 1).

3° *Moniales* quae ex instituto sub iurisdictione Superiorum regularium non sunt, plane subiiciuntur Ordinarii loci potestati; quae sunt eorundem iurisdictioni subiectae, subsunt Ordinario loci solum in casibus a iure taxative praefinitis (3).

4. Religiones mulierum, exceptis monialibus ut supra, nequeunt, sine speciali indulto apostolico, subiici religioni virorum aut eius curae et directioni peculiariter committi (can. 500, §§ 2 et 3). Quod intelligendum de modo stabili; singulis in casibus ab Ordinario loci committi potest *ad tempus* cura et directio alicuius religionis.

5. Quoad subiectionem *parocho* haec teneas:

1° Religiosi *exempti* sunt omnino liberi.

2° In religione *clericali*, etiam non exempta, Superiori competit ius et officium ministrandi viaticum et extremam unctionem aegrotis professis, novitiis, postulantibus, famulis, convictoribus, hospitibus in domo diu noctuque degentibus (can. 514, § 1). Satis est ut quis per unum diem aut ad unum diem familiaris sit, ideoque etiam post pauca minuta, ea posita intentione, locus fit praedicto iuris praescripto.

3° In monasterio *monialium* idem ius et officium spectat ad confessarium ordinarium vel ad eum qui eius vices gerit (can. 514, § 2).

4° Quoad alias religiones, nisi Ordinarius loci domos earundem subduxerit a potestate paroeciali ad normam can. 464, § 2 (cfr. n. 493), parochus suam in illas iurisdictionem servat.

5° Ius *sepeliendi* sodales religionis *clericalis* perti-

(3) In Gallia, Belgio et verius America Sept. moniales, quae iure communi essent subiectae Superioribus regularibus, peculiari S. Sedis praescripto, subsunt Ordinarii loci iurisdictioni. Cfr. S. C. de Relig. 22 maii 1919, 23 iun. 1923; *A. A. S.*, XI, 420; XV, 357.

net ad Superiorem, moniales ad cappellanum, ceteros ad parochum (can. 1221, 1230, § 5). Hinc perspicuum discrimen inter ius sepeliendi et ministrandi sacramenta : illud latius in favorem parochi, hoc strictius patet.

576. Regimen internum. — 1. Pertinet in qualibet religione ad *Superiores* et *Capitula*. Ex constitutionibus pendet utrum Capitulum *generale* dumtaxat, an etiam *provinciale* aut *locale* habeatur, quando et quomodo sit convocandum, quaenam negotia in eo tractanda. Plerumque suprema potestas est penes Capitulum generale.

Superiores dividi solent in tres gradus : *generales, provinciales* et *locales*. Iuridice maximi momenti est divisio in *maiores* et *minores* (n. 568, 6°).

2. Omnes Superiores, sive viri sive mulieres, gaudent in subditos potestate *dominativa*. Huius vi possunt praecipere in virtute obedientiae, urgere observantiam regulae vel ab ea dispensandi in singulis casibus, vota irritandi, etc. *Limites* praefiniuntur tum a iure communi tum a constitutionibus (can. 501, § 1).

3. Praeter hanc potestatem, Superioribus *religionis clericalis exemptae* competit quoque *iurisdictio* utriusque fori (4). Haec secumfert potestatem legiferam, iudicialem et coactivam, quae proinde in quavis religione clericali reperitur, exercenda ad normam iuris communis et constitutionum. At non omnes Superiores ea potestate pollent. Generatim iurisdictione in foro externo, praeter Capitula, gaudent Superiores *maiores*, qui proinde nomine Ordinarii veniunt et Praelati sunt (can. 110, 198, § 1).

(4) Principium novum est, omnes religiones clericales exemptas habere iurisdictionem ecclesiasticam. Ante iure *communi* nihil praefinitum. R. Pontifex religiones *exemptas* olim per delegatos regebat, nunc per proprios Superiores ordinarios gubernat, dummodo iurisdictionis capaces, scil. clerici sint.

Num Superiores *locales* iurisdictione utriusque fori gaudeant necne, inspiciendae sunt constitutiones. Si affirmative, Praelati censentur; secus non, i. e. si carent iurisdictione fori externi. In ordine Praedicatorum, priores locales habent potestatem iudicialem.

4. Supremus moderator religionis habet potestatem *universalem*, seu in omnes provincias, domos et sodales, eamque *immediatam*, nisi aliud decernant constitutiones. Provinciales eadem potestate fruuntur, sed coarctata tum causis tum territorio (can. 502).

Superioribus religiosis expresse vetatur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant (can. 501, § 2).

5. Superiores in exercitio suae potestatis tenentur aliquando exquirere sententiam Capituli seu Consilii, ita quidem ut interdum satis sit *audire*, interdum *consensus* requiratur. Consilium habere debent ex iure Codicis omnes Superiores maiores, excepto Abbate primate, et etiam locales saltem domus formatae.

Quoad constitutionem, numerum personarum, munus etc., item quoad casus, praeter eos qui a iure taxative praefiniuntur (can. 516, § 1), attendantur constitutiones et normae communes (can. 101, 105; n. **208** ss.).

577. Constitutio Superiorum. — 1. Supremus moderator *eligendus est*. Superiores provinciales et locales interdum *eliguntur*, interdum *nominantur* a Superioribus maioribus vel solis vel de consensu Consilii, secundum cuiusvis religionis constitutiones.

Antistita in monasteriis monialium *eligenda* est (can. 506, §§ et 2).

2. Ut *valida* sit constitutio Superioris *maioris* requiritur: 1° ut a decem annis primam professionem in *eadem* religione emiserit; 2° ut ex legitimis nuptiis natus sit; 3° ut triginta annos expleverit, imo quadraginta si agitur de supremo moderatore aut de anti-

stita monialium. Praeterea firmae manent *inhabilitates*, quas ius commune vel ad quocumque officium ecclesiasticum vel peculiariter ad officium religiosum statuit, et religionis *constitutiones* quae provectiorem aetatem aut potiora requisita postulent (can. 504). De *minoribus* Codex nihil dicit ideoque standum constitutionibus.

3. Superiores *maiores* debent esse *temporarii*, nisi aliud ferant constitutiones; *locales* ultra *triennium* constitui nequeunt, quo exacto possunt ad idem munus iterum assumi, sed non tertio immediate in *eadem* domo (can. 505). In Italia antistitae monialium regimen ad triennium omnino limitatur (5).

Id servandum est etiam si hi Superiores praesint scholis, hospitalibus, Seminariis, collegiis etc., dummodo sub sua potestate habeant alios religiosos etiam quoad religiosam disciplinam (6). Nil vetat quominus iusta de causa Superior localis cesset qua Superior religiosus, et maneat qua Superior scholae, hospitalis, Seminarii etc.

4. Electio facienda est iuxta normas iuris communis et constitutiones eidem non contrarias (can. 507, § 1). In religione *virorum*, si eligendi sint Superiores maiores, omnes et singuli de capitulo, antequam procedant ad electionem, iureiurando promittere debent se electuros quos coram Deo eligendos existimaverint (can. 506, § 1).

Praefinire *locum* ubi capitulum celebretur, pertinet ad Superiores religionis, numquam ad loci Ordinarium. Id valet etiam pro congregatione iuris dioecesani (cfr. can. 162) (7).

(5) S. C. de Relig. 9 mart. 1920; *A. A. S.*, XIII, 365. Ante Codicem mos erat ut *fundator* vel *fundatrix* regimen ad vitam retineret, licet constitutiones statuerent moderatorem supremum fore temporarium. S. C. de Relig. 25 febr. 1922 declaravit speciale *indultum* apostolicum ad id requiri. *A. A. S.*, XIV, 163.

(6) Comm. Pontif. Cod. 2-3 iun. 1918; *A. A. S.*, X, 344.

(7) S. C. de Relig. 17 iun. 1921; *A A. S.*, XIII, 481.

Forma electionis ordinarie est scrutinium; excluditur quasi-inspiratio, non autem compromissum. Vetatur omnino *procuratio* suffragiorum, sive directa sive indirecta, tam pro se quam pro aliis; quod tamen non prohibet quominus cuiusque merita serio perpendantur, informationes prudenter postulentur et consilium opportunum exquiratur (8).

Electio plerumque perficitur acceptatione; ius commune non exigit confirmationem, at interdum ius peculiare seu constitutiones.

Solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur, admitti potest *postulatio* (can. 507, § 3). Si constitutiones permittant ut Superiorissa generalis iterum eligatur, *tertio* id fieri nequit nisi per postulationem (9).

5. Peculiaria praescripta habentur de electionibus *mulierum*.

1° In monasteriis *monialium*, comitiis eligendae *antistitae* praesidere debet, quin clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus (ad quod munus assumi nequeunt ipsarum confessarii ordinarii), si moniales eidem subiectae sint; secus, Superior regularis; sed etiam in hoc casu, Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse (can. 506, § 2).

2° Electioni *antistitae generalis* cuiuslibet congregationis praeest, per se vel per alium, Ordinarius loci ubi fit; si religio est iuris pontificii, perficitur acceptatione, si iuris dioecesani *confirmatione* Ordinarii assi-

(8) Huc usque exclusum erat *compromissum*, ex Conc. Trid. (Sess. XXV, cap. 6 de reg.), sed admittebatur ut forma valida *compromissum limitatum*, quod scil. fit ea conditione ut compromissarii exquirant per scrutinium vota singulorum atque illum eligant, in quem maior pars consenserit. Huiusmodi forma servari potest.

(9) S. C. de Relig. 9 mart. 1920; *A. A. S.*, XII, 365.

stentis (10), qui pro suae conscientiae officio confirmare aut rescindere valet (can. 506, § 4). Ordinarius non potest antistitam generalem constituere, nisi forte ex iure devolutivo (can. 178, 181, § 2); nec potest *dirimere* paritatem post tertium scrutinium, quia ius ferendi *suffragium* in comitiis ei non competit.

578. Obligationes Superiorum. — Communes Superioribus obligationes sunt istae:

1° *Residentia*, quatenus tenentur in sua quisque domo commorari, nec ab eadem discedere valent, nisi ad normam constitutionum (can. 508). Idque tum de localibus tum de maioribus Superioribus valet: his tamen frequentius quam illis a sua domo legitime discedere licet.

2° *Publicatio* decretorum S. Sedis quae religiosos respiciunt, et *cura* ut fideliter *executioni* mandentur (can. 509, § 1).

3° *Lectio constitutionum et decretorum S. Sedis. Superiores* locales curare debent ut constitutiones *saltem semel in anno*, statis diebus, publice in qualibet domo legantur, itemque decreta quae Sedes Apostolica legenda *praescribet* (can. 509, § 2, 1°). Igitur quae in *posterum*, non quae *huc usque* erant praescripta.

4° *Religiosa institutio*. Superiores locales curare debent ut saltem bis in mense *christiana catechesis* tradatur conversis et familiaribus; ac praeterea *pia exhortatio* ad omnes de familia, item bis saltem in mense, praesertim in religionibus laicalibus (can. 505, § 2, 2°).

5° *Administratio temporalis*, de qua n. 592.

6° *Relatio ad S. Sedem*. *a*) Hanc exhibere tenentur Abbas primas, Abbas praeses congregationis mo-

(10) S. C. de Relig. 17 iun. 1921; *A. A. S.*, XIII, 481.

nasticae et *supremus* moderator cuiusque religionis iuris pontificii.

b) Relatio exhibenda est *scripto*, et quidem *quinto* quoque *anno* vel saepius si id ferant constitutiones, in eaque exponi debet status materialis, moralis et disciplinaris religionis.

c) Facienda est relatio secundum formulam reformatam a S. C. de Relig. 25 mart. 1922 (11), eaque subscribenda a moderatore et ab omnibus de consilio et si agatur de congregatione mulierum etiam ab Ordinario loci, in quo suprema Antistita cum suo consilio residet (can. 510).

d) Quinquennia fixa et communia, quae a die 1 ian. 1923 incipiunt, praefinita sunt relationi exhibendae. In *primo* anno eam dare tenentur canonici regulares, monachi, ordines militares; in *secundo*, mendicantes; in *tertio*, clerici regulares; in *quarto*, omnes congregationes virorum; in *quinto*, piae societates virorum sine votis.

Congregationes *mulierum* pro loco ubi domum principem habent: in *primo anno*, ex Italia, Hispania, Lusitania; in *secundo*, ex Gallia, Belgio, Anglia, Hollandia, Hibernia; in *tertio*, ex reliquis Europae regionibus; in *quarto*, ex utriusque Americae partibus; in *quinto* ex aliis partibus ac praeterea piae mulierum societates sine votis (12).

7° *Visitatio canonica*. Superiores *maiores* a constitutionibus designati debent, temporibus in eisdem determinatis, per se vel per alios, si fuerint legitime impediti, omnes domos sibi subiectas visitare (can. 511). Est *ius* et *officium*.

Etiam *Ordinarius loci* est visitator, aut *unicus* et *in omnibus*, aut *una* cum Superiore religioso et *in nonnullis* tantum.

(11) *A. A. S.*, XIV, 278.
(12) S. C. de Relig. 8 mart. 1922; *A. A. S.*, XIV, 161.

Unicus et *in omnibus* est visitator, per se vel per delegatum, quinto quoque anno, monasteriorum *monialium* sibi vel S. Sedi immediate subiectorum et congregationum utriusque sexus *iuris dioecesani* (can. 512, § 1).

Una cum Superiore religioso et *in nonnullis* tantum visitat: *a*) monasteria monialium quae regularibus subduntur, circa ea quae ad clausuram spectant, et per exceptionem etiam circa cetera omnia, si Superior regularis a quinquennio non visitaverit; *b*) singulas *domos* congregationis *clericalis* iuris pontificii etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae; *c*) circa singulas domos congregationis *laicalis* iuris pontificii potest ac debet *praeterea* inquirere de iis quae spectant ad observantiam constitutionum, sanam doctrinam, probitatem morum, clausuram, frequentem sacramentorum susceptionem. Graves abusus, quibus Superiores admoniti opportune non providerint, Ordinarius ipse corrigit, et si res maioris sit momenti quae moram non patiatur illico decernit, at decretum ad S. Sedem deferre debet (can. 512, § 2, 618, § 2).

Visitatio *forma paterna* peragenda. Ius et officium habet visitator religiosos, quos oportere iudicaverit, interrogandi et de omnibus, quae ad visitationem pertinent, inquirendi (13); omnes autem religiosi debent secundum veritatem respondere, nec Superioribus ullo modo fas est, directe aut indirecte, eos a tali obligatione avertere vel finem visitationis aliter impedire. A decretis datur recursus tantum in *devolutivo;* si forte in peculiari aliquo casu, visitator forma iudiciali processerit, tunc datur appellatio in *suspensivo* (can. 513).

(13) Ita procedere potest Ordinarius loci circa ea quae ad clausuram spectant etiam in monasteriis monialium regularibus subiectis. Pontif. Comm. Cod. 24 nov. 1920; *A. A. S.*, XII, 575.

579. Tituli honorifici, consilium, oeconomus, procurator generalis. — 1. Tituli mere honorifici dignitatum vel officiorum prohibentur; *tolerantur* (nota verbum : hinc patet quaenam sit mens legislatoris), si id permittant constitutiones, soli tituli officiorum maiorum, quibus religiosi in propria religione reapse functi sunt (can. 515). Ratio manifesta.

2. Supremus moderator religionis vel monasticae congregationis, item Superior provincialis et etiam localis saltem domus formatae suos *consiliarios* (assistentes, consultores, adiutores) habere debent, quorum *consensum* exquirant (cfr. can. 534, 575, 674, § 1, etc.) vel *consilium* ad normam constitutionum et sacrorum canonum (can. 516, § 1).

Circa modum ferendi sententiam servandum est praescriptum can. 105 (cfr. n. 212).

3. Pro administratione bonorum temporalium haberi debent *oeconomi* : *generalis* pro tota religione, *provincialis* pro provincia, *localis* pro domo. Hi omnes suo officio fungantur sub auctoritate et vigilantia Superioris.

Superior nequit munus oeconomi *generalis* vel *provincialis* gerere; munus oeconomi *localis* exercere valet Superior *in casu tantum necessitatis* ideoque per modum exceptionis (can. 516, §§ 2 et 3).

Officium oeconomi compatibile est cum officio consiliarii; item verius officium oeconomi generalis aut provincialis cum officio Superioris localis.

4. Quaelibet *virorum* religio *iuris pontificii* habere debet *procuratorem generalem*, iuxta constitutiones designatum, qui negotia religionis cum S. Sede agat (can. 517, § 1). Necesse est ut ad illam pertineat religionem, cuius negotia geruntur et habitualiter Romae residere tenetur (14).

Superiores maiores non prohibentur immediate per se ipsi ad S. Sedem recurrere, nisi ex peculiari iure

(14) S. C. de Relig. 4 iun. 1920; *A. A. S.*, XII, 301.

exceptio probetur (15). Dum singuli religiosi generatim nequeunt directe per se agere apud Sedem Apostolicam; aliquando tamen S. Sedes etiam singulos recurrentes audit, praesertim si agitur de rebus quae ad eosdem pertinent.

5. Quoad modum constitutionis et cessationem a munere, haec teneas :

1° Consiliari, oeconomi et procurator generalis eliguntur secundum constitutiones; si hae sileant, designantur a Superiore maiore cum *consensu* sui consilii si agitur de *oeconomis* (can. 516, § 4), cum consensu vel consilio aut etiam utroque praetermisso si agitur de consiliariis vel de procuratore generali.

2° Manent in officio iuxta tempus praefinitum in constitutionibus; si agitur de procuratore generali, hic antequam tempus exspiret in constitutionibus determinatum, amoveri nequit, Sede Apostolica inconsulta (can. 517, § 2). Si constitutiones sileant, censentur *ad nutum* constituti ideoque manent in munere usque dum expresse aut tacite renuntient vel legitime amoveantur. Ipse procurator generalis, si nullum tempus fuerit praefinitum, amoveri potest, inconsulta S. Sede, aliter ac in alia hypothesi.

Articulus IV.

De confessariis.

580. Confessarii virorum. — 1. In unaquaque domo religionis *clericalis* deputandi sunt *plures* confessarii, secundum numerum maiorem aut minorem sodalium (can. 518, § 1).

Iurisdictio conferri potest tum ab Ordinario loci tum etiam, si agitur de religione *exempta*, a Superioribus iuxta constitutiones, cum potestate absolvendi quoque a casibus reservatis in religione. Superiores praedicti possunt delegare, at solum pro subditis suis,

(15) Cfr. resp. Pontif. Comm. Cod. 9 dec. 1917; *A. A. S.*, X, 77.

sacerdotes etiam saeculares vel alterius religionis (cfr. can. 874, 875).

2. Superiores, qui potestatem habent audiendi confessiones, possunt audire confessiones subditorum, qui *sponte sua* ac *motu proprio* accedant; sed omnino cavere debent ne *ullo modo*, directe vel indirecte, eos ad id inducant (1); imo ut valeant *habitualiter* audire confessiones subditorum sponte sua petentium, requiritur gravis causa (can. 518, §§ 2 et 3). Huiusmodi esset v. g. defectus confessariorum, scrupuli et anxietates conscientiae, peculiaris necessitas subditi maximaque ipsius erga Superiorem fiducia, etc.

3. Si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae *quietem*, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio *licita* et *valida* est, *revocato* quolibet contrario privilegio; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis (can. 519).

Quies conscientiae seu causa semper practice haberi censetur, quoties poenitens serio confiteri velit. Hac facultate gaudent etiam *novitii*. Confessio institui potest apud quemcumque sacerdotem approbatum *diversi* quoque ritus (cfr. can. 905).

Si constitutiones *iubent* vel *suadent* confessionem statis temporibus apud determinatos confessarios peragendam, huiusmodi praeceptum vel consilium adhuc manet, salvo tamen praescripto can. 519.

4. In singulis domibus religionis *laicalis* deputari debet confessarius *ordinarius* (unus vel plures, iuxta numerum sodalium) et *extraordinarius*. Iurisdictio confertur ab Ordinario loci; at si religio sit *exempta*, Su-

(1) Ex Clementis VIII Const. « *Sanctissimus* », 26 maii 1593, permissum erat Superioribus regularibus excipere confessiones subditorum etiam habitualiter, dummodo sponte accederent.

S. Off. die 5 iul. 1899 (*A. A. S.*, XXXII, 64) districte prohibuit omnibus Superioribus, exceptis ordinibus, ne eas audirent, nisi in casu necessitatis. Disciplina Codicis sapientissime inducta,

perior habet ius proponendi confessarium (can. 875, § 2).

Praeterea quilibet religiosus postulare potest confessarium *specialem*, etiam habitualem; Superior autem tenetur illum concedere, quin ullo modo petitionis rationem inquirat aut id aegre se ferre demonstret (can. 528).

Etiam sodalibus religionis laicalis conceditur amplissima facultas de qua in can. 519.

5. Ad audiendas confessiones virorum nulla *peculiaris* iurisdictio requiritur, ut ex dictis liquet.

581. Confessarii religiosarum in genere. — 1. Ad audiendas confessiones religiosarum quarumcumque et novitiarum, requiritur *peculiaris* iurisdictio, revocato quovis privilegio (can. 876). Excipiuntur tantum Cardinales, qui *ubique locorum* confessiones etiam religiosarum excipere valent (can. 239, § 1, 1°).

2. Haec iurisdictio *peculiaris* confertur ab Ordinario loci. Si domus est immediate Sedi Apostolicae vel Ordinario loci subiecta, hic eligit confessarios eisque specialem tribuit iurisdictionem. Si domus est subiecta Superiori regulari, hic confessarios praesentat Ordinario loci, qui eos approbat seu iurisdictionem confert (can. 525).

3. Iurisdictio *peculiaris* in casu potest esse vel *generalis* pro omnibus domibus religiosis totius dioecesis vel *specialis* pro una aut altera tantum domo. Quae limitatio per se *ad valorem* est.

4. Confessarii religiosarum, proprie et accurate loquendo, distingui possunt in *ordinarios, extraordinarios, speciales, supplementares et occasionales* (2).

(2) Cfr. Cappello, De *poenitentia*, n. 457. Alii aliter distinguunt, at minus accurate.

582. Confessarius ordinarius. — 1. Singulis religiosarum domibus deputandus est *unus* tantum confessarius *ordinarius* pro universa communitate, nisi ob magnum numerum aliamve causam opus sit altero vel pluribus (can. 529, § 1).

Lex *unius* confessarii pro universa communitate ideo lata est ut procuretur uniformitas directionis spiritualis et praecaveantur abusus. Haec lex non obligat puellas educandas aliasve personas *saeculares* quae cum religiosis vivant.

2. Confessarius ordinarius deputari debet etiam domibus *non formatis* (3).

3. *Libere* eligitur ab Ordinario loci; si monasterium est subiectum Superiori regulari, hic habet ius presentandi, quod si neglexerit, ipse Ordinarius supplet (can. 525).

4. Iste confessarius (item extraordinarius) 1° potest esse sacerdos sive saecularis sive religiosus, hic tamen nonnisi de licentia proprii Superioris; 2° debet esse morum integritate ac prudentia praestans; 3° *quadraginta* annos natus, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, v. g. penuria sacerdotum; 4° nullam potestatem fori *externi* in religiosas habere debet; unde excluditur Vicarius generalis et capitularis, non autem parochus vel canonicus poenitentiarius aut deputatus, quamvis minus expediat ut hic confessarii quoque munere fungatur; 5° prohibetur omnino interno vel externo regimini communitatis se immiscere.

5. Constitui nequit nisi *ad triennium*. Quo elapso, iterum confirmari potest, absque venia S. Sedis, ad secundum ac tertium triennium, *vel* motu proprio Ordinarii ob penuriam sacerdotum *vel* ad petitionem religiosarum, earum quoque quae in aliis negotiis ius

(3) S. C. de Relig. 10 ian. 1920. Cfr. Cappello, op. cit., n. 458.

non habent ferendi suffragium, si maior earundem pars in confessarii confirmationem, per suffragia *secreta*, convenerit, seu petierit ut confessarius confirmetur in munere. Religiosis dissentientibus, si velint, aliter providendum, nempe alius confessarius iisdem deputandus est (can. 526).

Triennium supputatur ad normam can. 34, § 3, 5°. Ultra *tertium* triennium, licet adsit defectus sacerdotum idoneorum aut maior pars religiosarum imo universa communitas consentiat, *sine licentia S. Sedis*, confessarius nequit iterum confirmari.

6. Non potest confessarius ordinarius *immediate* deputari extraordinarius in *eadem* communitate, nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus ordinarius, nisi *post annum* ab expleto munere. Elapso anno, ad utrumque officium denuo habilis est (can. 524, § 2). Ante annum elapsum, extraordinarius immediate fieri potest ordinarius; item ordinarius in *alia* communitate sive ordinarii sive extraordinarii munus *statim* obire valet. In *eadem* communitate ordinarius, expleto munere, concedi potest ut *specialis* uni vel alteri religiosae. Practice id minus expedit (4).

7. Ordinarius loci gravi de causa confessarium ordinarium (item extraordinarium) *amovere* vel *suspendere* potest, licet domus religiosa subsit Praelato regulari et confessarius sit religiosus, nec cuiquam tenetur causam amotionis significare, excepta S. Sede, si ab ea requiratur. De facta amotione vel suspensione Superiorem regularem monere debet, si moniales eidem subsint (can. 527). Patet recursus ad S. Sedem, sed tantum *in devolutivo*.

583. Confessarius extraordinarius. — 1. Singulis communitatibus religiosis dandus est etiam confessarius *extraordinarius*, qui *quater* saltem in anno ad domum religiosam accedat, cui *omnes* religiosae

(4) Cfr. Cappello, op. cit., n. 461.

se sistere debent saltem ut benedictionem accipiant (can. 521, § 1).

Id optimo consilio praescriptum, scil. ut religiosae quae auxilio confessarii extraordinarii indigent, absque difficultate sive pudore ad eum accedere possint. Ut plena libertas religiosis in hac re servetur, cavendum ne confessarius ordinarius eo tempore quo extraordinarius suo munere fungitur, accedat ad religiosam domum seu ne confessiones audiat.

2. Licet *quater saltem* in *anno* ad domum religiosam accedere *debeat* extraordinarius, nihil tamen prohibet quominus *saepius* in decursu anni confessiones audiat (5).

3. Quoad ius eligendi hunc confessarium, quoad eius dotes, aetatem et amotionem huc spectant quae supra diximus (n. 582).

4. Directio spiritualis tum communitatis in genere tum singularum religiosarum *per se* pertinet ad confessarium ordinarium. Extraordinarius summa prudentia hac in re utatur; caveat praeterea ne ullo modo se immisceat regimini interno vel externo communitatis (can. 524, § 3).

5. Extraordinarius iure *communi* non subest legi *triennii*. Ordinarie ad tres vel quinque aut sex annos eligitur; alicubi singulis *trienniis* mutari vel confirmari solet.

584. Confessarius specialis et supplementaris. — 1. « Si qua religiosa, ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem *specialem* confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate » (can. 520, § 2).

(5) Cappello, op. cit., n. 464 s.

1° Iste confessarius *specialis* concedi potest ad tempus indeterminatum, scil. usque dum causa necessitatis vel utilitatis spiritualis maneat.

2° Deputari potest etiam confessarius, qui per triennium munere ordinarii functus est, integro anno a cessationis munere nondum expleto (6). Ipse extraordinarius pro una aliave religiosa munere confessarii specialis vel moderatoris spiritualis fungi valet.

3° In casu specialis confessarius is intelligitur, cui religiosa non una aliave vice tantum confiteatur, sed *habitualiter*.

4° Verba : « ad animi sui quietem *et* ad maiorem in via Dei progressum » sunt intelligenda non solum de *necessitate*, verum etiam de quacumque *utilitate* spirituali prudenter existimanda. Attendenda subiectiva religiosae dispositio. Particula *et* est disiunctiva ideoque *alterutra* causa sufficit. Quae causa ad liceitatem solum, non autem ad validitatem, requiritur. *Practice* religiosa a culpa quavis semper excusata censenda est, quoties sibi persuadet aliquam iustam causam esse confessarium vocandi sibique competere ius eum petendi.

5° Abusus oriri possunt ex parte religiosae, Superiorissae et aliarum. Eos Ordinarius in foro *externo*, confessarius specialis in foro *interno*, salvo sigillo sacramentali, auferre debet, quantum fieri potest, v. g. prudenter dimittendo religiosam quae sine *ulla* causa ad eum accedat (7). Quolibet in casu stricte servari debet principium : « *salva conscientiae libertate* », ita ut in dubio semper praevaleat conscientiae libertas.

585. 2. Singulis domibus religiosarum designandi sunt ab Ordinario loci *aliquot* sacerdotes, ad quos pro sacramento poenitentiae *in casibus particularibus* re-

(6) S. C. de Relig. 20 april. 1917.

(7) S. C. de Relig. decr. « *Cum de sacramentalibus* », 3 febr. 1913, n. 13; S. C. Ep. et Reg. 1 febr. 1892, 5 aug. 1904.

currere facile possint religiosae, quin opus sit ipsum Ordinarium toties quoties adire (can. 521, § 2).

1° Isti confessarii dicuntur *supplementares*, quia revera supplent.

2° Designari debent *aliquot*, tres nempe vel quatuor aut plures, iuxta numerum religiosarum et pro variis adiunctis. Eligi possunt ex *utroque* clero. *Peculiarem* aetatem habere non debent.

3° Qui munere fungitur confessarii *specialis* pro una aliave religiosa, potest esse *supplementaris* pro ceteris, i. e. pro communitate.

4° Religiosa ex designatis quem maluerit expetere potest, quin ullo modo prohiberi queat (8).

5° Confessarii supplementares non adstringuntur lege triennii; quare per plura etiam triennia in munere permanere possunt.

6° Manifestum discrimen inter specialem et supplementarem confessarium : ille *habitualiter* vocatur, hic *in casibus particularibus* sive totius communitatis sive unius alteriusve religiosae.

7° Religiosae petenti denegari nequit confessarius supplementaris, et Antistitae nullatenus licet « *nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegro animo ferre* » (can. 521, § 3).

Haec omnia prohibentur, ad conscientiae libertatem tuendam, sub peculiari poenali sanctione de qua in can. 2414.

8° Si religiosa, *inscia aut invita Superiorissa*, advocaret aliquem ex confessariis supplementaribus, confessio esset semper *valida* et etiam *licita*, aliqua iusta causa existente. *Practice* curandum ne *inscia Antistita*, quoties commode interrogari possit et libenter concessura praevideatur, confessarius advoce-

(8) S. C. Ep. et Reg. 5 aug. 1904.

tur : necesse enim est ut debitus ordo in domo religiosa servetur (9).

586. Confessarius occasionalis. — 1. Is dicitur, qui non deputatur ab Ordinario ad huiusmodi munus obeundum, sed ab ipsa religiosa, iure communi id permittente, eligitur qua confessarius. Quare *occasionalis* est confessarius, quem religiosa adit ad normam can. 522 vel graviter aegrotans arcessit ad normam can. 523, ut statim dicetur.

2. Can. 522 haec statuit : « *Si non obstante praescripto* can. 520, 521, *aliqua religiosa ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur* ».

1° Tres conditiones requiruntur : *a*) ut confessio fiat *ad conscientiae tranquillitatem; b*) ut habeatur approbatio sive iurisdictio pro *mulieribus; c*) ut confessio instituatur in *ecclesia* vel in *oratorio publico* aut *semi-publico* aut in loco *legitime* designato ad audiendas *mulierum* confessiones.

Omnes istae conditiones ad *liceitatem* requiruntur, secunda et tertia etiam ad *validitatem*.

2° Clausula « *ad suae conscientiae tranquillitatem* » idem valet quod clausula can. 519 pro viris : « *ad suae conscentiae quietem* » (cfr. n. **580**, 3).

3° In can. 519 pro viris desunt verba « in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico », quia, ex praescripto can. 910, § 2, « confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet »; dum sedes pro audiendis confessionibus mulierum, ex can. 909,

(9) Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 468 ss.

§ 1, « generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico » collocanda est.

4° Verba « in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico », *proprium* oratorium *religiosarum* nullatenus excludunt (10).

5° Sacristia contigua verius ecclesiae vel oratorio aequiparatur; sed ad liceitatem quod attinet attendendum est praescriptum can. 909, § 1, ex quo « sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper » collocanda est « in loco patenti et conspicuo ».

6° Consulto suppressa fuerunt verba, quae legebantur in decr. S. C. de Religiosis « *Cum de sacramentalibus* », 3 febr. 1913, n. 14 : « Si quando moniales aut sorores extra propriam domum versari contigerit ». Igitur necesse non est ut religiosae *e propria domo egrediantur* et alio se conferant.

7° Interrogata *Pontif. Commissio Codicis* « An verbum *adeat* canonis 522 sit ita intelligendum ut confessarius advocari nequeat per ipsam religiosam ad loca confessionibus mulierum vel religiosarum legitime destinata »; die 28 dec. 1927 respondit : « *Negative* » (11).

Proinde nec ad validitatem nec ad liceitatem confessionis requiritur, ut confessarius *ob aliam causam*, praeterquam excipiendae confessionis gratia, ad domum religiosam accedat. Quare et religiosa potest confessarium consulto *advocare*, et confessarius ad eam ultro *accedere* valet, etiam intuitu confessionis audiendae tantum (12).

8° Requiritur et sufficit ut confessarius sit approbatus « *pro mulieribus* ». At necesse non est ut approbatus sit pro *omnibus* mulieribus, aut pro feminis *saecularibus*. Unde v. g. si quis deputetur ut confes-

(10) Comm. Pontif. Codicis, 28 dec. 1927; *A. A. S.*, XX, 61.
(11) *A. A. S.*, XX, 61.
(12) Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 445 ss.

sarius pro aliqua domo religiosa et aliam iurisdictionem non postulaverit, censetur approbatus *pro mulieribus*, atque proinde adiri potest a quacumque religiosa ad normam can. 522. Imo eo ipso quod approbatus fuit pro aliqua *domo religiosa*, ex mente Ordinarii loci aptior censetur sacerdote approbato dumtaxat pro audiendis confessionibus feminarum saecularium, vel saltem aeque aptus quam talis sacerdos.

9° Can. 522 *accidentali* anxietati, potius quam stabili, consulere intendit. Quare non potest Superiorissa confessarium quemlibet pro mulieribus approbatum rogare, ut pro sua communitate absentem vel impeditum confessarium ordinarium vel extraordinarium suppleat. Neque religiosa ullum habet ius exigendi ut Superiorissa talem confessarium advocet, nisi ipsa graviter aegrotet. Hinc patet discrimen inter confessarium *occasionalem* et *specialem* atque *supplementarem*.

587. 1. Circa locum, utrum eius circumstantia esset ad valorem attendenda necne, magna olim erat controversia.

Ex responso Pontif. Comm. Cod. 20 nov. 1920: « Can. 522 ita est intelligendus, ut confessiones... licitae et validae sint, dummodo fiant in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico aut in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime designato ». Interpretatio est declarativa simul et *extensiva*, quatenus loquitur etiam de « *loco ad audiendas confessiones mulierum legitime designato* », quae verba desunt in can. 522.

Demum eadem Pontif. Comm. interrogata « utrum confessio religiosarum peracta extra loca, de quibus in canone 522 et in responso diei 4 nov. an. 1920, sit tantum illicita, an etiam invalida »; die

28 dec. 1927 respondit: « *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam » (13).

2. Locus *legitime destinatus* is est, ubi mulieres *saeculares* vel *religiosae* confiteri solent (14); nam iuris concessio respicit quaecumque loca et quascunque religiosas, etiam illas quae clausura papali adstringuntur.

Generatim loquendo, locus *legitime* designatus est sedes confessionalis ordinaria in loco patenti et conspicuo collocata, ubi prudenti arbitrio Ordinarii loci confessiones mulierum solent audiri (cfr. can. 909, § 1). Intelligitur profecto etiam locus electus ad normam can. 910, § 1. In aliquo casu particulari et extraordinario locus potest *legitime* designari *hic et nunc* ab ipso confessario aut Superiorissa.

3. Confessio quae fit ad cratem vel ad rotam eritne semper invalida et illicita? *Per se* loquendo, affirmative; at non diffitemur posse dari aliquem casum *exceptionalem* et *extraordinarium*, in quo, attentis peculiaribus circumstantiis, *valide* et *licite* audiri possit confessio etiam ad cratem vel ad rotam (15).

4. Religiosae, ut confessionem instituant in qualibet ecclesia vel oratorio publico vel semi-publico vel in loco ad excipiendas confessiones mulierum designato, nullam praeviam *licentiam* a Superiorissa postulare debent. Si religiosa illegitime egrediatur ut confessarium adeat, *illicitus* erit *egressus*, non vero illicita *confessio*. Qua de re minus accurate quidam auctores loqui videntur.

Superiorissa huiusmodi confessionem prohibere non potest, aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil ei referre tenentur.

(13) *A. A. S.*, XX, 61.

(14) Pontif. Comm. Codicis, 28 dec. 1927. Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 448 ss.

(15) Cfr. Cappello, op. cit., n. 451.

Si delinquat Superiorissa contra hanc legem, monenda et punienda est ad normam can. 2414.

588. 1. Omnes religiosae, cum *graviter aegrotant*, licet absit mortis periculum, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones audiendas approbatum arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere (can. 523).

Duae conditiones requiruntur: 1° ut religiosa *graviter aegrotet;* 2° ut sacerdos sit *approbatus* ad excipiendas confessiones *mulierum*. Utraque ad valorem. Morbus *gravis* non est confundendus cum articulo aut periculo mortis. Unde consulto, et optime quidem, can. 523 dicit: « *licet mortis periculum absit* ». Censetur morbus *gravis*, qui magnam molestiam affert, aut facile periculosus evadere potest; v. g., si religiosa operationem chirurgicam pati debeat; si per unam aut alteram hebdomadam in lecto decumbat; si febri laboret, etc. *Gravitas* morbi moraliter aestimanda, sepositis scrupulis et anxietatibus. In dubio, favendum religiosae.

2. Si religiosa vel Superiorissa aliive exsistimaverint morbum revera esse gravem, et postea ex facto compertum fuerit defuisse gravitatem, non ideo confessio in tali casu peracta tanquam invalida habenda est. Requiritur, et sufficit ut *prudenter* morbus *gravis* existimetur, ita ut absit *fictio* seu deceptio.

3. In praefatis adiunctis, neque Ordinarii loci *consensus* neque Superiorissae *licentia* requiritur ad confessarium vocandum, qui ab ipso iure communi recipit facultatem, in casu, ingrediendi etiam clausuram, servatis debitis cautelis ad normam can. 600, 2°.

4. Superiorissa *graviter* per se peccat, si prohibeat *directe* aut *indirecte* ne religiosa aegrotans advocet confessarium praedictum. Delinquens moneri ac puniri debet ad normam can. 2414.

5. Prescriptum can. 523 late, imo latissime interpretandum est, ut graviter aegrotantibus maxima sit confitendi libertas, in animarum salutem.

589. Manifestatio conscientiae. — 1. Ea hic intelligitur, qua subditus, extra confessionem, manifestat Superiori internos animi sensus, affectus, inclinationes, tentationes etc., ad maiorem profectum spiritualem (16).

2. Omnes Superiores, maiores vel minores, districte vetantur personas sibi subditas, non exclusis novitiis, *quoquo* modo inducere ad manifestationem conscientiae *sibi* peragendam (can. 530, § 1).

Num *aliis* peragendam praecipere valeant, controvertitur. Possunt quidem suadere, imponere verius non valent.

3. Attamen subditi non prohibentur quominus *libere*, i. e. nullo modo inducti, et *ultro*, i. e. nullatenus invitati seu requisiti, animum suum Superioribus aperiant; imo *expedit* ut filiali cum fiducia eos adeant eisque, si sint *sacerdotes*, dubia quoque et anxietates suae conscientiae manifestent (can. 530, § 2).

Ex mente Codicis, igitur, dubia et anxietates conscientiae regulariter manifestanda non sunt Superioribus, qui non sint sacerdotes, et Superiorissis.

590. Cappellani. — 1. Sunt sacerdotes legitime deputati, qui in religionibus *laicalibus* sacras functiones pro religiosis peragunt, et iura quoque paroecialia exercent si religio plena gaudet exemptione (cfr. can. 514, § 3, 529, 1230, § 5).

(16) Huiusmodi manifestatio in plerisque religionibus olim ex instituto facienda erat Superioribus atque Superiorissis. Ob incommoda complura Leo XIII, decr. « *Quemadmodum* » S. C. Ep. et Reg. 17 dec. 1890, abrogavit quamcumque eiusmodi obligationem in omnibus religionibus *laicalibus*, ultroneam dumtaxat manifestationem permittens. Quam disciplinam Codex ad omnes religiones extendit.

Officium cappellani non est incompatibile cum officio confessarii vel moderatoris in foro externo.

2. In religione laicali *non exempta*, Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare (17); in religione *exempta*, Superior regularis eosdem sacerdotes designat eiusque negligentiam supplet Ordinarius (can. 529). Si agitur de domo exempta monialium quae non dependeat a Superiore regulari, designatio cappellani competit Antistitae, salvo iure loci Ordinarii quoad facultatem concionandi (cfr. can. 525, 1338, § 2). Ita solvitur controversia AA. apteque eorum dissensus componi videtur (18).

3. Cappellanus aequiparatur, generatim loquendo, *rectori* ecclesiae, cuius eadem fere habet iura et obligationes. Dicimus *fere*, quia existit revera discrimen (cfr. can. 479, § 2, 610, § 2, 821, § 3, 1193, 1230, §§ 4 et 5, 1345). Functiones stricte paroeciales reservantur parocho, si domus religiosa ab eius potestate totaliter vel partialiter subducta non sit.

Articulus V.

De bonis temporalibus.

591. Capacitas acquirendi et possidendi. — 1. Omnes et singulae tum religiones tum provinciae ac domus sunt personae morales ideoque *iuridica capacitate* gaudent acquirendi et possidendi bona temporalia sive mobilia sive immobilia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in regulis

(17) S. Sedes minus opportunam habet rationem agendi Ordinarii sibi reservantis designationem sacerdotis qui exercitia spiritualia religiosis tradat, licet Ordinarius stricto iure id facere valeat. Cfr. Vermeersch-Creusen, I, n. 598.

(18) Cfr. Fanfani, n. 122; Schäfer, op. cit., 124; Chelodi, n. 250.

et constitutionibus excludatur aut coartetur (can. 531, 1495, § 2).

Exclusio aut limitatio inducta a lege civili nulla atque irrita est: idcirco in foro canonico minime attendenda.

2. Capacitas iuridica ex lege derivatur. Hinc manifesto patet cur excludi aut restringi valeat, cur personis physicis, i. e. religiosis votorum sollemnium denegetur, eorumque religioni, contra, concedatur aut concedi possit.

3. In religione cuius singulae domus gaudent iuridica capacitate, Superior maior vel supremus nequit citra iniustitiam de bonis istarum domorum disponere. Potest quidem Superior maior iustas praestationes imponere, servatis servandis, at nihil amplius.

592. Administratio. — 1. Haec ex ipsa natura ad personam moralem pertinet, ad normam sacrorum canonum et constitutionum peragenda (can. 532, § 1 et 1495, § 2).

1° Legitimi administratores sunt Superiores ceterique officiales ad hoc munus peculiariter deputati, scil. oeconomi (cfr. n. 579).

2° Superiores et oeconomi expensas et actus iuridicos *ordinariae* administrationis *valide* faciunt, dummodo limites suae competentiae non praetergrediantur (can. 532, § 2).

3° Generatim ad ordinariam administrationem referuntur omnes actus iuridici, qui pertinent ad conservationem et meliorationem bonorum, ad fructus producendos et colligendos, ad reditus utiliter et secundum finem praestitutum impedendos (1); actus qui occurrunt frequenter et fiunt sine speciali sollemnitate.

4° Si agitur de pecunia vel reditibus quorum dispositio *libera* commissa est religioni aut provinciae

(1) Collocatio *pecuniae*, si caute et tuto fiat, est actus ordinariae administrationis; secus non.

vel domui, usus pecuniae vel redituum pertinet ad ordinariam administrationem. Si usus est determinatus a pio oblatore, non ideo cessat esse actus ordinariae administrationis, dummodo ad usum praefinitum revera pecunia aut reditus impendantur nec venia S. Sedis requiritur, licet summam 30.000 libellarum excedat.

2. In collocanda pecunia vel in mutatione collocationis factae decernenda servari debent tum sacri canones tum uniuscuiusque religionis constitutiones (can. 532, § 1, 533, §§ 1 et 2).

1° *Collocationis* nomine venit expensio pecuniae ad acquirendam proprietatem, v. g. domum vel fundum, in usum peculiariter permanentem, aut commutatio pecuniae in aliam formam proprietatis, v. g. in actiones aut obligationes Status. Iuridice collocatio non censetur ea qua pecunia traditur privatae personae vel societati commerciali, percipiendi foeneris causa, *cum facultate eam semper repetendi.*

2° Collocatio pecuniae proprie dicta est actus ordinariae administrationis: quare beneplacitum apostolicum non requiritur, etsi agatur de summa ultra 30.000 libellarum.

3° Pro collocatione pecuniae et qualibet collocationis mutatione *consensum Ordinarii loci* obtinere debent ad normam can. 533:

a) Antistita monialium et religionis iuris dioecesani pro collocatione *cuiusvis* pecuniae et quavis collocationis mutatione; imo, si monasterium subest Praelato regulari, huius quoque consensus requiritur.

b) Antistita congregationis iuris pontificii, si pecunia dotem professarum constituat; secus non (2).

c) Superior vel Antistita domus congregationis re-

(2) Ratio cur Antistita monialium consensu Ordinarii indigeat in certis casibus, aliter ac Antistita congregationis iuris pontificii, haec est: *illa* non habet Superiorissam a qua dependeat, *ista*, dummodo ne sit moderatrix suprema, habet.

ligiosae, si qui fundi tributi aut legati sint ad Dei cultum vel beneficentiam eo ipso loco impendendam. Agitur de Superiore vel Superiorissa *locali*. Nomine *fundorum* intelliguntur generatim pecuniae, tituli, actiones etc. Congregatio quaelibet verius intelligenda, sive exempta sive non exempta, quia Codex nullatenus distinguit (3).

Finis taxative praefinitus: *cultus Dei* vel *beneficentia*, i. e. in favorem pauperum, pupillorum, aegrotantium etc. Huc non spectat, si fundi tributi sint ut succurratur indigentiae vel necessitati ipsius domus religiosae seu religiosorum. *Locus* intelligitur paroecia, oppidum, civitas, necnon dioecesis: agitur sane de *loci* Ordinario, cuius consensus exquirendus (4).

d) Religiosus *quilibet*, sive Superior sive non Superior, etiam exemptus si pecunia data sit paroeciae aut missioni, vel religiosis at intuitu paroeciae vel missionis.

Consensus Ordinarii loci ubi eleemosynae pro missionibus colliguntur aut ubi pecunia collocatur, necessarius non est. Non censentur factae paroeciae vel ecclesiae intuitu donationes personales aut quae fiunt alicui religioso qua membro talis communitatis religiosae.

593. Alienatio. — 1. Nomine *alienationis* venit *quilibet actus quo dominium alicuius rei vel in alterum transfertur vel, concesso iure in re, imminuitur.*

(3) Non obstat, aliter ac nonnulli opinentur, praescriptum can. 1550. Hic sane loquitur de *ecclesiis* et de *piis fundationibus* stricte dictis; non ita can. 533, § 1, 3°.

(4) Quidam (Augustine, III, 180 s.) censent eatenus requiri consensum Ordinarii in casu, quatenus Superior vel Antistita velint fundos adhibere in *alium* usum diversum ab illo qui praefinitus fuit a piis oblatoribus. Haec opinio quavis probabilitate caret: mutatio enim voluntatis seu destinationis *uni* S. Sedi reservantur (can. 1517).

1° Quare alienationes sunt : venditio, donatio, permutatio, locatio, constitutio census realis, admissio, hypothecae vel servitutis activae. Aequiparatur alienationi debiti contractio.

2° Non sunt alienationes : mutuum sine hypotheca vel pignore, repudiatio lucri etiam sine iusta causa facta, permutatio titulorum (5), mutatio actionum vel obligationum in alias magis tutas vel frugiferas.

3° Num alienatio dicenda sit consumptio pecuniae in aliquod opus etiam bonum, ex. gr. ad domum erigendam, controvertitur. Practice huiusmodi consumptio alienationi verius aequiparanda.

2. Ius canonicum alienationi nullatenus favet. Ratio manifesta : conditio ecclesiae, si res in abstracto spectetur, inde semper peior fit. Hinc peculiares cautelae servandae.

3. Ad *quamlibet* alienationem requiritur : 1° Iusta causa, ex. gr. solutio debiti, aedificatio domus etc.; 2° licentia legitimi Superioris; 3° aestimatio rei a peritis scripto praevie facta; 4° publica licitatio aut saltem notificatio, et cessio rei alienandae plus offerenti; 5° collocatio pecuniae inde perceptae *tuto* et *utiliter* facienda (can. 1530, 1531, 1532) (6).

Iusta causa, rite tamen intellecta, ad *validam* alienationem requiritur, contra alios, quorum sententia minus probatur; item licentia legitimi Superioris. Cetera ad *liceitatem* tantum postulantur.

4. Quoad *licentiam* requisitam haec attendenda :

1° Pro alienandis rebus pretiosis aliisque bonis quorum valor superat summam 30.000 francorum seu libellarum; item pro contrahendis debitis et obligatio-

(5) Haec ut alienatio habita est a S. C. C. 17 febr. 1906. Ex iure Codicis aliud dicendum.

(6) Si pecunia ex alienatione percepta statim adhiberi velit ad aliquod opus perficiendum, *nova* licentia Superioris requiritur (S. C. C. 12 iul. 1919; *A. A. S.*, IX, 416 ss.), nisi Superior saltem implicite iam consenserit per facultatem alienandi concessam aut agatur de opere omnino necessario et urgenti perficiendo.

nibus ultra praedictam summam, necessarium est beneplacitum apostolicum.

2° Pro alienandis rebus non pretiosis aliisque bonis infra summam praefatam itemque pro contrahendis debitis et obligationibus non ultra eandem summam, requiritur *licentia* scripta *Superioris* competentis ad normam constitutionum cum *consensu* sui consilii per suffragia secreta manifestato; ac *praeterea*, si agitur de monialibus vel sororibus iuris dioecesani, requiritur *consensus* in scriptis *Ordinarii loci*, atque etiam *Superioris regularis*, si monasterium eidem subiectum sit (can. 534).

a) Res *pretiosae* sunt illae, quibus notabilis valor est, artis vel historiae aut materiae causa. *Notabilis* valor certe est infra summam 30.000 libell.; contraria opinio, attento textu et contextu can. 1531, § 1, probabilitate caret. Verius notabilis valor intra 1000 et 10.000 libell. continetur.

b) *Donaria votiva* stricte sumpta, quaecumque ea sint, numquam alienari possunt sine venia apostolica, tum quia agitur de mutanda oblatorum voluntate tum quia extra commercium censentur (7).

c) Valor francorum seu libellarum supputandus iuxta monetam *auream* (8). Id nedum probabile aut probabilius, sed certum nobis est.

d) Scriptura non ad valorem *licentiae*, sed verius ad probationem tantum requiritur.

594. 5. In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita et obligationes, exprimi debent, *sub poena nullitatis*, alia debita et obligationes, quibus religio vel provincia aut domus gravatur. Dicimus *sub poena nullitatis*, quia secus invalida foret venia

(7) S. C. C. 12 iul. 1919 et 14 ian. 1922; *A. A. S.*, XI, 416; XIV, 160.

(8) Cfr. Vermeersch-Creusen, I, n. 607; Fanfani, n. 158; Chelodi, n. 261, nota 3.

Superioris ac proinde invalidus quoque contractus quo debitum aut obligatio suscipitur. Huc tamen non spectant debita et obligationes minoris momenti, utpote quae in ordinaria administratione contenta censentur.

6. Si quis ex diversa causa, sine fraude vel dolo, debitum contrahat bis, ter etc., sed *successive*, aut alienet bis vel ter rem quae infra 30.000 libell. est, licet duo vel tria debita et alienationes excedant 30.000, non requiritur venia apostolica, salvo tamen praescripto can. 1532, § 3; ex quo, si agitur de alienanda re *divisibili*, ex gr. fundo, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent etiam partes antea alienatae; secus licentia *irrita* est.

7. Superiores religiosi et locorum Ordinarii cavere debent ne debita contrahantur, nisi *certo* constet ex reditibus consuetis posse et foenus solvi et intra tempus haud nimis longum summam capitalem restitui (can. 536, § 5).

8. Largitiones, i. e. alienationes *gratuitae*, ex bonis domus, provinciae, religionis, tunc solum permittuntur, cum fiunt ratione eleemosynae vel alia iusta causa (remuneratio aut pietas aut christiana caritas), de venia Superioris et ad normam constitutionum (can. 537, 1535).

9. Male alienantes, praesertim ob defectum requisiti consensus, poenis tum latae tum ferendae sententiae plectuntur (can. 2347) (9).

595. Onus respondendi de debitis et obligationibus. — 1. Persona moralis (religio, provincia, domus) respondet de debitis et obligationibus quae ipsa suscepit, etsi licentiam Superiorum obtinuerit; nec potest onus in aliam refundi, v. gr. a domo in provinciam, si ea solvendo impar fiat (can. 536, § 1).

(9) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 404.

2. Quoad obligationes et debita a *singulis religiosis* contracta, ita distinguendum :

1° Respondere tenetur ipsa persona moralis *a*) si contraxit religiosus *votorum sollemnium* cum *licentia* Superiorum; *b*) si contraxit religiosus votorum simplicium cum *licentia* Superiorum et negotium religionis gesserit. Ea persona moralis (domus, provincia, religio) in utroque casu tenetur, cuius Superior consensum dedit.

2° In ceteris casibus respondere tenetur *personaliter* religiosus.

3° Semper tamen salva manet actio (10) contra eum, sive religionem sive extraneum, qui ex contractu aliquid perceperit.

596. Ratio administrationis reddenda. — 1. Superiores religiosi, perinde ac ceteri Superiores ecclesiastici, non sunt domini, sed administratores bonorum quae ad personam moralem ecclesiasticam pertinent. Quare suae administrationis rationem reddere tenentur, ut omnes alii administratores.

2. Constitutiones cuiuslibet religionis determinant *modum, rationem, tempus* etc. huiusmodi rationis reddendae. Illae proinde sancte ac fideliter servandae (can. 1550).

3. Supremi moderatores rationem reddere tenentur S. Sedi in relatione singulis quinquenniis facienda (11).

4. Ex praescripto can. 535 *Ordinario loci* rationem reddere debent :

1° Antistita *cuiuslibet* monasterii *monialium* etiam exempti (12), semel in anno aut saepius si id consti-

(10) Actio quae in iure romano *de in rem verso* appellatur. Dig. XV, 3; Inst. IV, 7, § 1.

(11) Cfr. decr. « *Sancitum est* » S. C. de Relig. 8 mart. 1922; *A. A. S.*, XIV, 161.

(12) Pontif. Comm. Cod. 24 nov. 1920; *A. A. S.*, XII, 573.

tutiones praecipiant. Si monasterium subsit Praelato regulari, huic quoque ratio reddenda.

Ordinarius loci potest congrua remedia adhibere, etiam removendo oeconomam aliosque administratores. Si monasterium sit Superiori regulari subiectum, eum Ordinarius moneat, ut abusus auferat; quod si ille neglexerit, tunc ipse per se prospiciat. Ratio *gratis* semper reddenda.

2° Superiores domorum congregationis *iuris dioecesani* de universa administratione, quoties Ordinarius voluerit.

3° Antistitae omnium religionum *mulierum*, occasione visitationis et etiam saepius si Ordinarius id necessarium duxerit, de administratione bonorum quae *dotes* religiosarum constituunt.

4° Superior et Antistita *cuiuslibet domus* congregationis iuris pontificii de administratione fundorum et legatorum quae cultus aut beneficentiae causa *domui* tributa sunt, eo ipso loco impendenda, vel *cuivis religioso* intuitu paroeciae aut missionis (can. 535 iunct. can. 533, § 1, 3° et 4°; n. 592, 2, 3°) (13).

Articulus VI.

De admissione in religionem.

597. Vocatio ad statum religiosum. — 1. Certum est omnes homines invitari per *consilia* a Christo data ad perfectionem vitae christianae. Haec est vocatio *generalis* (1).

(13) Codex nec de bonis *religionis* iuris dioecesani nec de fundis et legatis *provinciae* iuris pontificii ullam facit mentionem, an et cui ratio reddenda sit. Plane assentimus Chelodi qui dicit (n. 262) lacunam ex analogia esse supplendam.

(1) Olim principium hoc vigebat: « *monachum aut paterna devotio aut propria professio facit* ». Cfr. c. 1, 3, 6, C. 20, q. 1; c. 2, 11, 12, X, 3, 31.

Parentes infantes, quandoque nondum natos vel conceptos,

2. Num requiratur etiam vocatio quaedam *specialis*, controvertitur (2). Dissensus Doctorum, quorum alii affirmant, alii negant, potius in verbis quam in re consistit. Tota quaestio enim huc spectat: quid veniat nomine vocationis *generalis*, quid nomine vocationis *specialis*.

3. Ex can. 538 « *in religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento, rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus* ». Hisce positis *valide* et *licite* quis admitti *potest* (nota verbum: non dicitur *debet*, cum nullum sit ius).

Recta intentio pertinet ad forum internum, *carentia impedimenti* et *idoneitas* ad onera religionis ferenda ad forum externum.

4. Quidam censent praescriptum can. 538 excludere vocationem *specialem*, cum de ea nulla fit mentio (3). At minus recte (4).

Sane *recta intentio* aut confunditur cum ipsa vocatione *speciali* aut eam necessario supponit. Igitur concludendum, ad statum religiosum requiri aliquam vocationem *specialem* quae consistat in peculiari mo-

monasterio offerebant, qui semel traditi (*oblati*) vitae religiosae perpetuo mancipabantur; ita quidem ut nec ipsi discedere, nec parentes eos reclamare possent, sed solum aliis substituere. Cfr. c. 7, C. 20, q. 1.

Coelestinus III (1191-1198) hanc disciplinam mitigavit, concessa oblato facultate, cum ad annos discretionis pervenisset, eligendi inter vitam monacalem et saecularem (c. 14, X, 3, 31).

Novi ordines institutum oblatorum non receperunt; imo ipse ordo Benedictinus paulatim ab eo recessit. Sublatum fuit a Conc. Trid.

(2) Cfr. S. Thom. 2-2, q. 189, art. 10, ad 3; S. Alph., lib. IV, n. 78; Suarez, op. cit., tract. VII, lib. V, cap. 8 s.; Piat, I, p. 32 ss.; Vermeersch, *De religiosis*, I, n. 123 ss.

(3) Cfr. Prümmer, q. 200.

(4) Cfr. Cappello, in *Gregorianum*, 1928, p. 225.

tione gratiae divinae saltem per rectam intentionem manifestata (5).

598. Postulatus. — 1. Est congruum tempus concessum tum fideli ut experiatur utrum vita religiosa, quam profiteri desiderat, sibi conveniat necne, tum religioni ut ipsa quoque experiatur utrum fidelis idoneus sit an non (6).

2. In religionibus a votis *perpetuis* mulieres omnes, et si agatur de religione virorum, *conversi* seu laici iique soli, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragere debent; in religionibus a votis *temporariis*, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus (can. 539, § 1).

1° Eximuntur proinde a postulatu *clerici* seu qui ad statum clericalem ascendere intendunt; item qui, licet ad religionem laicalem pertineant, non tamen laboribus manualibus, sed litteris docendis sive magisterio exercendo destinantur. Hi enim proprie *conversi* non sunt.

2° Initium postulatus a *cooptatione* incipit. Cooptatio autem nullam peculiarem postulat formalitatem. Quare attendendum ius speciale. Generatim ipso die admissionis seu ingressus in domum religiosam postulatus incipit.

3° Supputatio temporis fit ad normam can. 34, § 3, 3°. Sex menses debent esse *integri*, sed non ne-

(5) At profecto alia est vocatio ad statum religiosum, alia ad statum clericalem. Hic sane non ordinatur aut unice aut saltem praecipue ad personalem sanctificationem, sed *potissimum* ad aliorum sanctificationem.

(6) In *Normis* an. 1901 a S. C. de Ep. et Reg. datis postulatus omnibus novis congregationibus impositus fuerat. Deerat in plerisque ordinibus. Pius X illum primo pro laicis viris, dein pro monialibus lege generali statuit. S. C. de Relig. 1 ian. 1911, 15 aug. 1912, 7 nov. 1916 (*A. A. S.*, III, 29; IV, 565; VIII, 446). Codex ulterius extendit, at maiorem constitutionibus et Superioribus relinquit libertatem determinandi eius durationem.

cessario *continui*, quamvis aliqua continuitas *moralis* postuletur. Absentiae, praesertim ex animo relinquendi religionem factae, supplendae sunt, nisi minimae v. g. ad 10 vel 15 dies.

4° Necesse non est de rigore iuris ut postulatui praecedant litterae testimoniales nec ut candidatus liber sit impedimentis quibus arcetur a novitiatu.

5° Postulatus ex constitutionibus longior sex mensibus esse potest. Contraria opinio est manifeste contra Codicem, qui ait « ad sex *saltem* integros menses » (can. 539, § 1). Codex favet, potius quam excludat tempus diuturnius.

3. De iure *communi* Superior, qui admittit ad postulatum, capituli sive consilii suffragium exquirere non tenetur.

4. Superior *maior* praescriptum tempus postulatus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre (can. 539, § 2). Etiam abbreviatio paucorum dierum postulatus ex causa iusta concedi potest.

5. Postulatus peragendus est *vel* in domo novitiatus *vel* in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servatur sub speciali cura alicuius probati religiosi (can. 540, § 1).

1° Haec ad valorem postulatus non praescribuntur.

2° Probatus religiosus, cuius curae committuntur postulantes, potest esse sacerdos et etiam laicus in ipsa quoque religione clericali.

6. Postulantes induere debent vestem modestam ac diversam a veste novitiorum (can. 540, § 2). Quoad formam et colorem attendendae constitutiones. Necesse non est ut vestis sit religiosa; imo naturae postulatus conformius est ut sit laicalis.

7. In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur (can. 540, § 3).

1° Licentia S. Sedis vel Ordinarii non requiritur ut postulans intra clausuram admittatur.

2° Non incurrit excommunicationem, si forte violet legem clausurae (7).

3° Expleto postulatu, verius licet puellae, ante ingressum in novitiatum, e monasterio exire per paucos dies v. g. parentes invisendi causa, absque peculiari licentia.

8. Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacare debent per octo saltem integros dies et, iuxta prudens confessarii iudicium, generalem anteactae vitae confessionem peragere (can. 541).

9. Mens legislatoris est, ut candidatus idoneus, expleto novitiatu, *statim* novitiatum incipiat. Id tamen non impedit quominus ad paucos dies differatur ingressus in novitiatum. Requiritur enim et sufficit moralis coniunctio inter postulatum et novitiatum.

10. Postulatus est necessarius ex praecepto, at non requiritur de iure communi ad valorem novitiatus aut professionis.

599. Novitiatus. — 1. Est admissio *inchoativa* in religionem, seu tempus probationis, quo durante novitius religionem experitur atque ad eius officia et onera instituitur, religio autem ipsius idoneitatem seu vocationem mature examinat (can. 563, 565, § 1).

2. Ius admittendi ad novitiatum pertinet ad Superiores *maiores* cum suffragio consilii vel capituli, deliberativo vel consultivo iuxta proprias cuiuslibet religionis constitutiones (can. 543).

3. Ut quis admitti valeat ad novitiatum, liber sit oportet ab omnibus impedimentis. Horum alia sunt ad *valorem*, alia ad *liceitatem;* alia iure *communi*, alia iure *particulari* uniuscuiusque religionis determinata.

(7) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 323.

4. Ex can. 542, 1° *invalide* ad novitiatum recipiuntur :

1° Qui a fide catholica *defecerunt et sectae haereticae vel schismaticae adheserunt* (8).

Duplex igitur conditio : *defectio* et *adhaesio*. Haec debet esse externa et publica, v. g. per adscriptionem aut defensionem vel approbationem sectae seu eiusdem doctrinae palam factam. Non comprehenduntur qui nati et educati sunt in secta haeretica vel schismatica, si convertantur; nec verius qui, licet nati a parentibus catholicis et baptizati in Ecclesia catholica, educati tamen fuerunt in secta. Secta stricte sumenda : anglicana, protestantica, etc , non massonica, socialistica aliave eiusdem generis, nisi haec forte in haeresim aut schisma recidat.

2° *Qui decimum quintum aetatis annum non expleverunt* (can. 555, § 1).

Tempus supputatur ad normam can. 34, § 3, 3°, i. e. excluso die nativitatis. Quidnam si duo anni novitiatus praecipiantur ex constitutionibus? Si alter tantum annus est ad valorem, candidatus admitti poterit ad novitiatum, decimo quarto aetatis anno expleto; si, contra, primus annus ex constitutionibus, uti ex iure Codicis, ad valorem requiritur, nonnisi decimo quinto anno expleto admittendus erit candidatus ad novitiatum (9).

3° *Qui vi, metu, dolo inducti religionem ingrediuntur; item ii, quos Superior eodem modo inductus recipit.*

Requiritur *metus* gravis, saltem relative, ab extrinseco incussus. Num etiam *iustus*? Codex consulto inter iustum et iniustum metum haud distinguit, quia metus proprie dictus, incussus ad inducendum aliquem ut coacte ingrediatur religionem, numquam

(8) Pontif. Comm. Cod., 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 476.
(9) Cfr. S. C. de Relig. 3 nov. 1921; *A. A. S.*, XIII, 539.

iustus est. Dolus ex parte candidati esset, si malitiose occultaret Superiori morbum quo laborat. Nihil refert utrum vim, metum aut dolum tertia persona, etiam insciis aut invitis candidato et Superiore admittente commiserit (10).

4° *Coniux, durante matrimonio.*

Obstat quodcumque matrimonium sive ratum tantum sive consummatum, non autem sponsalia. Si coniux, manente vinculo, vitae communionem legitime solverit (v. g. ob adulterium alterius partis; cfr. can. 1129, 1130), impedimentum verius cessat. Practice recurrendum ad S. C. de Religiosis.

5° *Qui obstringuntur aut obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae.*

Requiritur professio valida, sive perpetua sive temporaria, in religione aut iuris pontificii aut iuris dioecesani emissa. Non obstat promissio etiam iurata perseverantiae in societate sine votis publicis. Impedimentum respicit etiam eos qui, votis temporariis expletis, spontanee discesserunt, item eos qui vinculo professionis obstricti fuerunt in eadem religione.

6° *Ii quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari poterunt.*

Delictum debet esse *certum*, sive ecclesiasticum sive civile ideoque in alterutro foro poena plectendum. Poena autem debet *imminere* seu, circumstantiis omnibus perpensis, proximum sit periculum necesse est, quod ea infligatur. Valide recipiuntur criminosi occulti; item qui iam poenam luerunt vel qui, licet rei, in iudicio tamen absoluti sunt.

7° *Episcopus sive residentialis sive titularis licet solum designatus.*

(10) Cogentes viros vel mulieres ad ingrediendam religionem plectuntur excommunicatione nemini reservata (can. 2352). Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 417 ss.

Designatio non habetur sola electione aut praesentatione, sed notificatione nominationis a R. Pontifice vel eius nomine facta v. g. a S. C. Concistoriali. Non requiritur praeconizatio in consistorio, nec eo minus consecratio.

8° *Clerici qui ex instituto S. Sedis iureiurando tenentur operam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.*

Iusiurandum *ex instituto S. Sedis* requiritur: non sufficit proinde iuramentum impositum clericis ab Episcopo ante ordinationem. Ordinati titulo servitii dioecesis aut missionis hoc impedimento non ligantur, quamvis ordinati titulo missionis ex alio capite venia apostolica indigere possint ad religionem ingrediendam. Iusiurandum plerumque est temporarium, quod emittunt alumni quorundam collegiorum Urbis, et est intime connexum cum titulo, ita ut si mutetur forte titulus cesset eo ipso impedimentum (11).

600. 5. Enumeratio a Codice facta impedimentorum, quae *invalidam* reddunt admissionem in religionem, est *taxativa* pro foro externo et iure communi, ita ut omnes antiquas leges abroget. Idem dicas generatim de impedimentis mere *impedientibus* (n. **601**). Impedimenta etiam dirimentia in constitutionibus singularum religionum statuta vim retinent.

De valore admissionis vel professionis ante diem 19 maii 1918 peractae iudicium ferendum est, ad normam can. 10, iuxta ius vetus (12).

(11) Non vetatur statum religiosum suscipere clericus, qui stipendiis non propriis educatus fuerit in Seminario, licet promissione, etiam iurata, spoponderit se expensas soluturum fore. Alumnus Seminarii qui alitur stipendiis publicis et fovet intentionem statum religiosum ingrediendi, hanc intentionem manifestare non tenetur. Cfr. Bened. XIV, Const. « *Ex quo dilectus* » 14 ian. 1747; Vermeersch-Creusen, I, n. 632.

(12) Pontif. Comm. Cod., 2-3 iun. 1918, 16 oct. 1919; *A. A. S.*, IX, 346; XI, 476.

Quidnam de amentibus qui habent lucida intervalla et de filiis familias minoribus?

Amentes, utpote incapaces actuum humanorum, iure naturae ab ingressu in religionem repelluntur. Qui habent tantum lucida intervalla, valide verius admitti nequeunt.

Filii familias minores iure *communi* valide admitti possunt sine consensu parentum. Aliter forte iure *particulari*. Practice consensus exquiratur semper, nisi iusta causa aliud suadeat.

601. 6. Ex. can. 542, 2° valide, sed *illicite* in religionem admittuntur :

1° *Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat quod aliter vitari minime possit.*

Generatim nec Ordinarii consensus nec consilium proprie dictum requiritur : sufficit ut ille certior fiat. Tunc solum opus est Ordinarii consensu, cum urget causa necessitatis, i. e. bonum animarum cui aliter provideri nequeat. Prohibitio in casu est *ad tempus*, usque dum necessitas perduret, et clericos *in sacris* respicit, non ceteros. Ratio sufficiens prohibendi ingressum in religionem non est factum quod clericus expensis dioecesis educatus fuerit in Seminario, licet forte accesserit promissio etiam iurata indemne faciendi Seminarium.

2° *Aere alieno gravati, qui solvendo pares non sint.*

Nullum est impedimentum, si *legitime* quis liberatur aut bonorum cessione aut civili praescriptione aut obligatione solvendi ab ipsa religione suscepta. Item si nulla sit spes satisfactionis debitorum aut vix ulla aut nonnisi post longum tempus.

3° *Reddendae rationi obnoxii aut aliis saeculari-*

bus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias timere possit religio.

Lites et molestiae quoad *religionem* tantum considerantur, sive certae sive vere probabiles.

4° *Filii qui parentibus, i. e. patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria.*

Gravis necessitas moraliter aestimanda, non absolute sed relative, iuxta conditionem socialem familiae. Necesse est ut filius in saeculo remanendo parentibus subvenire valeat. Attendenda quoque est, spectato iure naturali, extrema necessitas oeconomica vel moralis aliorum cognatorum, v. g. fratris aut sororis. Causa iusta non est prava voluntas parentum, qui prohibeant filiis ingressum in religionem, licet civilis lex eis suffragetur.

5° *Ad sacerdotium in religione destinati, si ab illo removeantur irregularitate aut alio impedimento canonico.*

Irregularitas ex *defectu natalium* non obstat, si ante susceptionem ordinum sollemnis professio emittenda sit (can. 984). Item dicendum de quovis impedimento temporaneo, quod tempore ordinationis iam cessasse praevideatur. Haeretici omnes, schismatici et apostatae ex hoc capite arcentur a licito ingressu (cfr. can. 895, 1°); filii acatholicorum arcentur quamdiu parentes in errore manent; non censentur in errore permanere ideoque non est locus prohibitioni, si in errore forte parentes mortui sint. Non obstat practice irregularitas facile dispensabilis, si adsit seria voluntas obtinendi dispensationem.

6° *Orientales in latinis religionibus sine venia scripta data a S. C. pro Ecclesia Orientali.*

Prohibitio non existit pro orientalibus qui ex venia apostolica ritum latinum legitime susceperunt, nec pro iis qui, proprio ritu retento, praeparantur

ad constituendas domos et provincias religiosas ritus orientalis de consensu S. Sedis (14).

602. Documenta ceteraque requisita. — 1. Nonnulla requiruntur, ut de libertate ab impedimentis ac de qualitatibus candidatorum constet, quae vel in ipsa admissione exhibenda sunt vel ei praemittenda (can. 544).

2. Omnes adspirantes in *quavis* religione tenentur exhibere authenticum documentum recepti *baptismi* et *confirmationis*. Satis est testimonium ex libris paroecialibus rite desumptum, quin attestatione Curiae episcopalis opus sit.

3. Adspirantes *viri* exhibere debent *testimoniales* litteras *Ordinarii* originis et cuiusque loci ubi post decimum quartum annum expletum morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio (can. 544, § 2).

Hae litterae requiruntur pro omnibus et solis viris etiam religionum laicalium. Ordinarius *originis* ille est, in cuius dioecesi tempore nativitatis pater candidati domicilium habebat. Si annus non fuerit *moraliter continuus*, et quidem in eadem dioecesi, testimoniales litterae non requiruntur. Non obstant continuitati breves interruptiones infra triginta dies (15).

4. Si agatur de admittendis iis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur *praeterea* litterae testimoniales datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore (can. 544, § 3).

(14) Pontif. Comm. Cod. 10 nov. 1925; *A. A. S.*, XVII, 582.

(15) Peculiaria praescripta pro postulantibus qui servitio militari activo addicti sunt, quae ante Codicem vigebant, hodie vim amiserunt. At pro clericis et novitiis redeuntibus e magno bello peculiares praescriptiones latae sunt de mandato SS.mi a S. C. Consist. decr. « *Redeuntibus* », 25 oct. 1918; *A. A. S.*, X, 481 ss.

1° Hae testimoniales, praeter illas de quibus supra, requiruntur tam pro viris quam pro mulieribus, licet Seminarium, collegium, postulatus aut novitiatus sint in dioecesi originis. Si candidati commorati fuerint tantum ante annum decimum quartum completum, non postulantur; at peti possunt. Contraria opinio iuridice caret fundamento.

2° *Collegium* intelligitur hic stricte ecclesiasticum, cuius alumni scilicet ad vitam religiosam, vel clericalem educantur aut saltem disponuntur, ut sunt v. g. scholae apostolicae. Alumni externi, etsi scholas collegii frequentent, non censentur ad illud pertinere. Si agitur de collegio aut postulatu vel novitiatu eiusdem religionis, testimoniales non requiruntur.

3° Si quis fuerit in pluribus collegiis vel Seminariis etc., non omnium testimoniales necessariae sunt, sed ultimi tantum instituti ubi commoratus est, quia in hisce etiam illae implicite continentur.

4° Requiruntur testimoniales licet commoratio in collegio, Seminario, postulatu aut novitiatu brevis fuerit, i. e. infra annum, non tamen si fuerit brevissima v. g. per paucos dies.

5° Litterae testimoniales a rectore collegii vel Seminarii dandae sunt *audito Ordinario loci*, secus iuridice non valent. Si forte collegium vel Seminarium sit exemptum a iurisdictione Ordinarii, palam est eiusdem consilium nullatenus esse exquirendum.

5. Pro *clericis* admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum commorati sint; tamen et ipsi si in collegio, Seminario, postulatu aut novitiatu *alterius* religionis fuerint, litteras *praeterea* afferre debent de quibus supra (can. 544, § 4).

Ratio manifesta: supponitur regulariter datas fuisse testimoniales ante ordinum susceptionem ad nor-

mam can. 993, 4° et 994. Clericus dicitur qui saltem primam tonsuram recepit.

6. Pro admittendo *religioso*, qui ex venia apostolica ad aliam religionem transit, sufficit testimonium Superioris maioris religionis a qua discedit (can. 544, § 5).

Ratio ut supra: iure supponitur legitime exhibitas fuisse testimoniales in primo ingressu in religionem. Si religiosus ante admissionem in novum novitiatum ultra annum in saeculo manserit, de hoc tempore requiruntur testimoniales.

7. Pro admittendis *mulieribus*, quae in postulatu vel novitiatu aut collegio non fuerint, praeter testimonium baptismi et confirmationis, necesse est ut accurate *investigationes* praemittantur circa earum indolem et mores.

8. Litterae testimoniales gratuito, intra tres menses ab earum requisitione, directe Superioribus religiosis, non autem candidato tradendae sunt.

603. In illis, diligenti investigatione peracta, referre debent de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, censura aut irregularitate aliove impedimento irretitus, num suae familiae necessarius, et si in Seminario, collegio, postulatu aut novitiatu fuit, qua de causa dimissus sit vel sponte discesserit (can. 545, § 4).

Omnes *gravi* obligatione tenetur secundum veritatem referre et quidem, excepto Ordinario, iuramento interposito (16). Qui informationes recipiunt, *secretum* servare debent circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt (can. 546). Si respondeant adspirantem satis non esse sibi cognitum, Superior religiosus suppleat per aliam accuratam inve-

(16) Si iurare nolint, cogendi sunt etiam per poenas. Quod si nihilominus detrectent, res deferenda est ad S. Sedem. S. C. de Relig. 21 nov. 1919; *A. A. S.*, XII, 17.

stigationem ac fide dignam relationem; si nihil respondeant, Superior de recepta responsione S. Sedem certiorem reddat. Si non respondendi iustas causas se habere iudicaverint Superiores interrogati, illas S. Sedi intra trimestre exponere tenentur (can. 545, §§ 2 et 3).

604. Dos. — 1. Pro *mulieribus* peculiare requisitum est *dos*, i. e. summa quaedam pecuniae vel bonorum, quam mulier ingrediens religionem secumferre debet, ut suae sustentationi consulat (17).

2. Omnes *moniales* de iure communi habere debent dotem; *sorores* ex iure particulari, nempe *si* et *quatenus* constitutiones eam postulent (can. 547).

3. *Quantitas* dotis cuiusque religionis constitutionibus aut legitima consuetudine praefinitur. Admittitur etiam titulus aequivalens, ex. gr. diploma magisterii. Pro conversis minor aut nulla exigi solet. Interdum constitutiones facultatem tribuunt Antistitae ex toto vel ex parte condonandi dotem. At quoties taxative praescribitur, *condonari* nequit ex toto vel ex parte sine indulto S. Sedis, si agatur de religione iuris pontificii; sine venia Ordinarii loci, si de religione iuris dioecesani (can. 547, § 4).

Ordinarie dos solvenda est in *numerata pecunia*, cui aequiparantur tituli, actiones, obligationes. Si religiosa afferat bona immobilia, haec ex praescripto can. 549, post primam professionem, alienanda sunt,

(17) Olim vetitum omnino erat aliquid exigere pro ingressu in religionem. Conc. Nicaen. II (an. 787, c. 10) uti *simoniacam* huiusmodi praxim reprobavit. Idem statuitur in Decretalibus (c. 9, 19, 25, 30, 40, X, 5, 3).

At DD. cum S. Thoma docebant prohibitum non esse aliquid recipere non quasi pretium ipsius ingressus, sed pro victu personae. Hinc mos exigendi *dotem*. Quae antiquitus nonnisi pro *monialibus* praescripta erat, recentiore aetate etiam pro *sororibus*. Inde praeformata est Codicis disciplina.

si tuta et fructifera non sint; si vero tuta et fructifera sint, nulla videtur esse obligatio alienandi (18).

4. Dos, ubi agitur de *monialibus*, tradenda est monasterio ante susceptionem habitus vel saltem eius traditio tuta reddenda forma iure civili valida (can. 547, § 2). De *congregationibus* Codex silet, ideoque standum constitutionibus aut consuetudini.

5. Religio *proprietatem* dotis nonnisi post mortem religiosae, quae saltem vota temporaria nuncupaverit, acquirit (can. 548).

6. Post primam professionem dos *collocari* debet in tutis, licitis ac fructiferis nominibus. Ante obitum religiosae dos *nullatenus* impendi potest, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum extinguendum; idque vetatur sub poenali sanctione. Caute et integre administranda est apud monasterium vel moderatricem generalem aut antistitam provincialem. Ordinarius loci sedulo dotibus conservandis *invigilare* ac de eisdem *rationem exigere debet* (can. 549, 550, 2412, 1°).

7. Si religiosa quocumque tempore et quavis de causa, etiam illegitima, discedat, *integra dos* ei *restituenda* est, detractis tantummodo fructibus iam maturis, cum hi iam acquisiti sint religioni pro sustentatione religiosae (can. 551, § 1).

Si moriatur durante novitiatu, licet vota devotionis forte emiserit, dos tradenda est familiae seu haeredibus aut personis ab ipsa novitia designatis (can. 569, § 3).

Si professa ad aliam religionem transeat, huic debetur dos a die novae professionis, fructus vero a die transitus, ex toto vel ex parte, sed tantum quatenus constitutiones aut pactum de expensis tempore novitiatus caveant; in transitu ad aliud *eiusdem* ordinis monasterium, dos *statim* seu a die transitus ipsi ce-

(18) Contraria opinio (Chelodi, n. 267) menti legislatoris et fini legis contraria videtur.

dit (can. 551, 570, § 1). In transitu ad aliam domum eiusdem congregationis religiosae, standum constitutionibus; si hae sileant, idem principium ac supra ex analogia applicandum.

605. Exploratio voluntatis. — 1. Aliud peculiare, praeter dotem, requisitum pro *mulieribus* est *voluntatis exploratio,* quae fieri debet in omnibus et singulis mulierum religionibus, etiam exemptis.

2. Ex praescripto can. 552:

1° Exploratio facienda est *ter*: ante ingressum in novitiatum, ante primam professionem temporariam, ante professionem perpetuam.

2° Ius et officium eam peragendi est penes *Ordinarium loci,* per se, aut, si absens vel impeditus, per delegatum.

3° In eo consistit ut *diligenter* et *gratuito* inquirat utrum adspirans libera omnino voluntate rectaque intentione statum religiosum suscipere intendat.

4° Antistita teneter, *duobus* saltem *mensibus* ante, certiorem facere Ordinarium de proxima admissione ad novitiatum vel ad professionem. Ordinarius saltem *triginta diebus* antea debet explorationem perficere, quam sequetur admissio aut reiectio adspirantis.

606. Initium novitiatus, conditiones, tempus, locus, habitus. — 1. Novitiatus *incipit* susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus determinato (can. 553). Quaedam religiones *proprium* habitum non habent (19).

(19) Antiquitus maxima fuit libertas quoad novitiatus durationem et iuridicos effectus. Innocentius IV primum ordinibus Praedicatoribus et Minorum praescripsit *annum* novitiatus *ad valorem* professionis necessarium.

Bonifacius VIII ad omnes mendicantes hanc disciplinam extendit, Conc. Trid. autem ad omnes religiones (c. 2, 3, III, 14 in 6°; Sess. XXV, cap. 15 de reg.).

2. Ut *validus* sit, novitiatus peragi debet per *annum integrum* et *continuum* atque in *domo novitiatus* (can. 555, § 1).

3. Quoad *tempus* sive *annum* haec animadvertenda :

1° *Annus* dicitur *canonicus*, cum ipso iure communi requiratur. Si constitutiones longius tempus praefiniant, hoc certe servandum est, non tamen ad valorem, nisi id expresse statuatur (can. 555, § 2). Quare in religionibus quae *duos* annos praescribunt, *primus* est *canonicus*, eoque durante omnia stricte servanda quae ius praefinit de novitiorum institutione; in *altero* maior libertas relinquitur, quatenus quaedam moderata occupatio in operibus religionis permittitur, salva spirituali novitiatus disciplina. Novitio nullum independens munus committendum, nec licet eum in aliam domum transferre, nisi per exceptionem et ipsius tantum utilitatis causa; duobus vero ultimis mensibus ante professionem ab omni officio exteriore et in domum novitiatus revocandum est (20).

2° Novitiatus *interrumpitur*, ita ut denuo incipiendus ac integre perficiendus sit, triplici in casu : *a*) si novitius *dimissus* e domo *exierit; b*) si arbitrio suo domum *deseruerit* cum animo non revertendi; *c*) si ultra *triginta* dies sive continuos sive intermissos, extra domum permanserit quavis de causa, quamvis cum licentia Superioris et voluntate revertendi.

Si durante novitiatu quis *iniuste* dimissus atque e domo egressus, postea innocens agnoscitur, novitiatus nihilominus manet interruptus. Nam can. 556, § 1 nullam facit distinctionem.

3° *Non interrumpitur* si infra triginta dies de Superiorum licentia aut vi coactus *extra domum* manserit cum intentione revertendi; sed si absentia sit ultra *quindecim* dies, hoc tempus ad *validitatem* supplendum est; si ultra quindecim dies non sit, tempus

(20) S. C. de Relig., 3 nov. 1921; *A. A. S.*, XIII, 539.

condonari potest a Superiore. Praeterea *non interrumpitur* si novitius in aliam *novitiatus* domum *eiusdem* religionis transfertur: idque tenendum etiamsi distantia sit maxima et transitus ab una in aliam domum *ultra mensem* duret, ex. gr. si novitius ex Italia in Americam aliamve remotissimam regionem transferatur.

4° Tempus absentiae supputandum est de momento ad momentum, ad normam can. 34, § 2.

5° Licentia manendi extra *septa novitiatus*, etiam in ipsa domo religiosa, nequit licite a Superioribus concedi sine iusta et gravi causa (can. 556).

4. Peculiaris *domus* novitiatus requiritur, *designata* ad normam constitutionum, et si religio est iuris pontificii cum licentia Sedis Apostolicae (can. 554, § 1).

Plures domus novitiatus in *eadem* provincia designari nequeunt nisi gravi de causa et cum speciali indulto apostolico (can. 554, § 2). Id sub poena nullitatis

Omnino curandum ut tantum religiosi probatae observantiae degant in domo novitiatus, ac praeterea ut ea pars domus in qua sunt novitii prorsus separata sit ab ea quam incolunt professi, ne ulla sit communicatio sine speciali causa et consensu Superiorum (can. 554, § 3, 564, § 1). Novitii convenire possunt cum ceteris in ecclesia, in choro, in processionibus et in coenaculo refectionis causa (21) .

5. Novitiatus *integer* peragi debet in *habitu* quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant (can. 557). Id ex praecepto, non autem ad validitatem.

6. Si in religione duae classes sodalium habeantur, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet (can. 558). Est igitur conditio *essentialis*. Novitiis *conversis* locus separatus assignari debet (can. 564, § 2).

(21) *Normae* an. 1901, n. 85.

607. Institutio novitiorum. — 1. Durante novitiatu, alumni animus informandus est studio regulae et constitutionum, piis meditationibus et assidua prece, iis addiscendis quae ad vota et virtutes pertinent, opportunis exercitationibus ad vitiorum semina exstirpanda, ad motus animi compescendos, ad virtutes acquirendas (can. 565, § 1).

Praeterea *laici seu conversi* diligenter in christiana doctrina instituendi sunt, speciali collatione habita saltem semel in hebdomada (can. 565, § 2).

Durante integro novitiatus anno *spiritualis* educatio est *res praecipua*. Idcirco novitii ab omnibus aliis negotiis, quae eos distrahere possent, liberi esse debent, nempe a concionibus habendis, ab audiendis confessionibus, ab exterioribus religionis operibus, a studiis litterarum, scientiarum vel artium *data opera*, i. e. *ex professo* obeundis. At *conversis* maior conceditur libertas: ipsi fungi possunt officiis fratrum conversorum — non tamen ut primarii officiales — sed solum in ipsa domo religiosa et dummodo ne praepediantur ab exercitiis novitiatus (can. 465, § 3).

2. Cura novitiorum eorumque institutio committenda est peculiari *magistro*, qui gravi obligatione tenetur omnem diligentiam adhibere in tali munere obeundo (can. 559, § 1, 562).

Ob novitiorum numerum aliamve iustam causam magistro dari potest *socius*, eidem immediate subiectus in iis quae ad regimen novitiatus pertinent, qui eum adiuvet et suppleat (can. 559, § 2).

Magister debet esse triginta quinque saltem annos natus, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia eximius et, in religione clericali, sacerdos. *Socius* item necessariis dotibus praeditus sit oportet, triginta annos natus, a quinque saltem annis professus (can. 559, §§ 1 et 2).

Uterque ab omnibus officiis et muneribus vacare

debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant (can. 559, § 3). Attendendae sunt constitutiones ipsaque natura officii ac muneris spectanda, ut inde appareat num adsit *incompatibilitas* necne.

3. Regimen novitiatus *unum* sit oportet. Quare soli magistro illud competit et nemini licet in eo, quovis praetextu aut colore, sese immiscere, exceptis Superioribus quibus constitutiones id permittant, ac visitatoribus.

Superior *localis*, nisi expresse constitutiones aliquod ius tribuant, nihil potest in novitiatum; Superior *maior*, contra, vi muneris potestatem habet.

In iis vero quae ad disciplinam universae domus spectant, magister et novitii Superiori locali obnoxii sunt (can. 561).

4. Magister intra annum novitiatus de agendi ratione singulorum alumnorum relationem exhibere debet Capitulo vel Superiori maiori aut utrique iuxta constitutiones (can. 563).

5. Quoad novitiorum *confessiones* haec pauca sufficiunt:

1° *Mulieres* novitiae eodem iure utuntur ac professae (n. **582** ss.).

2° In religionibus *virorum*, principium sollemne est, ne magister eiusve socius suorum novitiorum confessiones audiant, nisi ii *gravi* et *urgenti* causa in casibus *particularibus* sponte id petant (can. 891). Norma haec consulit separationi fori interni a foro externo ac plenam conscientiae libertatem tuetur. Est prohibens, non irritans; at severius interpretanda quam ea de qua in can. 518, § 2 (22).

(22) Decr. « *Cum ad regularem* » Clementis VIII, 19 mart. 1603 statuebat unicum et necessarium novitiorum confessarium esse eorundem magistrum. Cum S. Off. die 5 iul. 1899 prohibuisset ne confessiones fierent Superioribus, die 23 aug. 1899 declaravit hanc prohibitionem non derogare constitutionibus *ordinum* quoad magistrum novitiorum; sed die 20 dec. 1899 declaratum fuit valere quoad *congregationes*.

3° Novitiis adsignandi sunt unus vel plures confessarii *ordinarii*, qui in religione clericali commorari debent in eadem domo, in laicali frequenter accedere tenentur. Confessarius *extraordinarius* saltem quater in anno, ad quem omnes accedant et plures *supplementares*, quos alumni in casibus particularibus libere et sine ulla molestia ex parte magistri adire valeant (can. 566).

4° Confessio facta a novitio cuicumque sacerdoti ab Ordinario approbato est semper valida.

608. Iura et officia novitiorum. — 1. Novitius gaudet *privilegiis* clericorum (can. 614) et omnibus privilegiis et gratiis concessis religioni, nisi ex natura rei aut expressa conditione professo reserventur. Si morte praeveniatur, habet ius ad *eadem* suffragia, quae praescripta sunt pro professis (can. 567, § 1).

2. Novitius subiicitur *potestati dominativae* et, in religione clericali, etiam *iurisdictioni* Superiorum. His et magistro parere ac regulas instituti observare tenetur, non quidem vi votorum, cum ea nondum emiserit, sed ex naturali obligatione et tacito quodam pacto. Durante tirocinio promoveri nequit ad ordines (can. 561, § 2, 567, § 2).

3. Expensae novitiatus sustineri debent a religione: proinde nihil pro iis exigi aut peti potest, nisi aliud cautum fuerit in constitutionibus aut expresso pacto. Res vel obiecta quae novitius attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione egrediatur, professione non emissa, ipsi restituenda sunt (can. 570).

4. Nec *valide* nec *licite*, durante novitiatu, potest adspirans suis beneficiis vel bonis quovis modo renunciare aut ea obligare per aliquem contractum (can. 568). Haec dispositio prudenter consulit libertati professionis.

1° Ante ingressum in novitiatum adspirans beneficiis et bonis renuntiare aut ea obligare valet.

2° Ante *primam* professionem votorum *simplicium*, sive haec sint perpetua sive temporaria, novitius debet, ad totum tempus quo votis obtringitur, *cedere* bonorum administrationem cui maluerit, ac de *usu* et *usufructu* eorundem *disponere* sive in propriam, quatenus fructus patrimonio accrescant, sive in aliorum aut ipsius religionis utilitatem. Ratio manifesta: vi voti simplicis paupertatis professus retinet dominium *radicale*, sed prohibetur ei dominium *utile* (cfr. can. 577, 580).

3° Haec libera dispositio, quae permittitur iure communi, iure particulari potest vel *restringi*, si in favorem disponentis fieri vetetur, vel *determinari* si pro certis tantum personis permittatur, aut *tolli* si usus et usufructus ipsi religioni reserventur. Hac de re attendendae ac servandae sunt constitutiones (23).

4° Si cessio ac dispositio *praetermissa* fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut facta fuerit quidem sed postea *alia* bona quovis titulo obvenerint, facienda aut iteranda est post professionem religiosam (can. 569, §§ 1 et 2). Idem dicas si ex oblivione aut alia quavis causa praetermissa fuerit.

5° Cessio ac dispositio semel facta nequit *mutari*, nisi ad normam can. 580, § 3 (n. 614).

6° Novitius in *congregatione* religiosa (non item in ordine, in quo ad normam can. 581 facienda est renuntiatio) praeter cessionem ac dispositionem de qua supra, *debet* quoque ante primam professionem *testamentum* condere, quo de bonis praesentibus vel forte obventuris *libere* disponat (can 569, § 3). Si aliud constitutiones ferant, emendandae sunt.

Qui aetate aut alia de causa inhabilis est ad condendum testamentum *iure civili validum*, teneturne praedicta obligatione? Quidam affirmant, quidam ne-

(23) Pontif. Comm. Cod., 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 476.

gant (24). Rectius dicendum praescripto Codicis satisfieri per testamentum invalidum iure civili, quam primum eodem iure permittente v. g. post adeptam maioritatem ratihabendum, ideoque obligationem esse conficiendi huiusmodi testamentum in praedicta hypothesi.

5. Novitius *libere* potest quolibet tempore religionem *deserere;* item religio quavis iusta de causa eum *dimittere valet*. Nullum sane permanens vinculum *iuridicum* existit inter religionem et novitium. Superior dimittens non tenetur dimissionis causam dimisso manifestare, nec dimissus conqueri potest de iure laeso (can. 571, § 1). Datur tamen ipsi facultas recurrendi in *devolutivo* ad S. Sedem, si absque iusta causa se dimissum existimet.

6. *Exacto novitiatu*, si idoneus iudicetur, *debet* admitti novitius ad professionem; secus dimittendus. Si dubium positivum supersit circa idoneitatem, Superior maior potest tempus probationis seu novitiatus prorogare, non tamen ultra sex menses (can. 571, § 2). Quibus elapsis, novitius vel admittendus ad professionem vel statim dimittendus.

Si, *expleto* iam *novitiatu*, quis *iuste* dimittitur vel sponte discedit, at post breve tempus revertitur, Superior maior potest in eius favorem applicare praescriptum can. 571, § 2; non item post moram sat diuturnam. Si, expleto novitiatu, adspirans *iniuste* dimittitur, novitiatus validus manet suosque effectus iuridicos sortitur.

7. Professioni praemittenda sunt *exercitia spiritualia* per octo saltem integros dies (can. 571, § 3). Id ad liceitatem, et quidem sub gravi.

(24) Cfr. Vermeersch-Creusen, I, n. 569; Prümmer, q. 212; Chelodi, n. 270; Larraona, in *Comm.*, II, 10.

Articulus VII.

De professione religiosa.

609. Notio. — 1. Professio religiosa est quidam contractus bilateralis inter sodalem er religionem, nomine Ecclesiae acceptatum eiusque auctoritate sancitum, quo quis tribus votis substantialibus se obligat ad consilia evangelica observanda atque ita formaliter publiceque religioni aggregatur.

2. Duplex igitur elementum : *traditio* (cui correspondet *acceptatio*) et *votorum emissio*. Hodie haec elementa sunt inseparabilia ex iure positivo; non ita in veteri disciplina et ex rei natura.

3. Vi professionis, quae peculiaris actus iuridicus est, fidelis *statum* religiosum suscipit, specialem inde conditionem iuridicam sortitur atque proprio et stricto sensu *religiosus* efficitur.

610. Divisio. — Professio dividitur 1° in *perpetuam* et *temporariam*, prout vinculum inducit ad totam vitam, vel solum ad tempus; 2° in *simplicem* et *sollemnem*, pro diversa ratione qua vota agnita sint ab Ecclesia (cfr. can. 1308, § 2).

In quo praecise essentia *sollemnitatis* votorum reponenda sit, controvertitur. Relictis utpote obsoletis veterum sententiis — quarum alia dicebat eam consistere in externa vel interna quadam consecratione, alia affirmabat sollemnitatem eiusque effectus esse ex iure divino derivandos, alia quae asserebat causam formalem sollemnitatis reponendam esse in sodalis traditione religioni facta — duae supersunt attendendae sententiae.

Prior dicit essentiam sollemnitatis consistere in *perpetua, absoluta* et *irrevocabili* traditione (ex parte sodalis) et acceptatione (ex parte religionis) atque si-

mul in vi irritandi actus contrarios votis tributa (1). Altera docet vota sollemnia ea esse, quae *plene authentica* sunt in facie Ecclesiae, seu quae nuncupantur certa *authentica forma* quam Ecclesia praescribit et peculiari tutela iuridica munit.

Prima sententia verior et communior est, eaque nobis certa videtur, rite tamen intellecta. Hinc duplex elementum : traditio et acceptatio perpetua, absoluta et irrevocabilis atque *simul* vis irritans (2).

611. Conditiones ad validam et licitam professionem. - 1. Requisita ad *validitatem* professionis :

1° Aetas *sexdecim* annorum si de temporaria agitur professione, *viginti* et *unius* si de perpetua. Anni debent esse completi (can. 573).

2° *Novitiatus* validus integre peractus.

3° *Admissio* ad professionem facta a legitimo Superiore, iuxta constitutiones. Iste Superior generatim est Superior maior, provincialis ad temporariam, supremus ad perpetuam. Quod valet pro sororibus et monialibus, nisi aliud in constitutionibus caveatur. Superior autem ad legitimam admissionem indiget suffragio Consilii seu Capituli, *deliberativo* pro prima professione temporaria, *consultivo* pro perpetua professione (can. 543, 575, § 2).

4° Professio debet esse *expressa* atque *sine vi* aut *metu* vel *dolo* emissa. Haec conditio respicit soda-

(1) Suarez, op. cit., tract. VII, lib. 2, cap. 10, n. 3 ss., cap. 14, n. 10; *Schmalzgr.*, lib. III, tit. 34, n. 8.

(2) Ex can. 1308, § 2 votum est « *sollemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum, secus *simplex* ». Porro quodnam *uti tale* seu *qua sollemne* agnoscitur ab Ecclesia? Huc praecise, spectat quaestio. Altera sententia ideo admittenda non est, quia etiam vota simplicia religiosa, eo ipso quod sunt *publica* seu *nomine Ecclesiae* a Superiore legitimo acceptata (can. 1308, § 1), certa authentica forma nuncupantur atque peculiari tutela iuridica, saltem quaedam, communiuntur. Nec satis est vis *irritandi*, quia habentur vota *simplicia*, v. g. in Societate Iesu, quae actus contrarios invalidos reddunt. Igitur differentia specifica et essentialis inter votum *sollemne* et *simplex* in alio quoque elemento reponenda.

lem profitentem, non Superiorem qui admittit. Igitur sublata omnino manet professio *tacita*, quae olim viguit (3).

5° Debet *recipi* per se vel per alium a legitimo Superiore secundum constitutiones (can. 572, § 1). Qui plerumque est Superior maior, provincialis vel generalis; interdum quoque localis. Num etiam Episcopus eiusve delegatus? Aggregatio pertinet ad regimen internum sodalitatis ideoque a Superioribus *internis* facienda. Si in nonnullis religionibus mulierum Episcopus vel eius delegatus recipit, nonnisi *nomine* Antistitae id agit scil. *qua mandatarius illius* (4).

6° Professioni *perpetuae* necessario praemittenda est simplex *professio temporaria* (can. 572, § 2) (5). Professio emissa sub clausula « *donec in congregatione vivam* » non est perpetua : idcirco non est praemittenda ad validitatem professio temporaria (6). Haec, in religionibus quae vota perpetua habent, emittenda est *ad triennium*, a novitio autem qui hoc termino elapso nondum vigesimum primum annum explebit, *ad totum tempus* legitimae aetatis requisitum

(3) Professio *tacita* in omnibus religionibus olim ut aequipollens expressae admittebatur, et fieri poterat per exercitium actuum professorum.

Sublata est pro Praedicatoribus decr. S. C. super statu reg. 12 iun. 1858, quod postea ad alios ordines virorum extensum est; non tamen absolute et quoad omnes, sed solum quoad illos qui huiusmodi concessionem a S. Sede obtinuerant. Pro monialibus, saltem iuridice, professio tacita viguit usque ad Codicem.

(4) Pontif. Comm. Cod., 1 mart. 1921; *A. A. S.*, XIII, 177.

(5) Olim omnes religiones solam professionem *sollemnem* agnoscebant, immediate post novitiatum emittendam. Primum Societas Iesu vota *simplicia* induxit, quorum alia ad tempus ante sollemnia, alia in perpetuum emitterentur.

Pius IX litt. 19 mart. 1857 iussit ut in ordinibus virorum *triennalia* vota simplicia, quae ex parte voventis non autem ex parte religionis irrevocabilia erant, sollemni professioni praemitterentur. Quam legem S. C. Ep. et Reg. 3 maii 1902 ad *moniales* extendit.

Codex omnibus religionibus cum votis perpetuis imponit, ita tamen ut pro utraque parte temporaria sint.

(6) Pontif. Comm. Cod., 1 mart. 1921; *A. A. S.*, XIII, 177.

ad perpetuam professionem nuncupandam. Si constitutionenes exigant *annuales* professiones, hae sufficiunt, quin triennalis professio addenda sit. Legitimus Superior potest tempus a iure praefinitum prorogare, non tamen ultra aliud triennium : quo in casu nova professio temporaria emittenda (can. 574).

612. 2. Ad *liceitatem* haec pertinent :

1° Professio prima temporaria, votis perpetuis praemittenda, fieri debet in ipsa *domo novitiatus* (can. 574, § 1). De aliis iure communi nihil cavetur.

2° *Ritus* peculiaris a constitutionibus praescriptus in professione emittenda servandus est. In ritu professionis *temporariae* omitti debent omnia quae perpetuitatem innuant. Ritus sollemnior reservandus professioni *sollemni*, si agitur de ordine, aut simplici *perpetuae*, si agitur de congregatione (7).

3° *Documentum* de emissa professione conficiendum, a professo et saltem ab eo qui illam recepit subscriptum, in religionis archivo custodiendum.

4° Superior de professione *sollemni* certiorem facere debet profitentis parochum baptismi, ut in *libro baptizatorum* de illa mentio fiat ad normam iuris (can. 576).

3. Ex decreto S. C. de Relig 15 iul. 1919 (8) alia quaedam servanda sunt ad validam et licitam professionem in locis ubi religiosi *servitio militari activo* adstringuntur.

1° Novitii emittere debent vota temporaria valitura usque ad servitium militare. Cessant ipso iure vel die quo sodalis militiae effective adscribitur et militari disciplinae subiectus fit vel die quo absolute et perpetuo inhabilis ad militiam declaratur.

In religionibus quae habent vota *annualia*, haec

(7) S. C. de Relig., 30 iul. 1921 ; *A. A. S.*, XI, 323.
(8) *A. A. S.*, XI, 321.

ipso facto cessant servitio militari suscepto, at non cessant si religiosus inhabilis declaretur (9).

2° Servitio militari durante, sodalis *manet adscriptus* suae religioni et Superiorum auctoritati subiectus, qui curam de eo gerere debent.

3° Alumnus durante vel expleto servitio militari potest *libere* religionem *deserere*, praemonitis Superioribus in scriptis; item Superiores iusta de causa eum *dimittere* aut non amplius recipere valent.

4° *Reversi* e militia nequeunt statim admitti ad professionem perpetuam, licet tempus temporariae completum sit, sed nova vota simplicia emittere debent in iisque manere *per annum*, si ultra annum militiae adscripti fuerint, per *tempus aequivalens* tempori servitii militaris, si hoc brevius duraverit (10).

S. C. de Relig. 30 iul. 1919 declaravit decr. « *Inter reliquas* » diei 1 ian. 1911 adhuc vigere, cum lex generalis non sit, sed solum ad peculiares « circumstantias temporum et locorum habeat relationem ».

613. Effectus professionis.— 1. Ex professione oritur *vinculum* peculiare inter religionem et religiosum atque *obligatio religionis* ex votis suscipitur. Hinc iuridici effectus ab Ecclesia recogniti ac speciali tutela muniti.

2. Expleto professionis temporariae tempore, religiosus *libere* (iuridice loquendo) religionem *deserere valet;* item ob iustas et rationabiles causas a renovandis votis aut ab emittenda professione perpetua excludi potest (can. 637). Causae ad valorem exclusionis requiruntur. Datur recursus ad S. Sedem contra iniustam exclusionem.

Etiam durante professione temporaria, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, potest di-

(9) S. C. de Relig., 30 nov. 1919; *A. A. S.*, XII, 73.
(10) S. C. de Relig., 1 ian. 1911, 1 febr. 1912; *A. A. S.*, III, 37; IV, 246.

mitti a legitimo Superiore ad normam can. 647. Sed, exacto professionis temporariae tempore, religiosus, nisi vel sponte discedat vel dimittatur vel prorogetur tempus seu renovetur professio temporaria (cfr. can. 574, § 2), debet statim emittere professionem perpetuam simplicem aut sollemnem (can. 575, § 1).

Tempus professionis temporariae finitur recurrente eadem die, i. e. per totam istam diem, integrum est professo renovare professionem aut abire. Donec professus alterutrum elegerit, manet in statu quo ante, quia supputatio fit de die in diem.

3. Professus a votis temporariis, quae votis perpetuis praemittuntur, gaudet iisdem indulgentiis, privilegiis, spiritualibus gratiis, suffragiis, quibus gaudet professus a votis perpetuis. Eadem obligatione tenetur servandi regulas et constitutiones, sed ab officio divino privatim recitando, si a choro absens fuerit, eximitur, nisi sit in sacris aut expresse constitutiones eiusmodi onus imponant. Caret voce activa et passiva, tempus tamen praescriptum ad utramque acquirendam supputatur a prima professione, nisi aliud constitutiones praefiniant (can. 578, 610, § 3).

4. Professio *simplex* actus votis contrarios reddit *illicitos*, non autem invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; *sollemnis* reddit etiam invalidos, si irritabiles sint (can. 579). In Societate Iesu votum simplex castitatis a scholasticis emissum irritat matrimonium.

Votum sollemne paupertatis reddit irritos actus proprietatis pro se et nomine proprio positos, non eos qui de licentia Superioris ponantur.

5. Post annum ab emissa *qualibet* professione religiosa, etiam temporaria, beneficia paroecialia vacant, et post triennium *cetera* (can. 584).

Professus a votis *perpetuis* amittit ipso iure dioecesim quam in saeculo habebat et perpetuo religioni adscribitur atque ita quodammodo ei incardinatur (can. 111, § 1, 115, 585; n. 223).

614. 6. Professus a votis *simplicibus* conservat proprietatem seu dominium radicale bonorum suorum et capacitatem alia acquirendi, nisi aliud in constitutionibus cautum sit. Proinde *valide* actus ponit qui ad proprietatem vel acquisitionem pertinent; sed penitus ei interdicitur administratio, usus et usufructus (11).

1° Non potest proprio arbitrio, nisi constitutiones permittant, *mutare* cessionem et dispositionem iam factam, sine *licentia* supremi moderatoris aut, si de monialibus agitur, Ordinarii loci atque etiam Praelati regularis si eidem obnoxium sit monasterium. Mutatio autem fieri nequit, saltem de notabili parte, in favorem religionis (can. 580, §§ 1 et 3). Id verius sub poena nullitatis. *Notabilis* pars censetur dimidia vel tertia, non probabilius quarta.

2° Quidquid industria sua vel religionis intuitu acquirit, *religioni* acquirit (can. 580, § 2); quidquid alio modo, v. g. haereditate, sibi in nudam proprietatem acquirit (12).

3° Professus in *congregatione*, etiam dioecesana, cui aequiparanda est monialis in locis ubi vota sollemnia nuncupari nequeunt, prohibetur per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo *gratioso* abdicare (can. 583, 1°), seu donare; non item titulo oneroso, i. e. vendere, permutare. Nec vetita est renuntiatio facta cum opportunis cautionibus quibus religioso consulatur, si forte saeculum repetere ipse cogatur; nec prohibetur transactio cum parentibus de

(11) *Administratio* est ius disponendi de aliqua re per actus legitimos, salva eius substantia seu proprietate.

Usus est simplex rei fruitio, quae differt ab usufructu quando agitur de re usu non consumptibili.

Usufructus est ius sibi applicandi fructus alicuius rei, salva eiusdem substantia.

(12) Ex declaratione S. C. de Relig. 25 febr. 1922 (*A. A. S.*, XIV, 196) stipendium militare, pensio vitalitia, emolumenta pecuniaria ob decus militare, premium demobilitationis *religioni acquiruntur*, dummodo et quamdiu religiosus votis sit ligatus.

bonis sibi debitis ex futura haereditate, cum haec bona nondum sint religiosi; nec vetantur donationes minoris momenti. Cessio ex titulo gratioso, etsi illicita, valida tamen foret.

4° Idem professus *testamentum*, tempore novitiatus conditum, *mutare* nequit, sine licentia S. Sedis vel, si necessitas urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris aut, si nec iste adiri possit, sine licentia Superioris localis (can. 583, 2°).

Mutare non est idem ac interpretari, renovare forma valida quod invalide factum fuerat, codicillum addere, etc. Haec licita sunt. Vetita mutatio respicit testamentum iam conditum et quidem valide. Unde non prohibetur primum facere qui antea non fecit, nec invalidum corrigere seu novum et validum condere.

615. 7. Professus a votis *sollemnibus* iuridica *capacitate* possidendi et acquirendi *caret* ideoque ipsum dominium radicale amittit, salvis indultis a S. Sede ob peculiares causas nonnullis religionibus et religiosis concessis.

1° Idcirco emissurus professionem sollemnem intra sexaginta dies ante illam, non ante sub poena nullitatis, *debet* omnibus bonis quae *actu* habet, cui maluerit, renuntiare, sub conditione secuturae professionis. Secuta autem professione, ea omnia *statim* facienda sunt, quae requiruntur ut renuntiatio etiam iure civili valida sit suumque sortiatur effectum (can. 581, § 1 et 2).

Inter bona quae *actu* possidet religiosus, et quibus renuntiare debet, computanda sunt verius etiam bona ad quae *certum ius* habet, ex. gr. ad portionem legitimam, ad hereditatem ab intestato parentum vel fratrum; non item quae *in spe* tantum possidet.

Si ex negligentia renuntiatio facta non fuerit, bona sollemniter professi pleno iure acquiruntur religioni vel S. Sedi ad normam can. 582, 1° et 2°.

Renuntiatio canonice facta vim suam obtinet tantum *post* professionem sollemnem *valide* emissam. Formalitates civiles ponendae sunt *statim*, i. e. quamprimum, intra unam aliamve hebdomadam. Si lex civilis obstet renuntiationi, haec nihilominus facienda est, dein renovanda forma civili, absque ulla tamen mutatione, cum primum lex illam permittet. Si quavis de causa professio non emittatur, renuntiatio nullius erit valoris.

2° Quidquid religioso sollemniter professo obvenit quovis titulo, i. e. sive industria sua sive intuitu religionis sive alio modo v. g. ex hereditate, donatione etc., obvenit, salvis peculiaribus S. Sedis indultis, ordini vel provinciae aut domui secundum constitutiones, si agitur de ordine capaci possidendi; secus obvenit S. Sedi in proprietatem (can. 582, 1° et 2°).

Notissimum est adagium: *quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio*. Id ex ipsa natura professionis sollemnis eiusque effectibus seu ex *incapacitate* possidendi et acquirendi sponte consequitur.

Si ex iure civili, quod iuridicam personalitatem religionum forte non agnoscat, religiosus *nomine proprio* debeat actum civilem proprietatis ponere, non requiritur ad id speciale indultum S. Sedis, sed sufficit licentia Superiorum ordinis, dummodo religiosus non sibi vel suis, sed *monasterio* acquirere reapse intendat.

Si ordo est incapax possidendi, proprietas transit in S. Sedem, quae solet religioni, provinciae aut domui usum et usumfructum relinquere.

Picturae aliaque opera artis et ingenii a religiosis sollemniter professis confecta pertinent ad religionem; item manuscripta sive propria manu exarata sive proprio ingenio composita (13), iis tamen ex-

(13) S. C. de Relig., 11 iul. 1913; *A. A. S.*, *V*, 366.

ceptis, ut censemus, quae usui mere personali sint destinata.

8. Peculiares effectus professionis *sollemnis* memorandi: 1° dirimit matrimonium contrahendum et solvit ratum et non consummatum; 2° tollit irregularitatem ex defectu natalium (can. 984, 1°, 1119).

616. Vota devotionis et professio in articulo mortis. — 1. Vota, quae novitius sive ultro sive approbante magistro aut Superiore facit, sunt *privata*. Dicuntur *devotionis*, quia ex devotione tantum novitii nuncupantur. Nullum inde oritur peculiare ius aut titulus ex parte Superiorum imperandi, ita ut post talia vota nullatenus valeant directe in virtute sanctae obedientiae iubere. Tamen in materia apta, novitius tenetur, virtute voti, ex religione exsequi quae Superior praeceperit. Paupertate autem et castitate tenetur sicut professus.

Religio ex istis votis, licet facta sint annuente et probante Superiore, nullam contrahit obligationem retinendi novitium. Nec novitius amittit in foro *externo* libertatem discedendi; in foro *interno* per se peccabit. Huiusmodi vota censentur facta ad diem *incertam* et *sub conditione*: si in religione permansero. Proinde novitius dimissus iisdem non tenetur.

2. *Novitii* in articulo (periculum, ut opinamur, aequiparatur) mortis constituti admitti possunt ad professionem, quamvis tempus novitiatus nondum expleverint. Inde participes fiunt omnium indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae religiosis vere professis competunt; eisdemque *plenaria* peccatorum suorum *indulgentia* et *remissio in forma iubilaei* conceditur.

Nullus effectus *iuridicus* ex huiusmodi professione oritur. Unde si novitius convalesceret, denuo pofiteri

teneretur, perinde ac si nullam professionem emisisset (14).

617. Professionis convalidatio.— 1. Professio religiosa invalida ob impedimentum externum non convalescit per actus subsequentes, sed *vel* sananda est a S. Sede *vel* denuo legitime emittenda, cognita a professente prioris nullitate, post sublatum impedimentum (can. 586, § 1).

Impedimentum *externum* est v. g. defectus aetatis, integri novitiatus, metus etc.

2. Si nulla sit ob defectum consensus mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus revocatus non fuerit (can. 586, § 2). Ratio manifesta: professio est quidam contractus bilateralis, qui necessario consensum utriusque partis postulat. Religio, nisi expresse declaret, numquam praesumitur consensum revocare.

Si defectus consensus forte probari possit in foro externo, applicandum est praescriptum can. 586, § 1.

3. Si professio sit vere dubia et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad S. Sedem est deferenda (can. 586, § 3).

4. Si professio sit nulla et religiosus nolit eam renovare, iuridice liber est ideoque potest, imo debet domum religiosam quamprimum relinquere. At si professio nulla fuerit ob eius culpam, ex. gr. propter dolum, tenetur damnum religioni illatum reparare, cum fraus nemini patrocinari debeat (15).

Si professio sit invalida ob defectum qui in foro externo probari nequit, sodalis, si nolit aut nequeat

(14) S. C. de Relig., 10 sept. 1912, 30 dec. 1922; *A. A. S.*, IV, 589; XV, 156.

(15) Olim auctores nonnulli docebant ex professione invalida oriri obligationem castitatis servandae ratione voti. Cfr. Suarez, tract. VII, lib. 2, cap. 2, n. 2 ss.; Piat, I, p. 150. Hodie huiusmodi obligatio certe non oritur, nisi *expresse* Titius voluerit se obligare.

professionem ratam habere, e religione exeat, remoto tamen scandalo aliove incommodo.

Articulus VIII.

De ratione studiorum.

618. Domus studiorum. -- 1. Alumni religionis *clericalis* post primam professionem operam dare tenentur studiis, ut ordinibus suscipiendis et ministeriis obeundis apte se praeparent. Id autem est veluti *alterum tirocinium*, quo nedum in disciplinis verum etiam in virtutibus religionis proficiant.

2. Quaelibet religio clericalis, quantum fieri potest, peculiarem *domum studiorum* habere debet, a Capitulo generali vel a Superioribus approbatam, in qua perfecta vita communis vigeat et religiosi tantum exemplaris observantiae commorentur (can. 554, § 3). Vita communis necessaria omnino est, ita quidem ut, ea deficiente, alumni ad ordines promoveri nequeant.

3. Si religio aut provincia proprias studiorum domos habere non possit, aut iusta de causa Superiores existiment utilius esse ut alias scholas religiosi studentes frequentent, possunt eos mittere ad domum studiorum alius provinciae vel religionis, aut ad Seminarium dioecesanum vel regionale, aut ad publicum Athenaeum catholicum. Quo in casu necesse prorsus est ut alumni degant aut in suae vel alterius religionis domo aut in Seminario aut saltem in pia domo a sacerdotibus recta et ab ecclesiastica auctoritate in hunc finem approbata (can. 587, §§ 1-4) (1).

(1) Circa frequentationem Universitatum laicalium servanda sunt praeterea decreta et instructiones S. Sedis. Cfr. decr. S. C. Cons., 30 april. 1918; *A. A. S.*, X, 237.

619. Praefectus spiritus, disciplinae excolendae, examina et collationes. — 1. Integro studiorum curriculo religiosi committendi sunt speciali curae *praefecti* seu *magistri spiritus*, qui illos ad vitam religiosam informare debet opportunis monitis et adhortationibus. Iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in socio magistri novitiorum requiruntur. Pietatis exercitia quae omnibus religiosis praescribuntur, onerata Superiorum conscientia, perfectissime implenda sunt ab alumnis (can. 588).

2. In disciplinis inferioribus rite instituendi sunt; postea in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium, doctrinae S. Thomae inhaerentes, diligenter incumbant, secundum instructiones S. Sedis (can. 589, § 1). Quae instructiones normam directivam statuunt pro disciplinis inferioribus, praeceptivam pro studiis philosophicis et theologicis.

Tempore studiorum magistris et alumnis ne imponantur officia, quae a studio eos avocent vel scholam quoque modo impediant (can. 589, § 2).

3. Sacerdotes religiosi, iis exceptis qui gravi de causa exempti fuerint a Superioribus, vel qui sacram theologiam aut ius canonicum aut philosophiam scholasticam docent, post absolutum studiorum curriculum, *quotannis*, saltem per *quinquennium*, a doctis gravibusque patribus examinandi sunt in variis sacrae doctrinae disciplinae antea designatis (can. 590).

Ad theologiam, ius canonicum et philosophiam referuntur scientiae omnes affines : S. Scriptura, historia ecclesiastica, liturgia, etc.

Religiosi *parochi* hoc examen non coram Ordinario loci, sed coram suis Superioribus, subire tenentur (2). Forma examinis poterit esse *oralis* aut *scripta* aut *mixta*.

(2) Pontif. Comm. Cod., 14 iul. 1922; *A. A. S.*, XIV, 526.

4. In qualibet domo saltem formata, minimum semel in mense, habenda est solutio casus moralis et liturgici, cui, prudenti Superioris iudicio, addi potest dissertatio de re dogmatica et affinibus disciplinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam dant aut illud absolverunt et in domo degunt assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur (can. 591). Specialis casus pro studentibus haberi potest, quin teneantur interesse resolutioni a familia religiosa factae. Licite admitti possunt vacationes per unum alterumve mensem.

Modus, tempus, ratio determinantur vel a constitutionibus vel, iis silentibus, a Superiore (cfr. n.233).

Articulus IX.

De obligationibus religiosorum.

620. Principia. — 1. Religiosorum obligationes ex triplici fonte oriuntur: 1° ex *legibus ecclesiasticis*, 2° ex *statu* et 3° ex *votis*.

1° *Ex legibus ecclesiasticis*. — *a*) Religiosi tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex sermonis contextu vel natura rei aliud constet (can. 592; n. 227 ss.).

b) Perfectioni assequendae plura eis quam clericis praecipiuntur: exercitia spiritualia quotannis, quotidie sacro interesse, orationi mentali aliisque pietatis officiis a constitutionibus praefinitis sedulo incumbere, semel saltem in hebdomada ad poenitentiae sacramentum accedere. Communio frequens imo quotidiana maxime commendanda eaque omnibus rite dispositis libera omnino est. Prohiberi potest tantum religioso qui communitati grave scandalum dederit aut gravem et externam culpam admiserit, donec ad sacramentum poenitentiae denuo accesserit. Normae

quae communionem certis diebus praefiniant aut praecipiant nonnisi vim *directivam* habent (can. 595).

c) Tenentur, tum intra domum tum extra, proprium religionis — sive peculiarem sive communem clericorum saecularium — *habitum* deferre, nisi excuset causa gravis, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis (can. 596).

2° *Ex statu.* — Religiosi omnes tenentur *vi status suscepti* tendere ad perfectionem, ad quam consequendam non solum vota servare debent fideliter, sed totam vitam componere secundum regulas et constitutiones propriae religionis (can. 593).

Huc spectat etiam *vita communis*, quae essentialis est (cfr. n. 565), accurate servanda, in iis praesertim quae ad victum, vestitum et supellectilem spectant. Omnia quae religioni obveniunt, sive directe sive indirecte, i. e. per religiosos, bonis domus vel provinciae aut religionis accensenda sunt et pecunia quaelibet atque omnes tituli in capsa communi deponendi (can. 594) (1).

3° *Ex votis.* — In quavis religione essentialia sunt tria *vota*: castitatis, paupertatis et obedientiae. His alia ex constitutionibus accedere possunt.

Votum *castitatis* obligat religiosum ad abstinendum a quolibet actu luxuriae tam externo quam interno. Reddit matrimonium illicitum, et si sollemne sit, etiam invalidum, atque dirimit contractum ratum non consummatum (can. 579, 1073, 1119) (2).

Votum *paupertatis* vetat ne religiosus ulla re temporali qua propria *licite* uti valeat (sollemne nec valide). Huiusmodi actus prohibiti sunt: vendere, do-

(1) Num hoc canone vetetur omnino *peculium* religiosorum, controvertitur. Verius affirmandum. Practice attendendae sunt constitutiones et, ad consuetudines quod attinet, praescriptum can. 5.

(2) Votum simplex castitatis in Societate Iesu dirimit contrahendum, at non solvit contractum ratum non consummatum.

nare, permutare, accipere pro se, commodare, hypothecae subiicere, in pignus tradere, destruere, etc.

Votum *obedientiae* obligat religiosum ut Superioribus pareat in omnibus quae *legitime* imperant. Ea tantum Superiores imponere valent vi voti, quae sunt *secundum* regulas, non autem *contra* vel *supra* aut *infra*.

Obiectum voti obedientiae constituunt *praecepta* Superiorum religiosorum *legitime* data. Etiam R. Pontifex dare potest eiusmodi praecepta; item Episcopus quoad religiones iuris dioecesani; alii quoque ex constitutionibus. Officiales subalterni nisi specialem habeant delegationem, potestate iubendi *ex voto* generatim carent.

Quando Superiores *vi voti* praecipere censendi sint, eruendum e constitutionibus. Plerumque adhibere debent formulam : « *in virtute sanctae obedientiae* », vel « *in nomine D. N. I. C.* », aut aliam aequipollentem (3).

Actus interni verius praecipi possunt. In dubio de legitimitate praecepti aut de liceitate rei imperatae praesumptio favet Superiori.

621. Clausura. — 1. Sumi potest *formaliter* et *materialiter*. *Formaliter* est peculiaris dispositio qua ingressus et egressus in domibus religiosorum ordinatur, ad religiosam observantiam promovendam et praecipue ad avertenda castitatis pericula. *Materialiter* est certum ac determinatum spatium praefatae dispositioni obnoxium.

Ex iure Codicis *omnes religiosi* tenentur clausura, at non omnes eodem modo. Nam *regulares* tenentur clausura *papali*, quae severior est et munitur excommunicatione l. s. (4); alii religiosi tenentur clau-

(3) Cfr. Piat, I, 309.
(4) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 316.

sura *non papali* (quae saepe *episcopalis* dicitur, at minus recte), ad normam can. 604.

3. Clausura *papalis* diversa est prout agitur de *viris* aut de *mulieribus*. Sane clausura *virorum regularium*, licet arbitrarium egressum prohibeat, principaliter et expresse illegitimum *ingressum* vetat. Interdicitur enim in eorum monasteria admissio *mulierum* cuiusvis aetatis, generis aut conditionis, sub quovis praetextu; exceptis uxoribus eorum qui supremum actu tenent populorum principatum cum comitatu (can. 598).

Illegitime ingredientes, introducentes, admittentes *excommunicatione* l. s. simpliciter S. Sedi reservata plectuntur (can. 2342) (5).

Clausura *monialium* vetat tum *ingressum* tum *egressum* : *ingressum* quidem omnium cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis; *egressum* religiosarum post professionem, etiam ad breve tempus, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali (can. 600, 601).

Violatio *excommunicatione*, ut supra, punitur.

3. Clausura papalis servari debet in *qualibet* domo canonice instituta, sive formata sive non formata, *ordinis* tam virorum quam mulierum cum votis *sollemnibus*. Moniales, quarum vota ex instituto deberent esse sollemnia, sed ex Sedis Apostolicae concessione, in nonnullis locis, simplicia sunt, clausura papali non tenentur (6).

4. Subest legis clausurae papalis tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso publico templo cum continente sacrario atque etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui

(5) Cfr. Cappello, l. c.
(6) Pontif. Comm. Cod., 1 mart. 1921; *A. A. S.*, XIII, 171.

debet. Etiam tectum clausurae subest (7). Fines clausurae sunt patenter indicandi; Superioris autem maioris vel Capituli generalis secundum constitutiones aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit eos accurate praescribere aut legitimis de causis mutare (can. 597).

5. Possunt ingredi in monasterium, quin violent clausuram, 1° visitator ordinarius vel delegatus, sed solum inspectionis causa, cum debitis cautelis; 2° confessarius eiusve substitutus ad sacramenta infirmis ministranda vel ad assistendum moribundis; 3° supremi rerum publicarum moderatores, cum uxoribus et comitatu; 4° Cardinales; 5° medici, chirurgi, operarii aliique quorum opera sit necessaria, ad quos admittendos Antistita indiget venia saltem habituali Ordinarii loci, nisi urgeat necessitas (can. 600).

Clausurae monasterii monialium *custos* est Ordinarius loci, et *simul* etiam Superior regularis si huic subiectum sit monasterium. Ordinarius punire valet delinquentes tum moniales tum alios quoscumque, etiam exemptos; Superior regularis moniales tantum aut suos subditos. Clausura monialium ita *circumsepta* debet esse ut, quantum fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea *prospectus* externarum personarum (can. 602, 603).

6. Omnes *congregationes* sive pontificiae sive dioecesanae, tam virorum quam mulierum, lege clausurae, hodie iure communi, tenentur. Episcopus, excepta religione clericali exempta, debet curare ut eadem rite servetur et abusus auferre, eamque in adiunctis peculiaribus et gravis de causa communire potest etiam censuris (8).

(7) De aliis locis ac de peculiaribus casibus vide Cappello, *De censuris*, n. 323 ss.

(8) Ex privilegio apostolico interdum concessa fuit clausura *papalis* etiam religionibus a votis simplicibus. Cfr. Bizzarri, op. cit., p. 88.

Haec quoque clausura *materialiter* circumscribenda est; vetat *ingressum* et *egressum* ad instar clausurae papalis, at mitiore ratione. Attendendae constitutiones. Generatim clausurae non subest ea pars domus in qua convictus vel alia opera religionis reperiuntur (cfr. can. 604 ss.).

622. Divinum officium aliaque opera ministerii ecclesiastici. — 1. Quaedam religiones sunt *chorales*, quaedam *non chorales*, prout tenentur chori obligatione necne.

1° In singulis domibus religionum *choralium*, sive virorum sive mulierum, quotidie *divinum officium* persolvendum est *communiter*, si quatuor saltem sunt religiosi choro obligati (scil. professi) et actu legitime non impediti, imo etiam pauciores, si ita ferant constitutiones. Divinum officium complectitur horas canonicas et Missam conventualem, quae tamen in religionibus mulierum non est stricte obligatoria, cum celebranda dicatur « quoad fieri possit » (can. 610, § 2).

Obligatio *directe* tenet communitatem et Superiores qui curare debent eiusdem implementum et *indirecte* singulos. Physice vel moraliter impediti excusantur. Superiores, saltem iure communi, dispensare nequeunt subditos a chori obligatione, exceptis magistris et scholasticis ad normam can. 589, § 2.

Professi *sollemniter* qui a choro abfuerunt debent, exceptis conversis, horas canonicas *privatim* recitare (can. 610).

2° In aliis religionibus, si forte existit obligatio chori, attendendae constitutiones: ex iis eruendum quinam teneantur, quaenam cause excusent aliaeque circumstantiae.

3° Palam est clericos religiosos *in sacris* iam ex alio titulo teneri ad horas canonicas recitandas.

2. Religiosi debent in *sacris ministeriis* clerum

saecularem adiuvare. Ordinarius praecipere valet religiosis, etiam exemptis, brevem *evangelii* aut *doctrinae christianae* explanationem, durante Missa diebus dominicis et festis de praecepto, *catecheticam institutionem*, in eorum ecclesiis fidelibus tradendam, et, propter causam publicam, sonitum campanarum, preces aliquas aut sacra sollemnia, dummodo generali decreto haec imponantur et constitutiones aut privilegia non obstent (can. 612, 1334, 1345).

Ius *designandi* religiosos qui sacris ministeriis incumbant ad Superiores pertinet.

3. Quoad curam animarum, si forte ecclesia religiosorum sit simul paroecialis; item quoad functiones peragendas et alia id genus, servandum est praescriptum can. 609.

Articulus X.

De privilegiis religiosorum.

623. Principia. — 1. Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel in Codice continentur vel a S. Sede directe eidem concessa fuerunt, exclusa in posterum qualibet communicatione (can. 613, § 1).

1° In genere privilegia acquiri possunt quatuor modis: *directa concessione, praescriptione, consuetudine* et *communicatione* (cfr. can. 63; n. 162 ss.). At pro religiosis admittuntur tres tantum priores modi, exclusa communicatione, quae admittitur dumtaxat ab ordine regulari ad moniales *eiusdem* ordinis, quatenus eorum sint capaces.

2° Verba « *exclusa in posterum qualibet communicatione* » ita sunt intelligenda ut in posterum privilegia acquiri nequeant communicatione, non autem ut per Codicem sublata censeantur ea quae antea

legitime obtenta fuerunt communicatione. Id evincunt: *a*) praescriptum can. 4; *b*) verba « *in posterum* », quae necessario et logice significant distinguendum esse inter *praeteritum* et *futurm; c*) revocatio privilegiorum est valde odiosa ideoque eatenus admittenda, quatenus expresse ac perspicue de ea constet: quod in casu non verificatur.

2. Religiosi omnes gaudent privilegiis *clericorum*, i. e. canonis, fori, immunitatis et competentiae. His fruuntur etiam laici et novitii, tam viri quam mulieres, eodem modo et sub iisdem conditionibus ac clerici saeculares (can. 614; n. 225) (1).

624. Exemptio.— 1. Praecipuum et maximi momenti privilegium est *exemptio*, cuius nomine hic intelligitur *immunitas a iurisdictione Episcopi*. Potest esse *partialis* et *totalis*, *personalis* et *realis* sive *localis*, *personalis* simul et *localis* seu *mixta* quatenus directe et immediate afficiat personas, sed ratione personarum se extendat quoque ad earum domus et ecclesias.

2. Omnes religiones aliqua *independentia* ab auctoritate *Episcopi* fruuntur: *minima* congregationes iuris dioecesani, *maiore* congregationes iuris pontificii, *maxima* ordines iisque religiones aequiparatae. Haec dicitur *totalis* ipsaque tantum nomine exemptionis in iure venit.

3. Exemptio competit iure communi *regularibus* utriusque sexus, non exclusis novitiis, sed exceptis iis monialibus quae Praelato regulari non subsunt. Quae exemptio est *personalis* simul et *realis* seu *localis*, cum sese extendat etiam ad eorum domos et eccle-

(1) Privilegium canonis non est confundendum cum excommunicatione seu sanctione poenali qua illud munitur. Privilegium est late interpretandum, poena stricte ad normam iuris. Cfr. Cappello, *Summa iuris publici*, nn. 351, 361; *De censuris*, nn. 197, 270, 377.

sias. Ordinarius iurisdictionem exercere potest, quoad istos regulares, tantum in casibus a iure expressis (can. 615).

4. Congregationes iuris pontificii iure communi exemptione non gaudent; nonnullae ea fruuntur ex privilegio apostolico, v. g. Congregatio Passionistarum et SS. Redemptoris. Si qua affirmet sibi competere, onus habet probandi.

Congregationes iuris pontificii, licet non exemptae, ampla tamen gaudent libertate a iurisdictione Episcopi, qui minime potest constitutiones mutare, etsi nondum definite approbatas, de re oeconomica cognoscere, in regimen internum et disciplinam sese ingerere.

In religionibus *laicalibus* Ordinarius loci *potest* et *debet* inquirere num disciplina vigeat, sana doctrina ac morum probitas intacta servetur, clausura custodiatur, sacramenta debita frequentia suscipiantur; de gravibus *abusibus* Superiores monere ac, si ii non provideant, ipsemet consulere in rebus quae moram non patiantur, delato quamprimum decreto ad S. Sedem (can. 618)

5. Congregationes *iuris dioecesani* subsunt quidem *iurisdictioni* Ordinarii loci, at *ad normam iuris*, quatenus aliqua independentia reapse fruuntur, iure communi statuta, et qua personae morales legitime constitutae et qua sodalitates religiosae.

6. In iis omnibus in quibus religiosi subsunt loci Ordinario, possunt ab eo etiam poenis coerceri atque ad eius forum vocari (can. 619). Mendicantes, etiam lato sensu, ex peculiari privilegio immunes sunt a *censuris* Ordinarii loci, non autem ab aliis poenis.

Religiosi, etiam exempti, frui valent indulto generali Ordinarii, quo dispensatur v. g. super lege ieiunii et abstinentiae; nam vi huiusmodi indulti generalis cessat obligatio legis *communis* pro omnibus

ideoque etiam pro religiosis qui degunt in dioecesi; non cessat autem obligatio *peculiaris* ex votis aut constitutionibus orta (can. 620).

625. Ius quaestuandi. — 1. Regulares qui *ex instituto mendicantes* vocantur et revera tales sunt, eleemosynas *in dioecesi*, ubi eorum domus religiosa constituta est, possunt quaerere de sola Superiorum suorum licentia; *extra dioecesim* indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere volunt (can. 621).

Ex instituto mendicantes intelligendi stricto sensu, ii nempe qui ne in communi quidem iure vigente possidere valent. Huiusmodi sunt Franciscani Minoritae et Capucini et aliquo sensu Patres S. I. et Carmelitae discalceati.

Quaestuare non dicitur qui stipem quaerit in ecclesia, in aliqua sodalitate. Quaestuatio fieri potest etiam pro domo in alia dioecesi existente, item pro ecclesia vel domo aedificanda, reparanda aut adornanda (2).

2. Congregationes *iuris pontificii* stipem quaerere prohibentur *sine speciali S. Sedis privilegio;* obtento privilegio uti tantum valent de Ordinarii loci scripta licentia, nisi in ipso privilegio excludatur necessitas eiusmodi licentiae (can. 622, § 1).

Ordinarius, qui licentiam concedere debet, est Ordinarius loci, ubi quaestuatio fit. Si Congregatio privilegium apostolicum quaestuandi non obtinuerit, Ordinarius ne in sua quidem dioecesi facultatem stipem quaerendi tribuere valet.

3. Congregationes *iuris dioecesani* quaestuare possunt de licentia Ordinarii loci in quo sita est domus religiosa, et Ordinarii loci ubi fit quaestuatio (can. 622, § 2).

(2) Pontif. Comm. Cod., 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 478.

4. Licentia quaestuandi non est facile concedenda ab Ordinario loci, praesertim ubi existunt conventus veri mendicantes. Videat ipse num vera necessitas quaestuationem postulet eamque permittat tantummodo si nullum aliud medium adsit et intra illos fines territoriales qui, circumstantiis perspectis, sufficientes videantur (cfr. can. 622, § 3).

5. Authenticum et recens documentum S. Congregationis pro Ecclesia orientali requiritur ut *orientales* cuiusvis dignitatis et ordinis in dioecesibus latinis, *latini* in orientalibus stipem colligere queant (can. 622, § 4). Non subest huic praescripto quaestuatio facta in dioecesi latina a persona ritus latini, pro orientalibus.

6. Quaestuantes, quoad modum servandum in stipe quaeritanda et disciplinam custodiendam, adamussim servare debent *instructiones* hac de re datas a S. Sede (3). Ad stipem colligendam *professi* dumtaxat, aetate animoque maturi, praesertim si de mulieribus agitur, numquam vero studentes, mittendi sunt (can. 623, 624).

626. Privilegium abbatum de regimine. — Abbates regulares de regimine, scil. ii qui praeficiuntur monasterio sui iuris, post receptam *benedictionem* possunt conferre tonsuram et minores ordines suis subditis, deferre crucem pectoralem et annulum cum gemma, in suo territorio insignibus pontificalibus cum throno et baldachino frui atque officia divina ritu pontificali peragere (cfr. can. 325, 625, 964).

Benedictio est necessaria omnino, et quidem iure positivo ad valorem pro ordinatione, si charactere epi-

(3) Duae praecipuae habentur Instructiones: alia S. C. Ep. et Reg. 27 mart. 1896, altera S. C. de Relig. 21 nov. 1908. Cfr. Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, II, 396 ss., 459 ss.

scopali careat abbas; illa intra tres menses ab electione accipienda est ab Episcopo dioecesis in qua situm est monasterium, impetrato extra Curiam *mandato apostolico*, nisi ex privilegio S. Sedis istae limitationes non existant (4).

627. Obligationes et privilegia religiosi ad ecclesiasticas dignitates promoti vel paroeciam regentis. — 1. Religiosus promoveri nequit ad dignitates, officia et beneficia, quae cum statu religioso componi non possunt, sine peculiari venia S. Sedis (can. 626, § 1). Huiusmodi sunt dignitates, officia et beneficia stricte saecularia. Officium censoris librorum, examinatoris aut iudicis synodalis vel prosynodalis, professoris, incompatibile non est; nec officium Vicarii generalis in dioecesi religioni concredita (can. 367, § 2).

Si religiosus *eligatur* ab aliquo collegio, ex. gr. ad dignitatem episcopalem, nequit electioni assentire sine licentia Superioris, et si voto tenetur non acceptandi dignitates indiget peculiari dispensatione R. Pontificis (can. 626, §§ 2 et 3).

Consideratur a Codice casus tantum *electionis*, quia si religiosum immediate R. Pontifex promoveat, promotio ab eo facta nec licentia nec dispensatione indiget, ut evidens est.

2. Religiosus renuntiatus *Cardinalis* aut *Episcopus*, etiam titularis, manet religiosus quoad privilegia, vota et obligationes, iis exceptis quae cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse. Eximitur tamen a potestate Superiorum et *vi voti obedientiae* uni R. Pontifici manet obnoxius (can. 627, 628).

Episcopus vel Cardinalis religiosus sequi tenetur ritum romanum, licet in ordine ritum specialem ha-

(4) Cfr. Breve Benedicti XV « *Pro benedictione* », 29 iun. 1921 (*A. A. S.*, XIII, 416), respiciens abbates O. S. B.

buerit. Episcopus residentialis etiam calendario suae dioecesis uti debet. Habitum utique deferat eiusdem coloris ac in sua religione, aptatum tamen formae novae dignitatis; itemque tonsuram religiosam deferat (5).

Num eo tempore quo religiosi in dignitate sunt, voce activa et passiva careant, nisi aliud expresse caveatur in constitutionibus, controvertitur. Verius affirmandum ob analogiam can. 629, § 2.

3. Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam extra propriam religionem evectus :

1° Si per professionem *dominium* bonorum suorum *amiserit*, exinde habet usum, usumfructum et administrationem bonorum qui ipsi obveniunt; *proprietatem* vero Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae; ceteri dignitarii vel religioni vel S. Sedi prout agitur de religione stricte mendicante vel non. Cardinales de reditibus beneficiariis libere disponunt etiam per testamentum, excepta sacra supellectili (cfr. can. 239, § 1, 19°, 582, 628, 1°, 1298).

2° Si ex professione *dominium* bonorum *non amiserit*, recuperat usum, usumfructum et administrationem bonorum quae habebat; quae postea ipsi obveniunt, sibi plene acquirit (can. 628, 2°). Hinc potest vendere, donare, seu quoquo modo alienare, quin licentia indigeat.

3° Palam est, in utroque casu, sive retinuerit sive amiserit dominium, religiosum disponere posse de bonis dumtaxat quae ipsi obveniunt *intuitu personae;* de ceteris nonnisi secundum offerentium voluntatem (can. 628, 3°).

4. Dimisso cardinalatu vel episcopatu aut expleto munere extra religionem ei commisso a S. Sede, re-

(5) Bened. XV Motu propr. 20 april. 1920 usum rocheti omnibus Episcopis religiosis concessit. *A. A. S.*, XII, 149.

ligiosus tenetur ad religionem redire; attamen Cardinalis vel Episcopus domum religiosam quam maluerit eligere potest ubi degat, sed caret voce activa et passiva (can. 629). Quae carentia rationem poenae nullatenus habet.

5. Religiosus *parochus* subest *qua religiosus* Superioribus, *qua parochus* Ordinario loci. Tenetur servare *vota* et *constitutiones* suae religionis simulque universam *curam animarum* gerere (can. 464, § 1, 471, § 1). Si conflictus aliquando oriatur inter diversa officia, praevalent *paroecialia*.

Quoad bona temporalia, oblationes, eleemosynas etc. praescripta Codicis adamussim servanda (cfr. can. 533, § 1, 4°, 535, § 3, 2°, 580, 582, 630, 631).

Articulus XI.

De transitu, egressu et dimissione.

628. Transitus ad aliam religionem. — 1. Transitus hic est derelictio religionis, in qua quis vota emisit et consequens ingressus immediate in aliam religionem.

Iuridice transitus non verificatur de postulante aut novitio, sed solum de religioso qui vota, saltem temporaria, emisit. Vi transitus non status ipse religiosus, sed religio seu forma status mutatur.

Transitum ad aliam religionem imitatur transitus ab uno monasterio *sui iuris* ad aliud.

2. Haec praecipue attendenda (can. 632-636):

1° Religiosus *sine licentia S. Sedis* nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire (1).

2° Qui transit ad aliam religionem novitiatum peragere debet, et subest, etiam ratione voti obe-

(1) Cfr. S. C. de Relig., 9 nov. 1926; *A.A. S.*, XVIII, 490.

dientiae, Superioribus religionis novae atque ipsi novitiorum magistro.

3° Durante novitiatu, manent tantum tria vota essentialia; cetera vota et obligationes particulares religionis derelictae suspenduntur.

4° Transiens ad aliud monasterium *eiusdem* ordinis nec novitiatum peragere nec novam professionem emittere tenetur.

5° Qui transierit ad aliam religionem, si expleto novitiatu non emittat professionem, debet redire ad pristinam religionem, nisi interim votorum tempus exspiraverit. Quo in casu applicantur normae generales.

6° Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, expleto novitiatu in nova religione, *statim* debet *vel* emittere professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, *vel* ad pristinam religionem redire, nisi Superior velit eum diutius probare, non ultra tamen annum a novitiatu expleto.

In hoc casu, cum agatur de *prima* professione in nova religione, votum *deliberativum* capituli vel consilii requiritur (2).

7° Qui transit ad aliud monasterium eiusdem ordinis a die transitus (quo nempe adscribitur novo monasterio), qui vero transit ad aliam religionem ab edita nova professione :

a) Amittit omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius iura et officia suscipit. Cessant etiam vota *peculiaria* in priore religione emissa, ex. gr. votum non ambiendi dignitates (3).

b) Religio vel monasterium *a quo* bona servat, quae ratione ipsius religiosi quaesita iam illi fuerunt;

(2) Pontif. Comm. Cod., 14 iul. 1922; *A. A. S.*, XIV, 526.
(3) Const. « *Honorum* » Urbani VIII, 24 febr. 1643, abrogata dicenda est.

dos vero et alia bona quae sunt in dominio religiosi eum sequuntur. Nova religio pro tempore novitiatus ius habet ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, § 1 (n. 608, 3).

8° Sollemnitas votorum in eo qui legitime vota simplicia in congregatione, facto transitu ab ordine, emittit, *eo ipso exstinguitur*, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur.

Id valet de transitu ad quamlibet congregationem, etiam votorum temporariorum. Si religiosus forte exeat, non tenetur ad priorem redire: sane vinculum cum ea omnino solutum est.

629. Egressus e religione. — 1. Egressus potest esse voluntarius et involuntarius; voluntarius autem legitimus et illegitimus.

Voluntarius legitimus locum habet triplici in casu: 1° *expleto tempore votorum;* 2° *exclaustratione;* 3° *saecularizatione.*

2. Professus a votis temporariis, *expleto tempore votorum*, potest *libere* religionem deserere; pariter religio ob iustas et rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse *dolose* reticitam aut dissimulatam (can. 637).

Iustae et rationabiles causae requiruntur ad valorem dimissionis. Reticentia non dolosa aut dissimulatio morbi bona fide facta non sufficiunt (4).

Qui e religione exit, expleto votorum tempore, nihil exigere potest ob labores in religione peractos (can. 643, § 1).

(4) Professus votorum simplicium in ordine vel congregatione, qui durante triennio votorum temporariorum in amentiam labitur, nequit dimitti. Ipse manet religioni adscriptus in eo statu in quo erat quando mente captus est, et religio tenetur erga eum ad eadem officia ad quae tenebatur antequam amens fieret. S. C. de Relig., 28 nov. 1924, 5 febr. 1925; *A. A. S.*, XVII, 107.

3. *Exclaustratio* est egresus e religione et permanentia *ad tempus* in saeculo, retento ligamine cum religione (can. 638). Ante Codicem dici solebat saecularizatio ad tempus.

1° Exclaustratio conceditur a S. Sede, si de religione iuris pontificii agitur; ab Ordinario loci, si agitur de religione iuris dioecesani (can. 638). Ordinarius competens est ille in cuius dioecesi reperitur domus cui adscriptus est religiosus, vel in qua is saltem quasi-domicilium vel actualem residentiam habet.

2° Qui indultum exclaustrationis *a S. Sede* obtinuerit, votis ceterisque obligationibus professionis, quae cum suo statu in saeculo componi possunt, obstrictus manet; a ceteris, quae componi nequeunt, liberatur. Deponere debet formam exteriorem religiosi habitus. Caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus religionis et Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum religionis, subiicitur etiam ratione voti obedientiae (can. 639).

3° Obtinens exclaustrationem *ab Ordinario loci* statum iuridicum dimetitur ex indulto ipso. Ordinarius permittere valet delationem habitus religiosi; in ceteris ob analogiam se conformare tenetur iis quae can. 639 statuuntur.

4° Bona temporalia exclaustratus religioni aut S. Sedi acquirit, ut alii religiosi.

230. 4. *Saecularizatio* est totalis et perpetuus egressus e religione (can. 638). Iste conceptus novus est.

Conceditur a S. Sede in religione iuris pontificii; ab Ordinario loci, ubi religiosus habet domicilium vel quasi-domicilium aut actualem commorationem, in religione iuris dioecesani.

1° Saecularizatus amittit statum religiosum, separatur penitus a religione, solvitur a votis et obligationibus propriis religionis, manentibus tamen oneribus adnexis ordinibus maioribus si *in sacris* sit. In Missa

et horis canonicis, in usu et dispensatione sacramentorum, in ceteris omnibus assimilatur personis saecularibus (can. 640, § 1).

2° Religiosus qui saecularizationis indultum impetravit, potest illud recusare, cum eiusdem notitiam accipit a Superiore locali vel ab alio, licet Superior generalis (aut Ordinarius loci, si de religiosa agitur) in scriptis exsecutoriale decretum forte iam emiserit (5).

3° Etiam indultum saecularizationis concessum a loci Ordinario secumfert dispensationem a votis, non excluso voto perpetuae et perfectae castitatis. Non obstat praescriptum can. 1309 (6). Dispensatio in casu conceditur ab ipso iure, cum ipsi saecularizationi adnexa sit.

4° Si religiosus *in sacris* constitutus propriam dioecesim adhuc servet seu professionem perpetuam nondum emiserit (cfr. can. 585; n. 223) debet, saecularizatione obtenta, ad propriam dioecesim redire et a proprio Ordinario recipi; si vero propriam dioecesim iam amiserit, nequit extra religionem (seu propriam domum religiosam) sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sancta Sedes aliter providerit (can. 641, § 1).

Prohibitio exercendi ordines non est poena, ideoque eius violatio non induceret irregularitatem.

5° *Episcopus* religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium: in priore casu religiosus eo ipso dioecesi incardinatur; in altero, Episcopus potest tempus experimenti prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo elapso, religiosus ipso facto manet incardinatus dioecesi, si antea dimissus non fuerit (can. 641, § 2).

(5) S. C. de Relig., 1 aug. 1922; *A. A. S.*, XIV, 501.

(6) Cfr. resp. Pontif. Comm. Cod. 12 nov. 1922; *A. A. S.*, XIV, 661.

Vicarius generalis sine mandato speciali recipere nequit religiosum saecularizatum, nec verius Vicarius capitularis ante annum a vacatione. Agitur sane de incardinatione aut de praeparatione ad eandem. Hinc Codex loquitur expresse de *Episcopo*.

Religiosus acceptari potest ad experimentum etiam ad unum vel alterum annum, non tamen prima vice ultra triennium. Contraria opinio probabilis nobis non videtur, perspectis verbis Codicis.

Religiosus etiam ante triennium elapsum dimitti potest ab Episcopo. Dimissus non videtur obnoxius prohibitioni exercendi ordines sacros.

6° Professus ad saeculum regressus prohibetur sine novo et speciali S. Sedis indulto : *a*) quolibet beneficio in basilicis maioribus et minoribus, et in ecclesiis cathedralibus; *b*) quolibet magistero et officio in Seminariis seu collegiis, ubi clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae gaudent privilegio conferendi gradus academicos; *c*) quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de congregatione dioecesana. Haec valent quoque de iis qui vota temporaria vel iuramentum perseverantiae aut peculiares promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati fuerunt, si per sex integros annos eisdem ligati fuerint (can. 642).

In domibus religiosis prohibentur verius etiam officis lato sensu, v. g. confessarii, cappellani etc. Non agitur de inhabilitate, sed tantum de prohibitione, quae illicitam, non invalidam, reddit collationem officii vel beneficii. Prohibitio respicit saecularizatos quoque ante Codicem (7); at qui legitime officia interdicta obtinuerunt, non tenentur hodie, post Codicem, ea dimittere : agitur enim de iure quaesito.

(7) Pontif. Comm. Cod., 24 nov. 1920; *A. A. S.*, XII, 573.

Prohibitiones eiusmodi non afficiunt religiosos dimissos vel saecularizatos qui ordines sacros susceperint post dimissionem aut saecularizationis indultum; nec eos qui ad saeculum redierunt, elapso tempore votorum temporariorum; nec probabiliter exclaustratos.

7° Religiosus saecularizatus (item egressus, expleto votorum tempore, et dimissus) nihil repetere potest ob operam quamcumque religioni praestitam (can. 643, § 1).

Si religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibi providere valeat, religio *ex caritate* eidem dare debet ea quae necessaria sunt ut modo tuto et convenienti domum redeat, ac providere, ut naturali aequitate servata, *per aliquod tempus* (ad unum alterumve mensem) mutuo consensu vel, in casu dissensus, ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit (can. 643, § 2).

Si dos non attingat ad convenientem subsidii aestimationem religio non liberatur omni obligatione erga religiosam discedentem per dotis restitutionem, sed supplere tenetur id quod desit ad aequum subsidium caritativum constituendum (8).

Praescriptum de subsidio caritativo respicit tantum religiosas; at ex quadam naturali aequitate idem servandum ubi agitur de religioso, si revera indigeat.

631. Egressus voluntarius illegitimus. — 1. Habetur per *apostasiam a religione* et *fugam*. Dicitur *apostata a religione* professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, licet legitime egressus, tamen non redit eo quidem animo ut religiosae obedientiae se subtrahat. Huiusmodi animus *malitiosus* non redeundi aut se obedientiae religiosae subtrahendi *iure praesumitur* si re-

(8) S. C. de Relig., 2 mart. 1924; *A. A. S.*, XVI, 165.

ligiosus *intra mensem* nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit (can. 644, §§ 1 et 2).

1° Duo postulantur ad delictum apostasiae : factum desertionis et animus non redeundi seu se subtrahendi obedientiae religiosae.

2° Si vota sint temporaria, eiusmodi delictum non concipitur.

3° Animus non redeundi ad domum a qua discessit, dummodo adsit intentio revertendi ad aliam domum seu ad religionem, non sufficit ad constituendum delictum apostasiae. Idem dicas de religioso, qui egreditur ad iniustas vexationes Superioris vitandas, recursu interim facto ad S. Sedem vel ad Superiores maiores.

2. *Fugitivus* dicitur religiosus qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (can. 644, § 3) (9).

1° *Fugitivus* potest esse etiam religiosus a votis temporariis, quamdiu iisdem ligatur.

2° Qui clam egreditur ad aliquid insciis Superioribus faciendum, non est iuridice fugitivus, cum desit animus se subtrahendi regulari observantiae et obedientiae, qui necessario requiritur ad *fugam* constituendam.

3° Nec fugitivus est, qui ad breve tempus, ad duos vel tres dies extra domum religiosam moratur; nec a fortiori qui ut liberetur a molestiis sibi a Superiore illatis domum religiosam deserit ad aliam directe transiens.

3. Apostata et fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvuntur ac sine mora ad religionem redire tenentur (can. 645, § 1). Ratio manifesta :

(9) Notio *fugae* applicatur etiam sodalibus societatum in communi viventium sine votis, dummodo vitam in communi ducere sub gravi teneantur. Pontif. Comm. Cod., 2-3 iun. 1918, ad VI; *A. A. S.*, XI, 344.

illegitime versantur extra religionem. Est obligatio gravis.

4. Superiores debent eos sollicite requirere et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere; reditum monialis apostatae vel fugitivae caute curet loci Ordinarius et, si agatur de monasterio exempto, etiam Superior regularis (can. 645, § 2).

Obligatio urget ex iure divino, i. e. ratione muneris. Cessat si nulla sit spes apostatas vel fugitivos ad bonam frugem reducendi.

5. Poenae contra *apostatas* statutae: 1° excommunicatio l. s. reservata Superiori maiori, si de religione clericali exempta agitur, secus reservata Ordinario loci in quo apostata degit; 2° exclusio ab actibus legitimis; 3° privatio omnium privilegiorum suae religionis; 4° privatio perpetua, etiam post reditum, vocis activae et passivae; 5° aliis quoque poenis puniri debent ad normam constitutionum (can. 2385).

Contra *fugitivos* poenae: 1° privatio officii quod fugitivus in religione obtinebat; 2° suspensio proprio Superiori maiori reservata, si fugitivus sit in sacris; 3° aliae poenae iuxta constitutiones, post reditum, infligendae (can. 2386).

632. Dimissio. — 1. Quadruplex considerari potest: 1° dimissio ab ipso iure statuta; 2° dimissio religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt; 3° dimissio eorum qui vota perpetua emiserunt in religione clericali non exempta aut in religione exempta laicali; 4° dimissio eorum qui vota perpetua sive sollemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta.

2. *Dimissio ab ipso iure statuta.* Ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi religiosi ad normam can. 646, § 1:

1° Publici apostatae a fide catholica. Comprehenditur etiam haeresis et schisma. Publicitas aestimanda ad normam can. 2197, 1°.

2° Religiosus, qui fugam arripuerit cum muliere, aut religiosa quae cum viro. Requiritur et sufficit fuga, licet animus habeatur revertendi, dummodo ne sit ad brevissimum tempus: hoc sane in casu vera *fuga* deesset (10).

3° Attentantes vel contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile.

Ad *valorem* dimissionis nulla formalitas requiritur; nam posito facto dimissio ab ipso iure decernitur. Codex tamen iubet ut Superior maior cum suo capitulo vel consilio ad normam constitutionum emittat *declarationem facti*. Probationes facti collectae in domus regestis asservari debent (can. 646, § 2).

Haec omnia applicanda sunt etiam religiosis a votis temporariis atque iis qui vota conditionata emittunt « *donec in congregatione vivam* » (11).

Non agitur de *sententia* declaratoria, ut quidam minus recte dicunt, sed solum de simplici *declaratione* facti, quam ipsa Antistita vel Superiorissa generalis aut provincialis cum suo consilio emittit. Quae declaratio communicanda est Ordinario dioecesis originis religiosi dimissi et Ordinario loci ubi morari dignoscitur, si de religioso in sacris agitur (12).

633. 3. *Dimissio religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt.*

1° Professus a votis temporariis sive in ordine sive in congregatione iuris pontificii dimitti potest a supremo religionis moderatore (item a suprema moderatrice in congregatione mulierum) aut ab Abbate monasterii sui iuris cum consensu consilii per suffragia secreta manifestato, vel si agatur de monialibus, ab Ordinario loci et, si monasterium sit regula-

(10) Nescimus cur Matth. a Coronata censeat religiosum apostatam, qui in concubinatu viveret, non esse obnoxium praescripto huius canonis. Eo ipso quod religiosus vivit *in concubinatu*, verificatur fuga arrepta cum muliere, de qua sub n. 2°.

(11) Pontif. Comm. Cod., 1 mart. 1921; *A. A. S.*, XIII, 177.

(12) S. C. de Relig., 16 mart. 1911; *A. A. S.*, III, 238.

ribus obnoxium, a Superiore regulari, postquam Antistita monasterii cum suo consilio fidem de causis scripto fecerit; in congregatione iuris dioecesani, ab Ordinario loci ubi religiosa domus sita est, qui tamen iure suo uti nequit moderatoribus insciis vel iuste dissentientibus (can. 647, § 1). Omnes isti Superiores possunt alios delegare.

2° Causae dimissionis debent esse graves; et possunt esse sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Huiusmodi causae sunt: gravis et externa culpa contra castitatem, grave et publicum scandalum, formalis contemptus auctoritatis Superiorum, etc. Etiam defectus spiritus religiosi, qui aliis scandalo sit, est causa sufficiens dimissionis, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non autem infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse *dolose* reticitam aut dissimulatam (can. 647, § 2).

Amentia superveniens professioni temporariae aut mentis debilitas non est causa sufficiens ad dimissionem. Monitiones praemittendae non sunt stricte iudiciales seu canonicae.

3° Causae certo innotescere debent Superiori dimittenti, at opus non est ut formali iudicio comprobentur. Religioso manifestandae sunt, plena facultate ipsi concessa respondendi; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur ab eoque accurate examinentur (can. 647, § 2, 3°).

Iustitiae et aequitati optime consulitur; nam processus formalis excluditur quidem, at reo iustae defensionis facultas semper datur.

4° Contra decretum dimissionis religiosus ad S. Sedem recurrere potest in suspensivo (can. 647, § 2, 4°).

Tempus utile ad recursum est decem dierum ab intimatione decreti religioso facta, supputandum ad normam can. 34, § 3, 3°. Religiosus recurrere potest vel immediate per litteras ad S. C. de Relig., vel me-

diate per eum qui decretum dimissionis communicavit. Pendente recursu, dimissus adhuc est religiosus, ideoque omnia iura et privilegia atque obligationes habet quae ceteris religiosis competunt. Si religioso una cum decreto dimissionis impositum sit praeceptum vel sententia iudicialis comminans censuram, si haec sententia vel praeceptum respiciant dimissionem, ex interposito recursu ipsa quoque suspenduntur una cum censura comminata; si vero praeceptum aut sententia non respiciant dimissionem sed alias res in quibus recursus in suspensivo non datur, servandum erit praeceptum aut sententia ipsaque censura (13).

5° Mulieribus religiosis dimissis concedendum subsidium caritativum (can. 647, § 2, 5°), de quo supra (n. 630).

6° Religiosus dimissus *ipso facto* solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris. Hoc in casu, si propriam dioecesim non amisit, ad eandem redire et a proprio Ordinario recipi debet; si dioecesim amisit (v. g. ex privilegio seu iure particulari, non generatim iure communi, attento can. 585), nequit extra religionem ordines sacros exercere donec Episcopum benevolum receptorem invenerit aut S. Sedes aliter providerit. Dimissus prohibetur iisdem officiis ac beneficiis quibus prohibetur saecularizatus (cfr. n. 630, 6°). Si dimissus sit clericus in minoribus, ipsa dimissione reducitur ad statum laicalem (can. 641, § 1, 642, 648).

634. 4. *Dimissio religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta aut in religione laicali.*

1° In religionibus *virorum* professus a votis perpetuis dimitti nequit, nisi praecesserint tria delicta

(13) Cfr. can. 2243, § 2; S. C. de Relig., 20 iul. 1923; *A. A. S.*, XV, 457.

cum duplici monitione ac defectu emendationis (14). Monitiones debent esse canonicae aut ad instar canonicarum.

Si agitur de religioso *iuris dioecesani*, supremus moderator cum suo consilio — ubi constiterit de causa dimissionis seu de triplici delicto, de duplici monitione ac de emendationis defectu — perpensis omnibus facti circumstantiis, ad maioritatem suffragiorum deliberare debet num sit locus dimissioni; quae si deliberata sit, tota res deferenda est ad Ordinarium loci ubi domus religiosa professi existit; Ordinarii autem erit, pro suo prudenti iudicio eam decernere necne (can. 650, 652, § 1).

Non est sententia iudicialis, sed decretum administrativum. Datur tamen recursus *in suspensivo* ad S. Congregationem de Religiosis intra decem dies ab intimatione. Item datur religioso facultas se defendendi eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciendae sunt.

In religione *iuris pontificii* — si constiterit de triplici delicto, de iterata monitione ac de emendationis defectu — supremus congregationis moderator, perpensis omnibus facti adiunctis, deliberat cum suffragio deliberativo consilii num locus sit dimissioni, data reo potestate sese defendendi. Decretum dimissionis una cum actis et rei responsionibus ad S. C. de Religiosis transmittendum est ut confirmetur; effectum autem haud sortitur nisi postquam confirmatum fuerit (can. 650).

Confirmatio S. Sedis vim mere exsecutivam tribuit.

2° In religionibus *mulierum* professae a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus dimitti ne-

(14) Vota simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante Codicem in religionibus votorum sollemnium utriusque sexus, moderanda sunt quoad modum dimissionis et quoad effectus dimissionis a iure vigente ante Codicem. Pontif. Comm. Cod., 29 iun. 1918, 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 476.

queunt, nisi adsint causae graves exteriores una cum incorregibilitate, prius experimento facto ita ut spes resipiscentiae, iudicio Antistitae, evanuerit. Religiosae dimittendae ius est rationes suas exponendi, eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt (can. 651, §§ 1 et 2).

Tres conditiones : *a) causae graves exteriores,* non delicta; at eiusmodi sint oportet illae causae, ut theologice graviter imputabiles sint religiosae; *b) incorregibilitas,* de qua constare debet per monitiones rite factas, licet non stricte canonicas; *c) experimentum* per congruum temporis intervallum.

Iudicium de causis gravibus, de incorregibilitate ac de sufficienti experimento in prima instantia pertinet ad Antistitam monasterii si agitur de monialibus clausura obstrictis, ad Antistitam supremam si de congregatione iuris pontificii vel dioecesani. Debetne exquirere suffragium consilii? Codex silet. Verius affirmandum; non tamen, iure vigente, ad valorem, nisi aliud constitutiones statuant.

In congregatione *iuris dioecesani,* Ordinarius loci ubi sita est domus religiosae dimittendae, acceptis actis ex quibus constare debet de causis gravibus, de incorregibilitate atque de experimento, causas dimissionis expendit ac decretum dimissionis fert (can. 652, § 1). Contra decretum hoc datur recursus ad S. Sedem in suspensivo.

In religione *iuris pontificii,* suprema moderatrix rem totam defert ad S. C. de Religiosis cum omnibus actis et documentis; S. Congregatio dimissionem decernet necne, religiosae dimissae, si opus fuerit, subsidio caritativo assignato (can. 643, § 2, 652, § 3).

In *monasterio monialium,* Ordinarius loci omnia acta et documenta sibi delata ab Antistita monasterii transmittit ad S. Congregationem cum suo et Superioris regularis voto, si monasterium obnoxium sit Praelato regulari. Decretum dimissionis reservatur ei-

dem S. Congregationi. Religiosae dimissae dos et subsidium caritativum praestandum est (can. 643, § 2, 652, § 1).

Moniales quae vota tantum simplicia emittunt, iure congregationis dioecesanae verius reguntur.

635. 5. *Casus extraordinarii excepti.* In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus (vel religiosa) statim potest a Superiore maiore cum consensu sui consilii, vel etiam si periculum sit in mora et tempus desit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico dimisso, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem maiorem, si adsit, S. Sedis iudicio sine mora subiiciatur (can. 653).

Id valet de quavis religione utriusque sexus, etiam exempta. Si agitur de religione iuris dioecesani, non videtur res deferenda ad S. Sedem, cum ipsemet Ordinarius decretum dimissionis ferre valeat. Si religio clericalis sit exempta, non requiritur consensus Ordinarii loci.

Scandalum externum habetur cum grave delictum iam divulgatum est. Eiusmodi sit oportet ut alio modo consuli nequeat, v. g. per translationem religiosi in aliam domum.

Gravissimum nocumentum, quod *immineat,* i. e. intra breve tempus ipsi *communicati,* non huic aut illi religioso dumtaxat, est alius casus.

In his casibus exceptis non habetur *sententia* vel *decretum* dimissionis, sed solum *factum* dimissionis. Haec iuridice tunc habebitur, cum S. Sedes suam sententiam ediderit.

636. 6. *Dimissio religiosorum qui vota perpetua emiserunt in religione clericali.*

1° Professus a votis perpetuis, sollemnibus aut simplicibus, in religione clericali exempta, dimitti ne-

quit nisi per processum, quolibet privilegio contrario revocato (can. 654). Admittuntur tamen casus excepti, de quibus supra (n. **635**), ac dimissio ipso iure statuta (n. **632**, 2).

2° Competens ad sententiam dimissionis ferendam est supremus religionis aut monasticae congregationis moderator (15) cum suo consilio seu capitulo, quod constet saltem quatuor religiosis; qui si desint, eorum loco totidem religiosos eligere debet praeses de consensu aliorum qui cum ipso tribunal collegiale constituunt. Idem praeses de aliorum consensu eligere tenetur promotorem iustitiae, qui sit eiusdem religionis alumnus (can. 655, §§ 1 et 2, 1589, § 2).

Igitur causa tractanda ac definienda est a tribunali collegiali quinque iudicum. Promotor iustitiae constitui potest vel pro singulis causis aut ad universitatem causarum. Processui interesse debet notarius, qui acta conficit. Reus sibi eligere potest advocatum; si id non fecerit, a iudice designandus est.

3° Ad processum instituendum deveniri nequit nisi praecesserint gravia delicta externa contra ius commune vel speciale religiosorum, monitiones canonicae et defectus emendationis seu incorregibilitas, de quibus ad normam iuris constet (can. 656).

a) Delicta debent esse saltem *tria* eiusdem speciei, v. g. contra castitatem, vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut *unum permanens*, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat (can. 657).

Delicta debent esse omnino gravia, saltem attentis circumstantiis. Necesse non est ut sint notoria vel publica ad normam can. 2197, 1° et 2°. Possunt esse aut contra ius commune v. g. Codicis aut contra constitutiones vel leges peculiares religionis aut praecepta Superiorum.

(15) Si monasterium sui iuris ad nullam pertineat congregationem monasticam, recurrendum erit ad S. Sedem. Cfr. S. C. de Relig., 16 maii 1911; *A. A. S.*, III, 235.

Delictum permanens illud est quod habet tractum necessarium, ex. gr. apostasia a religione, concubinatus etc.

b) Monitiones debent esse *duae*, i. e. singulae pro singulis duobus primis delictis; in delictis continuatis seu permanentibus oportet ut inter primam et alteram tres integri dies intercedant (can. 660).

Requiruntur monitiones *canonicae*, sive publicae sive secretae (cfr. can. 2306 ss.), et quidem ad valorem processus.

Ad monitionem faciendam necesse est ut delictum sit notorium aut de eodem constet ex confessione extraiudiciali rei vel ex aliis sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio supeditaverit. Monitio autem facienda est ab immediato Superiore maiore per se vel per alium de eius mandato; hoc datum pro prima monitione valet etiam pro altera (can. 658, 659).

Superior monitionibus addere debet opportunas exhortationes et correctiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem. Singulis monitionibus addenda est comminatio dimissionis (can. 661), quae ad substantiam processus pertinet.

4° Requiritur *incorregibilitas*, quae tunc haberi censetur, quando religiosus post secundam monitionem novum delictum commiserit aut in eodem permanenter perstiterit; post ultimam monitionem sex saltem dies erit exspectandum, antequam ad ulteriora procedatur (can. 662). Haec omnia ad substantiam pertinent.

5° Ex processu constare debet de delictis patratis, de praemissa duplici monitione ac de emendationis defectu. Sententia ferenda est ad maioritatem absolutam suffragiorum.

6° Sententia exsecutioni mandari nequit nisi fue-

rit a S. C. de Religiosis confirmata (can. 666). Communicanda ac intimanda est reo, ac praeterea significanda Ordinario originis religiosi dimissi, et Ordinario loci ubi dimissus commoratur.

7° Pro dissitis regionibus, etiam in casibus ordinariis, supremi moderatores cum consensu consilii vel capituli possunt facultatem dimittendi tribuere probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent (can. 667).

Dissitae regiones censeri possunt etiam nonnullae intra Europam. Delegatio in *singulis* casibus fieri potest pro quavis regione, etiam non dissita.

637. Conditio iuridica religiosi a votis perpetuis dimissi. — 1. Hic manet adstrictus votis religionis, salvis constitutionibus aut S. Sedis indultis quae aliud ferant (16); ipse autem, votis adhuc ligatus, tenetur ad claustra redire, et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio debet illum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religionis sive ex parte religiosi dimissi, res iudicio S. Sedis subiicienda (can. 671, 672).

Quidquid acquirit, manentibus votis, acquirit religioni; at quaedam bonorum administratio ipsi necessario permittitur. Ratione voti obedientiae subest Ordinario loci. Solutus a votis vel ipsa dimissione vel ex dispensatione S. Sedis, non tenetur ad claustra redire. Rediens autem ad religionem, non debet novitiatum aut professionem repetere, cum a sua religione plene abscissus non fuerit; aliter dicendum, si obtinuisset indultum saecularizationis.

2. Si agitur de clerico in minoribus constituto, dimissio, praeter effectus supra recensitos, reducit ipso facto clericum ad statum laicalem (can. 669, § 2).

(16) In Societate Iesu religiosus, qui vota simplicia emiserit, licet perpetua, ab iisdem solvitur vi ipsius dimissionis. Ita dimissus et solutus non tenetur prohibitionibus de quibus in can. 642 (n. **630**, 6°).

3. Si agitur de clerico *in sacris*, qui dimissus fuerit ob delicta ordinaria minora, ipso facto suspensus manet, donec a S. Sede absolutionem obtinuerit; si commiserit aliquod delictum de quo in can. 646 (n. 632) aut dimissus fuerit ob delictum quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione aut degradatione, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum (can. 670) (17).

4. Si vota in religione emissa cessaverint, et dimissus Episcopum benevolum receptorem invenerit, sub eius iurisdictione et vigilantia manet, qui tamen nequit sine speciali S. Sedis licentia eidem conferre officia et beneficia religiosis saecularizatis interdicta (n. 630, 6°); si vero dimissus Episcopum receptorem non inveniat, res deferenda est ad S. Sedem (can. 672, § 2). Haec, si dimissus emendationis signa dederit, concedere solet facultatem limitatam celebrandi et quaedam ministeria sacra exercendi.

CAPUT XII.

DE SOCIETATIBUS SIVE VIRORUM SIVE MULIERUM IN COMMUNI VIVENTIUM SINE VOTIS

Articulus I.

De natura ac divisione societatum sine votis.

638. Natura. — 1. Societas virorum aut mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Supe-

(17) Dimissus ob graviora delicta, ut patet, in perpetuum suspensus manet. Cur nonnulli (cfr. Matth. a Coronata, n. 660) negent aut dubitent, nescimus prorsus, cum multiplici ex capite suspensioni locus sit in casu.

riorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, habet quandam similitudinem cum religione, at proprie non est religio, nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur (can. 673, § 1).

2. Hinc apparet in quo *conveniat* et in quo *discrepet* huiusmodi societas cum religione. *Convenit* quatenus, uti religio, est societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales vivunt in communi et subsunt Superioribus secundum proprias probatas constitutiones. *Discrepat*, quia vota *publica*, i. e. quae nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptantur (can. 1308, § 1), in ea non emittuntur.

3. Quaedam societates nulla habent vota, quaedam unum vel alterum tantum, quaedam tria vota essentialia, sed mere *privata*, licet forte coram communitate et peculiari sollemnitate emissa. V. g. *presbyteri missionis* a S. Vincentio e Paulo instituti habent quatuor vota privata : castitatis, paupertatis, obedientiae et permanentiae.

4. Ex dictis liquet cur huiusmodi societas non sit « *proprie religio* », nec eius sodales *proprie* « nomine religiosorum » designentur. Quamquam, iuridice loquendo, secundum terminologiam Codicis, societas religio non est eiusque sodales religiosi non sunt, tamen vulgo nomine religiosorum designari solent.

639. Divisio. — Huiusmodi societas est 1° *clericalis* si plerique sodales sacerdotio ex instituto ungentur, secus *laicalis;* 2° *iuris pontificii*, si approbationem vel saltem decretum laudis a S. Sede obtinuerit; *iuris dioecesani*, si ab Ordinario erecta, hoc decretum nondum obtinuerit (can. 673, § 2, iunct. can. 488, 3° et 4°; n. 567).

Articulus II.

De iure quo reguntur societates sine votis.

640. Praemittenda. — 1. In nonnullis istae societates aequiparantur religionibus ideoque eodem iure reguntur, in nonnullis iure speciali seu propriis constitutionibus unice gubernantur.

2. In dubio, ad normam can. 20, iisdem applicandum est ius commune de religiosis, dummodo ne agatur de odiosis v. g. de poenis.

641. Singula praescripta. — 1. Quoad *erectionem et suppressionem* societatis eiusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de congregationibus religiosis constituta sunt (can. 674; n. 571).

2. Quoad *regimen*, standum est constitutionibus legitime approbatis uniuscuiusque societatis; attamen quae Codex statuit de Superioribus et capitulis seu consiliis, de cappellanis et confessariis, congrua congruis referendo, applicantur etiam huiusmodi societatibus (can. 675; n. 574 ss.).

Superiores domorum externarum, quae non pertinent ad societatem, licet in iisdem pauci sint numero sodales, ex gr. Seminaria, nosocomia, etc., nequeunt constitui ultra triennium (1).

3. Quoad *dominium* et *administrationem* bonorum :

1° Societas eiusque provinciae et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia.

2° Quidquid sodalibus obvenit *intuitu societatis*, societati acquiritur. Ratio manifesta. Id enim tum ex pacto saltem implicito tum ex voluntate dantium sponte consequitur.

3° Bona, quae propria industria sodales acquirunt itemque cetera quae non intuitu societatis iisdem ob-

(1) Pontif. Comm. Cod., 2-3 iun. 1918, 25 iun. 1926; *A. A. S.*, X, 347; XVIII, 393.

veniunt sed ex alio capite, ipsi secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant (can. 676, §§ 1 et 3). Non raro constitutiones vetant bonorum usum, usumfructum et administrationem.

4° Administratio bonorum, quae pertinent ad societatem, provincias et domos, iisdem regitur praescriptis ac in religionibus (can. 676, § 2; n. 592).

4. Quoad *admissionem* in societatem:

1° Excluduntur a societate omnes qui religionem ingredi prohibentur ad normam can. 542 (n. 599).

2° In ceteris attendendae sunt constitutiones (can. 677). Proinde quae Codex statuit de postulatu et novitiatu societates non respiciunt.

5. Quoad *rationem studiorum* et *susceptionem ordinum* sodales iisdem legibus tenentur ac clerici saeculares, salvis peculiaribus praescriptionibus a S. Sede datis (can. 678).

642. 6. Quoad *obligationes*:

1° Sodales societatis, praeter peculiares obligationes, quibus, uti sodales, obnoxii sunt secundum constitutiones, tenentur communibus clericorum obligationibus (n. **277** ss.), nisi ex natura rei vel ex contextu sermonis aliud constet.

2° Circa exercitia pietatis, delationem habitus, egressum e domo, auxilium clero praebendum in cura animarum, chori obligationem, litterarum aperitionem per Superiores, sonitum campanarum et preces ac sollemnia ab Ordinario indicta, eodem iure reguntur ac religiosi.

3° Tenentur servare legem vitae communis, quae ex constitutionibus propriis vigeat, sub peculiari sanctione de qua in can. 2389 (2).

4° Subsunt dispositionibus decreti « *Inter reliquas* », ad servitium activum militare quod attinet (n. 601).

(2) Pontif. Comm. Cod., 25 iun. 1926; *A. A. S.*, X, 347.

5° Clausuram servare debent ad normam constitutionum sub vigilantia Ordinarii loci (can. 679, § 2).

6° Superiores tenentur fidei professionem et iuramentum antimodernisticum emittere (3).

7. Quoad *privilegia*: sodales omnes, etiam conversi, gaudent privilegiis clericorum (n. 525 ss.), aliisque societati *directe* concessis, non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto (can. 680), quod non raro, ad ipsam quoque exemptionem quod attinet, conceditur a S. Sede.

8. Circa *transitum* ad aliam societatem aut ad aliquam religionem, praeter proprias cuiusque societatis constitutiones, servandi sunt canones de transitu ad aliam religionem (n. 628).

Verba « *congrua congruis referendo* » (can. 681) ita videntur intelligenda: si nullo vinculo sodales in societate ligentur, unusquisque libere egredi potest ideoque transire valet *sine licentia S. Sedis* ad aliam societatem vel ad aliquam religionem; si vero, uti plerumque, vinculum aliquod existit, venia S. Sedis necessaria est.

9. Circa *exitum*, haec pauca dicenda:

1° Fugitivi, si qui sint, ab obligationibus regulae et constitutionum non solvuntur, et sine mora ad societatem redire tenentur.

2° Sodales societatum apostatae proprie dicti esse nequeunt.

3° Non est locus exclaustrationi et saecularizationi, cum desint vota religiosa.

10. Quoad *dimissionem*, servandi sunt, congrua congruis referendo, canones qui de religiosorum dimissione agunt (can. 681).

Clausula « *congrua congruis referendo* » ita intelligenda: si vinculum quo adstringuntur sodales est temporaneum, servari debent canones qui agunt de

(3) Pontif. Comm. Cod., 25 iul. 1926; *A. A. S.*, XVIII, 393.

dimissione religiosorum qui vota temporaria emiserunt; si vinculum est perpetuum, serventur canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt; si nullum sit vinculum, et sodalis libere egredi potest et societas eum ex qualibet iusta causa dimittere valet (4).

CAPUT XIII.

DE LAICIS

ARTICULUS I.

De laicis in genere.

643. Notio et iura laicorum. — 1. *Laicus*, a voce graeca λαὸς (*populus*), est persona baptizata a quovis gradu hierarchiae ecclesiasticae sive ordinis sive iurisdictionis exclusa. Hinc duae conditiones: baptismus et exclusio a hierarchia.

Ex ipso iure divino in Ecclesia habentur laici a clericis distincti (can. 107; n. 216).

2. Laici ius habent recipiendi a clericis, ad normam disciplinae ecclesiasticae, bona spiritualia ad propriam sanctificationem et vitam aeternam consequendam (can. 682).

Bona spiritualia sunt sacramenta, sacramentalia, indulgentiae, etc. Alia ex iisdem sunt necessaria de necessitate medii, alii de necessitate praecepti. Alia sunt de iure divino, alia de iure ecclesiastico.

3. Ius laicorum ad bona spiritualia correspondet iustitiae legali et obligationem in clero ea suppeditandi manifesto supponit.

4. Laici *per se* incapaces sunt potestatis ecclesia-

(1) Cfr. resp. Pontif. Comm. Cod., 1 mart. 1921, ad II; *A. A. S.*, XIII, 177.

sticae. Ex peculiari Ecclesiae concessione interdum participant, v. g. in praesentatione aut nominatione clericorum ad officia vel beneficia ecclesiastica.

644. Obligationes laicorum. — 1. Ad normam can. 87 laici tenentur servare omnes leges ecclesiasticas, quae fideles universos respiciunt, iis exceptis quae peculiares personarum coetus respiciunt (1).

2. Laicis non licet habitum clericalem deferre, nisi agatur *vel* de alumnis Seminariorum aliisque adspirantibus ad ordines, etiam cum extra Seminarium morantur, dummodo pio et idoneo sacerdoti qui eis invigilet eosque ad pietatem informet commendentur; *vel* de laicis servitio ecclesiae legitime addictis, dum intra eandem ecclesiam sunt aut extra ipsam in aliquo ministerio ecclesiastico partem habent (can. 683).

1° Habitus clericalis late accipiendus : comprehendit quoque habitum religiosum.

2° Abrogatum non est privilegium alicui religioni tributum a S. Sede concedendi piis quibusdam personis, de religione optime meritis, habitum religiosum pro sepultura.

3° Scholastici non professi religionis clericalis sunt adspirantes ad ordines ideoque habitum religiosum seu clericalem profecto deferre valent.

4° Laici ecclesiae servitio addicti uti possunt habitu clericali *intra ecclesiam* tum tempore divinorum officiorum tum extra huiusmodi tempus; *extra ecclesiam* vero nonnisi occasione sacri ministerii, v. g. processionis, benedictionis domorum etc.

(1) Cfr. Demeuran, *Le droit canon. des laïques d'après le nouveau Code*, Paris, 1919.

Articulus II.

De fidelium associationibus in genere.

645. Notio associationis. — 1. Nomine associationis hic venit libera unio fidelium ab ecclesiastica auctoritate erecta aut saltem approbata *vel* ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam *vel* ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda *vel denique* ad incrementum publici cultus, exclusa sociorum vita communi (can. 685).

1° Hic sermo est de associatione *ecclesiastica*, non vero de *laicali*, quae potest esse sive *profana* (v. g. ad finem litterarium, oeconomicum, etc.) sive *pia* (v. g. ad finem caritatis vel pietatis seu religiosum). Huiusmodi est Societas S. Vincentii a Paulo (1).

2° Ut associatio sit *ecclesiastica*, duo requiruntur elementa: finis spiritualis seu religiosus et erectio vel saltem approbatio ecclesiasticae auctoritatis. Si desit erectio vel approbatio, unio erit *pia*, sed *laicalis*, subiecta quidem vigilantiae Ordinarii loci, non tamen eiusdem potestati plane obnoxia. Igitur nequaquam confundenda est associatio pia cum ecclesiastica, neque confundendum ius Ordinarii quoad istam cum iure valde limitato quod eidem competit quoad illam.

3° Praeterea confundenda non est simplex *commendatio*, quae alicui associationi bonum finem prosequenti interdum conceditur, cum *approbatione* proprie dicta.

4° Inter associationem *approbatam* et *erectam* datur magnum discrimen. Haec est vera persona moralis ideoque iuridica personalitate gaudet, a personalitate collectiva singulorum membrorum plane distincta; illa, contra, est persona mere collectiva, ab unione singulorum membrorum nullatenus distincta, at publice recognita et approbata ab ecclesiastica auctoritate (cfr. n. 207).

(1) S. C. C., 13 nov. 1920; *A. A. S.*, XIII, 135.

5° Quare associatio potest esse ab Ecclesia vel erecta vel approbata vel saltem commendata. Vi simplicis commendationis *ecclesiastica* stricto sensu non efficitur associatio (cfr. can. 684, 686, § 1).

6° Huiusmodi associationes non ideo *fidelium* dicuntur, quia ex laicis exclusive constat, sed quia, aliter ac de religionibus et de societatibus in communi ad similitudinem religiosorum viventium, etiam laici iisdem nomen dare possunt, quin cessent ex hoc esse laici; item si clerici ad illas pertinent, non qua clerici, sed qua fideles, socii sunt.

Nec repugnat quasdam associationes ad certas fidelium classes restringi, ex. gr. ad mulieres, ad viros, ad sacerdotes saeculares.

646. Constitutio associationum. — 1. Ecclesiae competit profecto ius constituendi associationes quascumque ad suum finem facilius et efficacius obtinendum, nimirum ad vitam perfectiorem christianam excolendam, ad opera pietatis et caritatis exercenda, ad cultum divinum promovendum (can. 685).

Facultas se adunandi ad finem spiritualem ex ipso iure divino profluit. Ecclesia intervenit, ut sua auctoritate confirmet ac muniat, abusus tollat aut praecaveat, iuridicam personalitatem tribuat.

2. In Ecclesia nulla *recognoscitur* associatio quae a legitima auctoritate ecclesiastica vel *erecta* vel saltem *approbata* non fuerit (can. 686, § 1). Alterutrum requiritur et sufficit ad habendam associationem ecclesiasticam. Approbatio concedi potest sive scripto sive oretenus. Erectio associationis fit per decretum formale (can. 687), ac inde iuridicam personalitatem obtinet. Verius hodie ad valorem scripto ferendum est decretum.

3. *R. Pontifex* approbare et erigere valet associationes ubique terrarum et cuiuslibet generis; sibi vero

reservat erectionem archiconfraternitatis et unionis primariae necnon titulos huiusmodi associationum conferre, etiam honoris causa tantum (can. 686, § 2, 725).

Ordinarius loci potest quaslibet associationes approbare et erigere, exceptis iis dumtaxat, quas sibi reservet R. Pontifex aut aliis instituendas, vigore peculiaris privilegiis, tribuat (can. 686, § 2).

Vicarius capitularis et Vicarius generalis sine mandato speciali nequeunt associationes erigere aut consensum praebere pro earum erectione aut aggregatione (can. 686, § 4). Controvertitur num possint associationes *approbare*. Verius affirmandum.

Ordinarius loci erigere nequit tertios ordines et plures alias associationes quas variis ordinibus religiosis reservantur (2).

4. Litterae erectionis ab iis qui ex privilegio apostolico associationes erigunt, gratis concedendae sunt, sola excepta taxa pro expensis necessariis (can. 686, § 5). Huiusmodi expensae cancellariae, transmissionis etc. ne excedant, generatim loquendo, unum scutatum aureum seu triginta francos circiter.

Ordinarii locorum hoc praescripto non tenentur, sed iuri communi subsunt, i. e. praescripto can. 1507, § 1 (3).

(2) Privilegium generatim concessum est ad erigendas non approbandas associationes; et licet erectio sit aliquid amplius quam simplex approbatio, nihilominus in privilegio erigendi non continetur potestas approbandi. Ratio manifesta: erectio in casu est actus mere executivus et ministerialis, approbatio, contra, iudicium authenticum supponit, quod nonnisi a competente auctoritate ferri potest.

(3) Beringer-Steinen (II, 60) docet eos, quibus ex privilegio apostolico competit potestas erigendi associationes, non posse sine *speciali* licentia S. Sedis hanc facultatem aliis delegare aut subdelegare. Haec sententia non videtur admittenda, attentis principiis generalibus iuris et perspecto can. 199, § 2

647. 5. Quaelibet associatio suum titulum seu nomen habeat, quod tamen levitatem aut novitatem nullatenus sapiat nec devotionem a S. Sede non probatam exprimat (can. 688). Caute et prudenter in hac re procedendum.

6. Associatio quaevis sua statuta habere debet, vel a S. Sede vel a loci Ordinario examinata et approbata. Statuta, quae a Sede Apostolica confirmata non fuerint, moderationi et correctioni Ordinarii loci semper manent subiecta (can. 689, §§ 1 et 2).

Statuta non requiruntur ad valorem erectionis neque ad indulgentiarum acquisitionem. *Statuta* non sunt confundenda cum *normis*. Illa sunt veluti leges fundamentales totius associationis quae interdum pluribus constat sodalitiis aut saltem constare potest, eaeque omnibus sodalitiis applicantur; istae, contra, sunt regulae practicae quibus singula sodalitia reguntur.

Ordinarius examinat et approbat statuta associationum, quas ipsemet erigit, nisi iam praecesserit approbatio S. Sedis. Superiores maiores ordinum ius habent dandi statuta pro sodalitiis tertiariorum quae ab ipsis dependent; at huiusmodi statuta ordinarie a Sede Apostolica approbantur, ideoque moderationi et correctioni Ordinarii loci nullatenus subiacent.

Vicarius generalis sine mandato speciali nequit approbare statuta associationis in personam moralem erectae. Idem dicendum de Vicario capitulari.

7. Omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi speciale obstet privilegium, subsunt iurisdictioni et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normam sacrorum canonum ius et officium habet easdem visitandi (can. 690, § 1).

Associationes vi privilegii apostolici a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutas Ordinarii locorum visitare nequeunt in iis quae pertinent ad internam disciplinam seu spiritualem directionem associationis

(can. 690, § 2). In ceteris omnibus, ex. gr. quoad regimen externum, bonorum administrationem, onera Missarum etc., visitari possunt. Pertinent *ad internam disciplinam* tertii ordinis ea quae respiciunt admissionem candidatorum, regulae observantiam, interpretationem et dispensationem, constitutionem moderatorum et visitatorum.

648. 8. Associatio legitime erecta, nisi aliud expresse cautum sit, bona temporalia possidere et administrare potest sub Ordinarii loci auctoritate, cui singulis annis rationem reddere debet, a qua obligatione associatio non eximitur licet ex iure peculiari eadem ratio etiam aliis personis determinatis temporibus reddenda sit; quo in casu Ordinarius vel eius delegatus cum aliis admittendus est ad habendam rationem administrationis ea lege ut aliter factae liberationes ipsis administratoribus minime suffragentur (can. 691, § 1, 1525, §§ 1 et 2).

1° Ordinarius nequit sibi advocare administrationem bonorum sodalitii legitime erecti aut alii fini eadem destinare.

2° Bona associationis in personam moralem constitutae sunt vere *ecclesiastica*: idcirco nequeunt alienari sine licentia Ordinarii loci aut S. Sedis, seu subsunt legibus ecclesiasticis de administratione et alienatione. In casu censeri nequit ut alienatio, usus pecuniae, etiam ultra triginta millia libellarum, in opera bona ad quae prosequenda associatio destinatur (cfr. can. 691, § 2).

3° Bona associationum, quae in personam moralem constitutae non sunt, ecclesiasticis non accensentur, ideoque canonicis praescriptis de administratione et alienatione non subsunt, sed tantum legi honestatis naturalis et conventionibus libere initis, salvo iure vigilantiae Ordinarii. Proinde haec bona

ad socios collegialiter sumptos pertinent eaque, si associatio dissolvatur, inter socios *per se* dividenda sunt, salva voluntate oblatorum.

4° Ius nominandi administratores non competit Ordinario loci aut moderatori associationis, sed ipsi associationi seu sociis eiusdem.

5° Si associatio erecta sit in ecclesia paroeciali, eius bona debent esse separata a bonis fabricae ecclesiae; nec parocho competit eorundem administratio, imo nec ratio administrationis ipsi est reddenda, nisi aliud statuerit Ordinarius loci (cfr. can. 691, § 1, 717, § 2).

9. Associatio legitime erecta potest eleemosynas colligere, dummodo id *vel* statuta permittant *vel* necessitas postulet et loci Ordinarius consentiat ac forma ab eo praescripta servetur. Ad colligendas eleemosynas extra territorium requiritur venia uniuscuiusque Ordinarii, scripto data (can. 691, §§ 3 et 4).

1° Ordinarius in consensu dando potest formam, conditiones, tempus praefinire, ex. gr. ut collectio fiat in certis tantum locis, ad ianuam talis ecclesiae etc.

2° Associatio legitime erecta potest ad normam statutorum oblationes recipere et receptas erogare in pios usus ipsius associationis, salva oblatorum voluntate (can. 691, § 2). Quae receptio et erogatio praeviam Ordinarii loci licentiam non requirit.

3° Obtento Ordinarii consensu, parochi consensus non requiritur pro eleemosynis colligendis, nisi forte Ordinarius eundem exquirendum statuerit.

10. Administratores associationis erectae quotannis tenentur rationem administrationis bonorum ipsius associationis reddere Ordinario loci; item rationem reddere debent fidelis erogationis oblationum et eleemosynarum (can. 691, §§ 1 et 5).

Tenentur hac obligatione etiam associationes in

ecclesiis regularium erectae, ipsa quoque sodalitia tertii ordinis. Obligatio reddendi rationem gravis est eaque exhibenda quoties Ordinarius petat; at *ultro* eam offerre associatio teneri non videtur.

649. Receptio in associationem. — 1. Ad fruendum iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus cuiusvis associationis, necesse est et sufficit ut quis in eam valide receptus fuerit secundum propria associationis statuta, et ab ea legitime non sit expulsus (can. 692).

1° Unica igitur conditio: *valida receptio*, quae soluta non fuerit per legitimam dimissionem.

2° Opera praescripta in statutis associationis non requiruntur ad fruendum gratiis, indulgentiis, privilegiis etc., nisi opera ut *conditiones* ad indulgentias acquirendas praescripta sint (4).

3° Idem valet de obligatione quam sacerdotes assumunt applicandi Missam unam vel alteram pro defunctis; quae obligatio non est ad culpam et urget tantum ex caritate. Satisfit per Missam binatam pro qua stipendium accipi nequit, et verius per Missam in secunda intentione (5).

Aliter dicendum de obligatione deferendi scapulare (vel numisma, in eius substitutione) et multo minus de obligatione tertiariorum deferendi habitum. Receptio rite facta non amittitur dimissione scapularis aut habitus.

4° Qui alios recipere valet in confraternitatem vel piam associationem, potest quoque se ipsum illi adscribere et indulgentias lucrari ceterisque frui privilegiis (6). Id confirmatur etiam ex principio generali de quo in can. 201, § 3.

(4) Cfr. decr. S. C. Ind. 25 ian. 1842, ad 2.
(5) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 596.
(6) S. C. Indulg. 16 iul. 1887.

2. Possunt recipi in associationes ecclesiasticas omnes qui habent qualitates a statutis requisitas, nec ullo impedimento iuris communis vel peculiaris ligantur.

Eadem persona pluribus *simul* associationibus adscribi potest, excepta simultanea adscriptione duobus vel pluribus tertiis ordinibus. Etiam religiosi adscribi possunt associationibus, exceptis tertiis ordinibus et iis sodalitiis quorum leges, Superiorum iudicio, conciliari nequeant cum regulae et constitutionum observantia (can. 693, §§ 2 et 4, 704, 705).

Utrum qualitates peculiares postulentur ad valorem receptionis necne, ex statutis singularum associationum et S. Sedis declarationibus eruendum. Ex. gr. si associatio instituta est pro *matribus* christianis, in eam valide recipi nequeunt viri, nec vicissim mulieres si erecta sit pro viris; in tertium ordinem franciscalem nemo cooptari potest qui decimum quartum aetatis annum assecutus non sit (7).

650. 3. Recipi nequeunt valide: 1° acatholici; 2° adscripti sectae damnatae; 3° censura notorie irretiti; 4° publici peccatores; 5° adulti inscii aut nolentes (can. 693).

1° *Acatholici,* quorum nomine veniunt, praeter infideles, apostatae, haeretici et schismatici. Requiritur ut error circa fidem sit formalis atque externe manifestatus. Non excluduntur a receptione qui ex infidelitate vel haeresi aut schismate ad fidem catholicam conversi sunt.

2° *Adscripti sectae damnatae.* Huiusmodi sectae sunt: massonica, carbonaria, anarchica, nihilistica, crematoria, biblico-protestantica, clerico-liberalis. De socialistica controvertitur. Practice distinguendum in-

(7) Cfr. Beringer-Steinen, II, 138.

ter regionem et regionem: videndum quinam finis, quaenam statuta etc. (8).

Requiritur adscriptio voluntaria seu culpabilis.

3° *Censura notorie irretiti*. Duae conditiones postulantur: censura et notorietas. Censura stricte sumenda. Sufficit quaecumque, etiam nemini reservata. Notoria erit, si delictum notorium sit ad normam can. 2197, 2° et 3° (9); non requiritur sententia condemnatoria aut declaratoria.

4° *Publici peccatores*. Dicuntur qui *publice* vivunt in statu peccati et quidem *habitualiter*. Huiusmodi sunt, praeter acatholicos et adscriptos sectae damnatae, concubinarii licet vinculo civili copulati, meretrices, blasphematores, usurarii, exercentes artem spiriticam aut magiam vel sortilegia, praeceptum annuae confessionis et paschalis communionis per plures annos transgredientes (10).

Si publicus peccator a statu culpae recedat, ex. gr. per accessum ad sacramentum poenitentiae, cessat prohibitio ideoque potest valide associationi adscribi. Satis est ut cesset publicitas.

Si quis fiat publicus peccator (item si fiat acatholicus, damnatae sectae adscriptus, censura notorie irretitus) non ideo adscriptio iam valide facta irritatur (can. 696, § 2).

5° *Adulti inscii aut nolentes*. Consulto *adultos* dicimus, quia sunt nonnullae associationes quibus etiam infantes seu pueri ante usum rationis adscribi possunt (11).

(8) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 296 ss.

(9) Cfr. Cappello, op. cit., n. 24 ss.

(10) Non sumitur eodem sensu *publicus peccator* in can. 855, ubi agitur de repellendis indignis a mensa eucharistica, et in can. 693, § 1, et in can. 1240, § 1, 6°. Ubi agitur de sacramento Eucharistiae, quod statum gratiae ipso iure divino postulat, non requiritur continuatio in peccato. Aliter in ceteris casibus, ut patet.

(11) Cfr. S. C. Indulg. 29 aug. 1864; Beringer-Steinen, II, 140.

651. 4. Adscriptio defunctorum *per se* vetita est, et quidem sub poena nullitatis, ut ex dictis liquet. Sed pluribus associationibus facultas concessa est adscribendi etiam defunctos, eo fine ut indulgentiis et suffragiis frui valeant.

5. *Absentes* valide quidem, sed *illicite*, associationibus ad modum corporis organici constitutis adscribuntur (can. 693, § 3) (12).

Si associationes ad modum corporis organici constitutae non sint, et valide et licite absentes cooptari possunt. Hoc de iure communi. Iure particulari requiritur interdum praesentia etiam pro receptione in sodalitia inorganica. Ceterum sufficit praesentia momentanea (13).

Si adscriptio facienda sit aliquo speciali ritu, praesentia ex ipsa rei natura tunc requiritur etiam quoad associationes ad modum corporis non constitutas, nisi adsit facultas dispensandi ab illo ritu et dispensatio reapse concedatur.

6. *Receptio* fit ad normam iuris communis et statutorum cuiuslibet associationis (can. 694, § 1). Quaedam a statutis praefiniuntur, quae iure communi determinata non sunt. Quae vero ius commune definit, statuta mutare nequeunt.

7. *Inscriptio* in albo associationis praecepta est; imo ad valorem requiritur, si associatio in personam moralem erecta sit (can. 694, § 2). Practice igitur distinguendum: si adsit formalis erectio, v. g. Congregationis B. M. V., inscriptio est conditio *sine qua non* ut quis vel fiat vel maneat socius; si, contra, associatio non sit erecta in personam moralem, inscriptio est solum de praecepto, a quo excusat quaelibet causa iusta.

Plures facultate cooptandi gaudent sine onere in-

(12) Cfr. S. C. Indulg. *Urbis et Orbis*, 26 nov. 1880.
(13) S. C. Indulg. 28 april. 1761; 13 april. 1878.

scriptionis; hac facultate pollent iure communi (can. 239, § 1, 5°) Cardinales quoad scapularia ab ipsis imposita.

Sacerdos praeditus facultate benedicendi scapularia habet eo ipso facultatem quoque ea imponendi fidelibus eosque adscribendi associationibus rite approbatis, dummodo penes se privatum regestum habeat eorumque nomina ad Superiorem respectivae sodalitatis vicinioris canonice erectae quam primum commode potest, transmittat, ut in album ipsius sodalitatis referantur (14).

8. Occasione receptionis nihil exigi potest, nisi quod statuta legitime approbata permittant, aut Ordinarius loci, ob specialia adiuncta, in favorem associationis expresse concesserit (can. 695).

652. Comitia associationum, moderator et cappellanus, dimissio sociorum, suppressio associationum. — 1. Associationes legitime erectae ius habent, ad normam sacrorum canonum et statutorum, celebrandi comitia, edendi peculiares normas quae ipsum sodalitium respiciant, eligendi administratores bonorum, officiales et ministros (can. 697, § 1, 715).

Codex loquitur in genere de sodalitiis *erectis;* tamen ius celebrandi comitia, ex ipsa rei natura videtur tribuendum dumtaxat iis associationibus, quae organicae sint. Statuta praefinire debent, quis comitia indicere, quis interesse et praeesse debeat. Iure communi Ordinarius loci per se vel per delegatum comitiis *confraternitatum*, licet in ecclesiis regularium erectarum, interesse et praeesse valet (can. 715).

Quoad modum celebrandi comitia, seu quoad formam convocationis et electionis faciendae, standum

(14) S. C. Indulg. 18 aug. 1868.

iuri communi et statutis illi non contrariis (can. 697, § 2; cfr. n. 284 ss.).

2. Nominatio *moderatoris* et *cappellani*, nisi privilegium apostolicum aliud expresse caveat, pertinet ad loci Ordinarium in associationibus ab ipso vel a S. Sede erectis aut approbatis, et in associationibus a religiosis vi privilegii apostolici extra proprias ecclesias erectis; in associationibus vero a religiosis in propriis ecclesiis erectis requiritur tantum Ordinarii loci consensus si a Superiore moderator et cappellanus e clero saeculari assumantur (can. 698, § 1).

Ad *moderatorem* pertinet associationem regere in iis quae spectant tum ad internam disciplinam tum ad gubernationem externam; ad *cappellanum* pertinet sacras functiones peragere. Una et eadem persona utrumque officium, moderatoris et cappellani, exercere valet (can. 698, § 4).

Si Ordinarius loci aliquam associationem instituat in determinata paroecia quin peculiarem ei rectorem assignet, eo ipso censetur rectorem designasse parochum, si nullas alius sacerdos praeter parochum adsit in paroecia (15).

Moderator et cappellanus, munere durante, possunt benedicere associationis habitum seu insignia, scapularia etc. eaque adscribendis imponere (can. 698, § 2). Haec facultas *ordinaria* censenda est ideo que aliis delegari potest, quin peculiaris facultas, uti in iure antiquo, ad id necessaria sit.

Controvertitur num facultas benedicendi insignia, scapularia etc. eaque imponendi secumferat quoque potestatem indulgentias adnectendi? Affirmandum est, dummodo agatur de indulgentiis peculiaribus uniuscuiusque associationis, quae insignia, scapularia etc. respiciant.

(15) Cfr. S. C. Indulg. 7 iul. 1842, ad I; Beringer-Steinen, II, 93.

Qui moderatorem et cappellanum designarunt eorumque successores et Superiores possunt iusta de causa illos amovere (can. 698, § 3). Causa iusta, quaecumque ea sit, requiritur omnino, ut famae et honori sacerdotis consulatur.

653. 3. Nullus socius, legitime adscriptus, dimitti potest ab associatione, nisi ob iustam causam ad normam statutorum. Praeter Ordinarium loci, qui socios cuiuslibet associationis dimittere valet, Superior religiosus quoque dimittere potest socios consociationis a sua religione vi apostolici privilegii erectae (can. 696).

Dimissus ius habet recurrendi ad Ordinarium vel ad S. Sedem, et quidem in suspensivo.

4. Ordinarius loci, ob graves causas et salvo iure recursus ad S. Sedem, potest supprimere non solum associationes a se vel a decessoribus suis erectas, sed etiam associationes ex indulto apostolico a religiosis erectas de consensu Ordinarii loci. Associationes vero a S. Sede erectae nonnisi ab eadem supprimi possunt (can. 699, §§ 1 et 2).

1° Suppressio actum *positivum* Superioris exigit. Nulla associatio ecclesiastica supprimi potest a civili auctoritate, quae plane incompetens est.

2° Causae graves requiruntur ad liceitatem et verius etiam ad valorem, cum associationi iam sit ius quaesitum, nisi agatur de suppressione facta a Sancta Sede.

3° Contra decretum suppressionis latum ab Ordinario patet recursus ad Sedem Apostolicam in suspensivo.

4° In supprimendis sodalitiis a religiosis erectis Ordinarius loci et Superior regularis mutuo consilio procedant.

5° Codex nihil dicit de bonis. Haec certe sodali-

bus non competunt. Superior qui associationem supprimit disponere debet de bonis eiusdem, secundum finem quem associatio prosequebatur et salva offerentium voluntate.

6° Associationes simpliciter approbatae vel commendatae supprimi possunt etiam omnium sociorum consensu, cum iuridica personalitate careant.

7° Quoad cessationem *ope legis* vide can. 102 (16).

Articulus III.

De fidelium associationibus in specie.

654. Divisio.— 1. Triplex species associationum a Codice distinguitur: 1° tertii ordines; 2° piae uniones; 3° confraternitates (can. 700).

1° *Tertii ordines,* secundum spiritum cuiuspiam ordinis eiusque moderationem, saeculares fideles ad christianam perfectionem modo eorum vitae consentaneo, ducere nituntur, per regulas a S. Sede pro ipsis approbatas (can. 702, § 1).

Non raro dividuntur in plures consociationes, quae vocantur *sodalitia tertiariorum* (can. 702, § 2).

2° *Piae uniones* ad exercitium alicuius operis pietatis vel caritatis instituuntur. Aliae sunt piae uniones *simplices,* aliae *primariae* (can. 720).

Si piae uniones ad modum corporis organici constitutae sint *qua vera corpora collegialia,* vocantur *sodalitia.*

3° Haec *sodalitia,* si erecta sint etiam in publici cultus incrementum, proprio nomine appellantur

(16) Cappello, *Summa iuris publici ecclesiastici,* n. 54.

confraternitates (can. 707) (1). Distinguuntur in simplices et archiconfraternitates.

2. Igitur, proprie et accurate loquendo, hodie quatuor sunt species associationum: tertii ordines, piae uniones, sodalitia et confraternitates.

655. Ordo praecedentiae. — 1. Hic ordo servatur inter varias associationes: 1° tertii ordines, utpote digniores inter omnes consociationes, licet recentius in loco instituti; 2° archiconfraternitates; 3° confraternitates; 4° piae uniones primariae; 5° aliae piae uniones (can. 701, § 1).

In processione in qua SS. Sacramentum defertur, confraternitas SS. Sacramenti praecedit ipsis archiconfraternitatibus (can. 701, § 2). Contra hoc praescriptum non valet quasi-possessio neque Episcopus potest ei derogare. Conditio praecedentiae est, ut sodales collegialiter sub propria cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis incedant (can. 701, § 3).

Censentur *collegialiter* interesse si tres saltem sodales sub proprio vexillo aut cruce incedant. *Habitus* est operimentum peculiare sive laneum sive lineum quo tota aut fere tota persona tegitur (2). *Insignia* denotant aliquod signum externum, ex quo apparet tale collegium pertinere ad talem associationem, v. g. ad tertium ordinem, vel tales personas

(1) Alicubi, v. g. in Germania, Belgio, Helvetia et Italia, existunt confraternitates, praesertim SS. Sacramenti et SS. Rosarii nuncupatae, quae ad modum corporis organici constitutae non sunt. Essentiale id solum videtur ut sint canonice erectae et personam iuridicam consequenter efficiant. At, proprie loquendo, dici nequeunt confraternitates sensu Codicis. Cfr. Vermeersch-Creusen, I, n. 709; Prümmer, q. 272.

(2) *Saccum* proprie non est idem ac habitus. Designat quippe vestem totum corpus tegentem capite et facie non exclusa, quae in nonnullis Italiae regionibus etiam hodie a confraternitatibus deferri solet.

ad tale collegium. Instituta sunt ad supplendum defectui peculiaris habitus.

Si associatio próprio habitu et insignibus careat, ordo praecedentiae computatur eodem modo ac si omnes habitu seu insignibus uterentur, dummodo sodales collegialiter incedant (3).

Associationes, quae solis mulieribus constant, non gaudent praecedentia in processionibus, quia mulieres iisdem active participare non debent (4). Si tamen admittantur, ut fieri solet, semper a viris separatae incedere debent et praecedentiam inter se ordinant secundum praecedentiam quam habent viri inter se.

2. Si consociationes sint eiusdem speciei et gradus, ex can. 106, 5° et 6° illa praecedit quae est in quasi-possessione praecedentiae; si de hoc non constat, quae prius in loco instituta est; inter sodales eiusdem collegii statuta ipsa praecedentiam determinant; in eorum defectu ius commune servandum est (can. 701, § 1).

3. Loci Ordinarii est praecedentiam statuere ad normam iuris communis, atque omnes controversias de eadem, etiam inter exemptos, componere (tum iuris ordine servato, tum in via administrativa), remota appellatione in suspensivo (cfr. can. 106, 6°; n. 214).

656. Tertii ordines saeculares. — 1. *Tertiarii saeculares* sunt qui in saeculo, sub moderatione alicuius Ordinis, secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas a Sede Apostolica pro ipsis approbatas (can. 702, § 1).

Tertiarii componunt *tertium ordinem*. Ipsi non

(3) S. R. C. 10 nov. 1905.
(4) S. C. Ep. et Reg. 26 mart. 1897.

sunt religiosi; qua tertiarii non dependent a loci Ordinario, sed versantur sub moderatione Superiorum regularium.

Si tertius ordo saecularis in plures associationes dividatur, harum quaelibet legitime constituta dicitur *sodalitas* tertiariorum (can. 702, § 2). Huiusmodi sodalitates inter se autonomae sunt. Ipsarum constitutio necessaria non est, ita ut tertiarii haberi possint etiam extra tales consociationes.

2. Apostolicum privilegium requiritur ut religio sibi tertium ordinem adiungere possit (can. 703, § 1). Hoc privilegio gaudent Praemonstratenses, Praedicatores, Franciscales omnes, Carmelitae, Augustiniani, Minimi, Servi B. M. V., Trinitarii, etc.

3. Vi obtenti privilegii, omnes Superiores religiosi possunt personas particulares tertio ordini adscribere; sed nequeunt, sine Ordinarii loci consensu, erigere sodalitates ad modum corporis organici (can. 703, § 2).

Item specialis Ordinarii loci licentia requiritur pro vestibus quae a sodalibus tertiariis in publicis sacris functionibus deferendae sint (can. 703, § 3).

4. Religiosi, post emissam professionem, nequeunt ad tertium ordinem pertinere, et eorum anterior adscriptio suspenditur, quamdiu votis manent obstricti (can. 704). Haec dispositio non applicatur societatibus sine votis. Interdum S. C. de Relig. dispensat religiosos, ut possint in tertio ordine permanere.

5. Tertiariis licet iusta de causa ab una ad aliam tertii ordinis sodalitatem, imo ab uno ad alium tertium ordinem *transire*; non autem, sine speciali indulto S. Sedis, ad plures simul tertios ordines pertinere (can. 705).

6. Publicis processionibus, funeribus, aliisque ecclesiasticis functionibus tertiarii possunt, sed non tenentur, collegialiter interesse; at si intersint, cum suis

insignibus sub propria cruce incedere omnino tenentur (can. 706).

7. Excepto speciali indulto, quo gaudet tertius ordo S. Francisci, tertii ordines non communicant in *indulgentiis* primi et secundi ordinis.

8. Regula tertii ordinis, quam tertiarii in sua professione servandam suscipiunt, non obligat in conscientia, ne sub levi quidem.

9. Inter iura spiritualia tertiariorum potissimum adnumeranda est *absolutio generalis*, cuius nomine venit poenarum absolutio per modum sacramentalis, seu benedictio cui S. Sedes coniungit etiam beneficium indulgentiae plenariae (5).

657. Confraternitates et piae uniones. — 1. *Titulus* seu *nomen* confraternitatis vel piae unionis desumi debet « vel a Dei attributis, vel a christianae religionis mysteriis, vel a festis Domini et B. M. V. vel a Sanctis vel a pio opere ipsius sodalitii » (can. 710).

(5) Impertitur *statis diebus* publice vel privatim: *publice* a Superiore regulari vel moderatore congregationis vel a confessario delegato, ita tamen ut hodie, post decr. S. Off. 15 dec. 1910, concedi possit a quolibet sacerdote ad audiendas sacramentales confessiones approbato, quoties desit sacerdos cuius est eam impertiri; *privatim* concedi potest a quolibet confessario, generatim post absolutionem sacramentalem datam in ipsis festis designatis, vel in horum pervigilio, imo, si agitur de tertiariis S. Francisci, intra octiduum festivitatum quibus benedictio est adnexa. Cfr. *Breve* Benedicti XV, 14 april. 1917 (*A. A. S.*, IX, 262).

Ad normam can. 931, §§ 1 et 2 putamus confessionem et communionem intra subsequentem totam octavam fieri posse.

Nec absolutio sacramentalis nec ipsa confessio requiritur: satis est ut absolutio generalis detur in confessionali aut in loco ad confessiones audiendas legitime electo (S. C. Ind. 21 iul. 1888; 30 ian. 1896, ad I).

Ad *valorem* sufficit haec aliave aequivalens formula: « Auctoritate apostolica mihi concessa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

2. Plures confraternitates vel piae uniones *eiusdem* tituli ac instituti ne erigantur nec approbentur in eodem loco, sine speciali iure aut concessione; in magnis civitatibus id licet, dummodo, iudicio Ordinarii loci, conveniens distantia existat inter ipsas (can. 711).

Eiusdem tituli et *instituti* illae consociationes verius dicuntur, quae simul et eundem titulum et eundem finem ac eadem media ad finem obtinendum habent (6).

Lex distantiae non est conditio valoris. Ab ea eximuntur plures associationes, v. g. congregationes mariales, sodalitates Filiarum Mariae, confraternitates doctrinae christianae et SS. Sacramenti, associationes bonae mortis, matrum christianarum, SS. Cordis Jesu.

Idem locus vel paroeciam vel oppidum paroecias *contiguas* complectens significat. Duplex locus haberi potest in eodem municipio, si duae aut plures sint paroeciae. Attenditur *contiguitas*, quae si desit, locus idem non est (7).

Distantia supputanda est de ecclesia ad ecclesiam, non de finibus paroeciae ad fines paroeciae, et quidem non per lineam rectam aut per semitas minores inusitatas, sed via quae communiter adhiberi solet (8). Magna civitas considerari potest quae ultra 50 millia incolarum habet.

3. Confraternitates et piae uniones erigendae sunt in ecclesia vel oratorio publico aut saltem semi-publico; in ecclesia cathedrali vel collegiali nequeunt institui sine consensu Capituli (can. 712, § 2). Consensus, ad normam can. 105, requiritur sub poena nullitatis.

(6) Cfr. S. C. Ind. 13 febr. 1894, ad I.

(7) S. C. Ind. 31 ian. 1893 videtur postulare ut una saltem *leuca* locus a loco distet. Leuca tria milliaria habet; milliarium metris 1489 aequivalet. S. C. Ind. 14 sept. 1904, ad I.

(8) S. C. Indulg. 14 sept. 1904.

In ecclesiis vel oratoriis religiosarum, permitti potest erectio associationis mulierum tantum, aut piae unionis quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudeat (can. 712, § 3).

Plures congregationes mariales haec tantum exercent: ideo non repugnat ut qua tales, etiam pro viris, in ecclesiis religiosarum existant.

Prohibetur *erectio*, non autem simplex institutio vel approbatio. Ea autem non vetatur sub poena nullitatis.

658. 4. Religiosi illas omnes et solas *gratias spirituales* communicare debent, quae in facultatibus S. Sedis specifice et nominatim declarantur communicabiles; eaeque in actu erectionis manifestandae sunt (can. 713, § 1). De novis indulgentiis praescriptum can. 919 servandum est.

5. Confraternitates et piae uniones, in *propriis ecclesiis* erectae, functiones non paroeciales independenter a parocho exercere possunt, dummodo ministerio paroeciali in ecclesia paroeciali ne noceant; de qua re, in dubio, Ordinarius iudicabit et practicas normas decernet (can. 716).

Si erectae sint *in ecclesiis non suis*, proprias functiones ecclesiasticas in sacello tantum vel altari in quo sunt erectae peragere possunt, dummodo etiam in hoc casu ministerio paroeciali, iudicio Ordinarii, ne noceant (can. 717, § 1).

Si consociatio erecta sit in ecclesia paroeciali, etiam in functionibus non paroecialibus a parocho dependet. Quaenam sint functiones *propriae*, eruendum ex legitima consuetudine, ex conventionibus rite initis, ex clausulis ab Ordinario loci in decreto erectionis appositis.

6. Confraternitas et pia unio legitime erecta, cum

sit persona moralis, bona temporalia acquirere, administrare etc. potest, servatis servandis. Si erecta sit in ecclesia non sua aut si eius ecclesia sit simul paroecialis, patrimonium debet esse separatum a bonis fabricae vel communitatis (can. 717, § 2).

7. *Translatio* de alia in aliam sedem fieri potest de consensu Ordinarii, nisi iure aut statutis a S. Sede probatis vetetur. Requiritur etiam consensus Superioris religiosi, si confraternitas aut pia unio alicui religioni sit reservata (can. 719).

Quae sine consensu Ordinarii loci erigi potuit consociatio, sine eius consensu, eadem auctoritate qua erectio facta est, in locum pariter exemptum transferri poterit. Consensus Ordinarii non requiritur ad translationem de uno ad aliud altare in *eadem* ecclesia.

Ante Codicem vetita erat translatio de alia in aliam dioecesim. Hodie verius negandum, dummodo accedat consensus utriusque Ordinarii loci.

659. 8. Quoad *confraternitates* haec speciatim animadvertenda:

1° Constitui nequeunt nisi per formale erectionis decretum (can. 708): idcirco sunt personae morales.

2° Mulieres adscribi possunt dumtaxat ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales (can. 709, § 2) (9).

3° Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare nisi habitum proprium seu insignia deferant (can. 709, § 1, 718).

4° Confraternitatibus, *a religiosis erectis*, non licet vestem propriam seu insignia, in publicis processio-

(9) Ratio praescripti manifesta. Confraternitates instituuntur etiam ad incrementum publici cultus. Porro mulieres in hac re nihil *active* agere valent. Possunt, contra, esse membra proprie dicta aliarum associationum. Imo in ipsis confraternitatibus opera caritatis et pietatis exercere valent.

nibus aliisque sacris functionibus deferenda, assumere sine speciali Ordinarii loci licentia; nec dimittere aut mutare valent sine eadem licentia (can. 713, § 2, 714). Hoc ex analogia applicandum videtur etiam piis unionibus.

5° Confraternitates processionibus consuetis et aliis, quas Ordinarius loci indixerit, tenentur collegialiter et sub proprio vexillo interesse, nisi Ordinarius aliud decreverit (can. 718).

6° Ad loci Ordinarium pertinet comitiis confraternitatum per se vel per delegatum praeesse, at sine iure suffragii; officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas, nisi a S. Sede approbata fuerint, corrigere et approbare. De extraordinaria comitiorum celebratione Ordinarius vel eius delegatus tempestive monendus est; secus ea impedire aut eorum decreta infirmare potest (can. 715).

Hoc iure Ordinarius uti non tenetur.

7° Ordinarius curare debet ut in qualibet paroecia confraternitates SS. Sacramenti et *Doctrinae christianae* instituantur, quae ipso facto aggregatae sunt Urbis archiconfraternitatibus eiusdem nominis (can. 711).

9. Ad *pias uniones* quod spectat haec pauca attendenda :

1° Formalis *erectio* in personam moralem non requiritur; sufficit Ordinarii *approbatio*, ex qua capaces fiunt obtinendi gratias spirituales praesertim indulgentias (can. 708).

2° Possunt erigi etiam in personas morales sive organicas sive non.

3° Quoad *bona patrimonialia* earundem, vide n. 653, 5°.

660. Archiconfraternitates et primariae uniones. — 1. Dicuntur *archiconfraternitates, archisodalitia*, piae uniones, congregationes, societates *pri-*

mariae, quae ex apostolico indulto iure pollent alias associationes aggregandi (can. 720).

Interdum honoris causa titulus archisodalitii quibusdam societatibus conceditur, et quidem ab una S. Sede (can. 725).

2. Salvo indulto apostolico, illae tantum uniones aggregari possunt quae sint *eiusdem tituli* ac *finis* (can. 721, § 2). Utraque conditio copulative requiritur.

3. Aggregatione nullum ius obvenit aggreganti in aggregatam societatem, sed communicantur omnes gratiae spirituales et privilegia communicabilia quae a Sede Apostolica concessa sint, vel in posterum concedantur, nisi aliud in apostolico indulto caveatur (can. 722).

4. Ad *valorem* aggregationis requiritur: 1° ut associatio iam fuerit canonice erecta (10), nec alii archiconfraternitati aut primariae unioni aggregata; 2° consensus scriptus Ordinarii loci una cum eius litteris testimonialibus; 3° enumeratio gratiarum spiritualium quae communicantur, in elencho ab Ordinario loci archiconfraternitatis recognito et societati aggregatae tradendo; 4° observatio formulae statutis praescriptae; 5° perpetuitas aggregationis; 6° exclusio cuiuslibet mercedis, etiam sponte oblatae, exceptis necessariis expensis (can. 723).

Summa expensarum excedere nequit 30 francos seu libellas.

5° Translatio archiconfraternitatis vel primariae unionis sola S. Sedis auctoritate fieri potest (can. 724). Id sub poena nullitatis.

(10) Si pia unio primaria existat cum sola approbatione, conditio canonicae erectionis pro societate aggreganda non videtur necessaria. Satis est ut legitime approbetur.

LIBER III.

CAPUT I.

DE ECCLESIIS ET ORATORIIS

ARTICULUS I.

De locis sacris in genere.

661. Notio loci sacri. — 1. Dicuntur *loca sacra* ea « quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt » (can. 1154).

2. Duplex igitur genus: alia sunt *sacra* sensu strictiore, utpote cultui divino destinata, nempe ecclesiae et oratoria; alia sensu latiore, utpote sepulturae fidelium destinata, scil. coemeteria.

Sub alio quoque respectu *sacra* sensu latiore aut strictiore dici possunt, quatenus vel loca sint consecrata vel tantum benedicta.

3. Consecratio perficitur unctione, benedictio verbis solum; at illa quoque est quaedam benedictio sollemnis.

4. Tum consecratio tum benedictio proprie dicta est in casu *constitutiva*, quatenus locus iuridice e statu profano ad religiosum transfertur, atque ita modo stabili sacer efficitur (1).

(1) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 112.

662. Minister consecrationis loci sacri. — 1. Minister *validae* et *licitae* consecrationis est:

1° Ordinarius territorii, in quo est locus consecrandus, etsi pertineat ad religionem clericalem exemptam, dummodo Ordinaius episcopali charactere sit insignitus (can. 1155, § 1).

2° Cardinales, etiam non Episcopi, pro ecclesiis et altaribus sui tituli; extra proprios titulos, de licentia Ordinarii loci, si episcopali charactere praefulgeant (can. 239, § 1, 20°, 1157).

3° Omnes Episcopi etiam extra proprium territorium, de licentia Odinarii loci qui potest cuilibet Episcopo eiusdem ritus, non vero *alterius*, licentiam concedere, licet ipse non sit charactere episcopali insignitus (can. 1155, § 2).

4° Vicarius generalis de mandato speciali et Vicarius capitularis in proprio territorio, dummodo charactere episcopali sint insigniti (can. 1155, § 1).

5° Abbates et Praelati *nullius*, licet charactere episcopali careant, dummodo benedictionem, si eam recipere debent, receperint (can. 323, § 2).

6° Simplex sacerdos ex peculiari facultate R. Pontificis. Episcopus nequit huiusmodi facultatem concedere (2).

2. Huiusmodi potestas consecrandi est potestas ordinis, sed iuris mere ecclesiastici.

3. Nemo potest locum sacrum consecrare, quovis contrario privilegio non obstante, sine Ordinarii loci consensu (can. 1157). Integra manent privilegia antea concessa, sed eorum usus limitatur. Huiusmodi est privilegium loca consecrandi per quemlibet Episco-

(2) Quare obsoleta dicenda opinio quorundam veterum, qui dicebant post factum talem facultatem et consecrationem ex ea positam esse ut validam habendam.

pum, si petitam prius consecrationem ab Ordinario loci, iste ultra sex menses differat; item privilegium consecrandi altaria in locis remotissimis infidelium, ubi Episcopi catholici desunt olim concessum Sodalibus Societatis Iesu et Fratribus Minoribus in Indis.

4. Consecratio a quolibet Episcopo ubique locorum facta est valida semper, licet forte illicita (can. 1147, § 3).

5. Cum sit iuris ecclesiastici, consecratio invalida ex quocumque capite potest sanari per ratihabitionem; at solum a S. Sede (3).

663. Minister benedictionis. — 1. Minister *validae* et *licitae* benedictionis sollemnis est:

1° Ordinarius loci pro omnibus locis sibi subiectis; etiam pro locis religionum non exemptarum, aut exemptarum laicalium.

2° Superior maior religionis clerialis exemptae pro locis sibi subiectis.

3° Quilibet sacerdos de Ordinarii loci delegatione, si locus ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam aut laicalem pertineat; vel de Superioris maioris delegatione, si locus ad religionem clericalem exemptam spectet (can. 1156).

2. Benedictio a simplici sacerdote peracta, illicita quidem est, sed valida: agitur enim de exercitio potestatis ordinis presbyteralis (can. 1147, § 3).

3. Nullus sacerdos ad normam can. 1157 potest

(3) Episcopus consecrator, licet careat iurisdictione in territorio, concedit indulgentiam unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si Cardinalis (can. 1166, § 3).

Nulla forma peculiaris ad id requiritur, imo nec peculiaris intentio.

licite benedicere locum, non obstante quolibet privilegio, sine consensu Ordinarii. Hic erit Superior maior religionis clericalis exemptae vel Ordinarius loci pro diversitate locorum.

664. Probatio consecrationis vel benedictionis earumque iteratio. — 1. Documentum peractae consecrationis vel benedictionis duplex redigendum : alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in archivo ecclesiae vel oratorii asservandum (can. 1158).

Si agitur de benedictione ecclesiae aut oratorii religionis clericalis exemptae, alterum exemplar in archivo ecclesiae vel oratorii custodiendum est, alterum in archivo religionis aut provinciae. Nulla sane in casu est dependentia ab Ordinario loci.

2. Consecratio vel benedictio probatur ex documentis. Quae si forte deficiant, recurrendum ad alias probationes. Sufficit unicus testis omni exceptione maior, dummodo praeiudicium alteri ne afferatur (can. 1159, § 1).

3. Benedictio vel consecratio *certo* peracta nequit iterari (can. 1159, § 2). Id ex ipsa rei natura, at solum ex iure ecclesiastico.

Si rationabiliter dubitetur de peracta consecratione vel benedictione, ad cautelam iteranda est (4).

Articulus II.

De ecclesiis.

665. Notio et divisio. — 1. Nomine *ecclesiae* proprie dictae venit « aedes sacra divino cultui de-

(4) De *exemptione* locorum sacrorum vide quae fuse tradimus in *Summa iuris publici ecclesiastici*, n. 372.

dicata eum potissimum in finem ut omnibus christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (can. 1161).

Verba « *eum potissimum in finem ut omnibus christifidelibus usui sit* etc. » exprimunt rationem specificam discriminis inter ecclesiam et oratorium, quod non destinatur usui omnium fidelium (1).

Igitur ecclesia est locus publicus, i. e. ad usum omnium fidelium destinatus.

2. Ratione officii vel dignitatis ecclesiae sunt :

1° *Basilicae*, quo nomine designantur quaedam insigniores ecclesiae sive ex consuetudine sive ex peculiari privilegio apostolico. Privilegia basilicarum dimetienda sunt tum ex legitima consuetudine, i. e. ex pacifica quasi-possessione tum ex apostolico indulto (can. 1180).

2° *Cathedrales*, quae iterum dividuntur in patriarchales, primatiales, metropolitanas. Dicuntur cathedrales, quia sunt ecclesiae Episcoporum residentialium propriae, unde veluti e cathedra dioeceses regunt, populos sibi commissos gubernant, munus episcopale gerunt.

His accedunt quasi-cathedrales et abbatiales.

3° *Collegiales*, quae sunt insignes et non insignes.

4° *Paroeciales*, sive sint matrices sive non. His accedunt quasi-paroeciales in locis missionum.

5° *Conventuales* seu regulares, i. e. ecclesiae conventibus adnexae quae omnibus fidelibus patent.

6° *Filiales* vel *succursales*, quarum nomine, generatim loquendo, veniunt ecclesiae intra fines paroeciae sitae ab eaque dependentes.

(1) Antiquitus ecclesia variis nominibus appellari solebat, scil. dominicum, basilica, martyrium, oratorium, titulus, domus orationis, etc.

666. Aedificatio ecclesiae. — 1. Nulla ecclesia aedificari potest *sine consensu Ordinarii loci* scripto dato (can. 1162, § 1). Verius scriptura non est ad valorem. Sufficit quoque consensus subsequens.

1° Vicarius generalis sine mandato speciali nequit consensum dare; dum e contra dari potest a Vicario capitulari, ab Abbate et Praelato *nullius* et a quocumque alio Ordinario loci, secundum praescriptum can. 1162, § 1.

2° Ordinarius nequit consensum denegare, si iusta adsit causa aedificationis et habeantur omnia requisita.

3° Consensus ab Ordinario praestari non potest, nisi prudenter praeviderit defutura non esse necessaria ad novae ecclesiae aedificationem et conservationem, ad ministrorum sustentationem aliasque cultus expensas.

4° Etiam religiosi, quamvis consensum constituendae domus novae in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci obtinuerint, indigent eiusdem Ordinarii licentia antequam ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent (can. 1162, § 4). Licentia respicit dumtaxat loci determinationem.

5° Ordinarius loci, antequam consensum praebeat, debet audire vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit, firmo praescripto can. 1676 (can. 1162, § 3). Igitur rectores ecclesiarum tantum, non ceteri v. g. fideles, audiri debent.

2. Ecclesia aedificari nequit *sine* dote, ex qua ipsius ecclesiae conservationi, ministrorum sustentationi, cultui exercendo etc. consulatur (can. 1162, § 2).

1° Quantitas dotis a loci Ordinario determinanda est eaque in loco tuto reponenda (can. 1545).

2° Dos pro aedificanda ecclesia religiosorum necessaria non est, quia ista supponitur possideri una cum dote domus religiosae.

3° Ordinarius potest construere novam ecclesiam paroecialem aut quasi-paroecialem, licet dos constitui nequeat, si prudenter ea quae necessaria sunt aliunde non defutura praevideat (can. 1415, § 3).

3. Necesse est ut in ecclesiae aedificatione serventur formae artis sacrae et christianae traditionis, audito etiam, si opus fuerit, consilio peritorum (can. 1164, § 1).

Igitur ecclesia aedificanda formam inusitatam, alienam a traditione, praeseferre nequit. At forma determinata non praecipitur. Consiliun. peritorum seu peculiaris commissionis non est necessario sequendum. Qua in re standum statutis dioecesanis et mandato Ordinarii.

667. 4. Ordinarius primarium lapidem novae ecclesiae benedicere et imponere debet (can. 1163). Ordinarius is intelligitur de quo supra (**n. 663**), qui potest sive per se sive per sacerdotem delegatum benedicere et imponere lapidem. Benedictio peragenda est iuxta ritum praescriptum in *Pontificali Romano* si fiat ab Episcopo; iuxta ritum in *Rituali Romano* indicatum si fiat a sacerdote habente potestatem vel delegato.

5. In ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus; et loca, si adsint, subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum adhiberi nequeunt (can. 1164, § 2). Quae dicuntur de locis subter aut supra ecclesiam etiam partibus immediate lateralibus ecclesiae (vulgo *tribune, coretti*) applicantur.

Subter ecclesiam nequit haberi cubiculum seu cella ad condenda vina vel olea etc., licet aditus sit extra ecclesiam. Non prohibetur cella pro rebus ecclesiae asservandis, cubiculum pro conferentiis ad societates catholicas. Super ecclesiam aut subter (in

tellige *immediate*, i. e. nullo medio interiecto) cubicula ad dormiendum prohibentur omnino. Rarissime S. Sedes dispensat hac in re, raro quoque quoad aditum aut fenestram ad laicorum domus.

Usus *mere profanus* vetatur, cuius nomine is intelligitur qui nec directe aut indirecte nec proxime aut remote refertur ad finem sacrum et religiosum. Usus mere profanus non esset ex. gr. archivum aut bibliotheca monasterii, paroeciae, piae unionis, etc. (2).

668. Consecratio et benedictio ecclesiae eiusque dedicatio. — 1. Ecclesiae cathedrales necessario consecrandae sunt; collegiales, paroeciales et conventuales, quantum fieri potest, consecrari debent (can. 1165, § 3). Pro ceteris nec suadetur nec praecipitur consecratio.

1° Ecclesia ex ligno aut metallo consecrari nequit (can. 1165, § 4). Dum e contra consecrari potest ecclesia ex caemento armato, ut aiunt, confecta, modo postes saltem ianuae principales et locus duodecim crucium ex lapide sint.

2° Si ecclesia in dominio privatorum maneat ex lege civili aut quavis de causa praevideatur ad usum profanum conversum iri, non est consecranda, sed solum benedicenda (can. 1165, § 2). Quae sit in privatorum dominio, eatenus poterit consecrari, quatenus cautiones sufficientes dentur.

3° Potest consecrari altare independenter ab ecclesia; at una simul cum ecclesia saltem altare maius consecrandum est, aut altare secundarium, si maius sit iam consecratum (can. 1165, § 5).

4° Consecratio certo valida iterari nequit (can. 1159, § 2); sed si grave dubium oriatur de peracta consecratione, ecclesia iterum consecranda est.

(2) Quoad ius asyli, quo gaudet ecclesia ad normam can. 1179, vide quae in *Summa iuris publici eccl.* (n. 372) fuse tradimus.

2. In ecclesia nova officia divina celebrari nequeunt nisi sit consecrata vel saltem benedicta (can. 1165, § 1) (3).

3. Consecratio qualibet die, convenientius tamen diebus dominicis aliisque festis de praecepto, peragitur (can. 1166, § 1).

4. Episcopus consecrans et qui sibi consecrationem fieri petunt, ieiunare debent (can. 1166, § 2). Ieiunium locale simul et personale est. Iuxta alios agitur de vera obligatione; iuxta alios de consilio tantum. Omnes tamen concedunt non agi de obligatione gravi.

5. Consecratio ecclesiae dicitur *dedicatio* proprie dicta. Interdum hac voce significatur etiam benedictio sollemnis.

1° Festum dedicationis quotannis celebrandum est (can. 1167).

2° Celebrari debet a clero ecclesiae addicto ritu duplici primae classis cum octava communi in ipsa die anniversaria dedicationis. Episcopus autem consecrans potest in ipsa die consecrationis aliam diem fixam praefinire. Post peractam consecrationem et fixationem diei dedicationis, nequit Episcopus festum transferre ad alium diem (4).

3° Die qua celebratur anniversarium dedicationis ecclesiae, ante duodecim cruces consecratas cerei accendendi sunt, per integrum diem a primis Vesperis.

6. Ex can. 1171 in ecclesia consecrata vel benedicta omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus. Ordinarius iusta de causa potest praefinire,

(3) Episcopus permittere valet per modum actus ut Missa celebretur in ecclesia nondum consecrata vel benedicta.

(4) S. R. C. 9 maii 1916.

praesertim horas sacrarum functionum, dummodo ne agatur de ecclesia quae pertineat ad religionem exemptam, firmo praescripto can. 609, § 3, quo statuitur ex functionibus in ecclesiis religiosorum faciendis nullum nocumentum afferri posse institutioni catecheticae et Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali. Ordinarius nequit prohibere quominus in ecclesia quaedam functiones sacrae perficiantur, si iura paroecialia, privilegia et consuetudo eas permittant. Dum e contra, praeter horas, praefinire valet etiam ordinem, modum et rationem sacrorum rituum.

66 °. Titulus ecclesiae. — 1. Quaelibet ecclesia consecrata aut sollemniter benedicta suum titulum habere debet (can. 1168, § 1).

1° Titulus seu titularis est persona vel mysterium a quo ecclesia appellatur et sub cuius nomine consecrata vel benedicta fuit. Titularis si est B. M. V. vel Sanctus dicitur patronus ecclesiae, distinguendus a patrono loci. Plerumque idem est loci et ecclesiae patronus.

2° Ad Ordinarium pertinet titulum ecclesiae constituere, auditis iis quorum interest.

3° Titulus in impositione primarii lapidis designandus est. Proprie tamen constituitur in ecclesiae consecratione vel benedictione.

4° Generatim unicus titulus constituendus est. Interdum plures esse possunt, quatenus *vel* iam ab initio duo seu plures designantur, *vel* novus antiquo accedit ex. gr. si ecclesia vetus diruta iterum aedificetur et consecretur aut antea benedicta postea consecretur addito novo titulo, aut ex peculiari S. Sedis indulto alius titulus addatur.

5° Tituli, si plures, aeque principales sunt et iisdem iuribus gaudent.

6° Sine speciali indulto S. Sedis ecclesiae nequeunt dedicari Beatis (can. 1168, § 3), nec Sanctis

Veteris Testamenti si de novis ecclesiis consecrandis agitur; si de ecclesiis iam consecratis ab antiquo agitur, huiusmodi tituli tolerari possunt.

7° Titulus potest esse :

a) SS. Trinitas et unaquaeque ex personis divinis;

b) Quaelibet res sacra quae ad Christum D. relationem habeat, ut crux, corona spinea, etc.;

c) Beata Virgo Maria et quaelibet eiusdem praerogativa ac particulare quodcumque mysterium;

d) Angeli etiam singillatim accepti, dummodo de illis agatur quos nominatim Ecclesia veneratur;

e) Omnes Sancti quorum nomina in Martyrologio recensentur;

f) Quaelibet praerogativa alicuius Sancti particularis, ut patrocinium S. Ioseph, Stigmata S. Francisci etc.

670. 2. Festum tituli quotannis celebrandum ad normas legum liturgicarum (can. 1168, § 2).

1° Hoc festum celebrare debet universus clerus dioecesis ritu duplici primae classis cum octava, si agitur de titulari ecclesiae cathedralis. Tenentur ad id etiam religiosi proprio utentes calendario, at sine octava, nisi haec ex alio titulo sit celebranda.

2° Officium titularis celebrare tenetur clerus ecclesiae addictus et quidem tum quoad horas canonicas tum quoad Missam, ritu duplici primae classis cum octava.

Clerum autem *ecclesiae addictum* constituunt :

a) Omnes qui in illa ecclesia habent beneficium residentiale;

b) Religiosi in propria ecclesia (5);

c) Parochus et vicarii paroeciales quoad ecclesiam paroecialem (6);

(5) Si ecclesia cohaereat domui religiosae, sed religiosorum non sit, nec debent nec possunt eiusdem titulum celebrare.

(6) Si parochus duas paroecias regat quocumque titulo, tenetur quoad utramque.

d) Parochus quoad ecclesiam filialem intra fines paroeciae sitam. Vicarii paroeciales possunt, sed non tenentur, officium celebrare (7). Si ecclesia vere filialis non sit, seu a paroeciae non dependeat, parochus non tenetur.

e) Superiores, magistri et alumni Seminarii aliusve Collegii vel loci pii quoad ecclesiam ipsi Seminario aut Collegio vel loco pio adnexam, dummodo iidem in eo habitualiter degant (8).

3. Titulus, peracta ecclesiae dedicatione, mutari nequit (can. 1168, § 1).

1° Titulus in primarii lapidis impositione designatus mutari potest.

2° Si ecclesia diruta iterum aedificetur, titulus mutari nequit, sed novus antiquo addi potest.

3° Ex indulto apostolico titulus quilibet mutari potest etiam extra consecrationem (9).

671. Exsecratio ecclesiae. — 1. Est totalis amissio consecrationis, ita ut ecclesia reducatur in statum priorem, perinde ac si nulla intercesserit consecratio. Sicuti haec iuris ecclesiastici est, ita pariter exsecratio.

2. Triplici modo exsecratur ecclesia (can. 1170).

1° *Totali destructione*, non autem si pars tantum corruat, ex. gr. tectum, illaesis manentibus parietibus.

(7) Clerus paroeciae non censetur ecclesiae addictus; at si Missam celebret in ecclesia Tituli, debet eiusdem Missam celebrare aut saltem commemorationem facere iuxta rubricas. S. R. C. 12 iul. 1831.

Qui celebrat in oratorio minus principali Seminarii vel Collegii aliusve loci pii tenetur officium Tituli ecclesiae aut oratorii principalis recitare vel saltem eiusdem commemorationem facere iuxta rubricas. S. R. C. 16 iun. 1893.

(8) Cappellanus monialium seu religiosarum non tenetur quoad earumdem ecclesiam. Cappellanus simplicem cappellaniam habens in altari ecclesiae paroecialis non tenetur recitare officium Tituli. At verius, si velit, potest.

(9) Cfr. S. R. C. 11 mart. 1843.

2° Si *maior pars parietum corruat*. Necesse est ut maior pars *simul*, i. e. eodem momento corruat, nam consecratio in re indivisibili consistit, ex quo fit ut nequeat alia pars ecclesiae esse consecrata et alia non consecrata. Si qua pars ecclesiae singulis annis mutetur et reparetur seu diversis vicibus, quamvis post determinatum tempus totaliter parietes renoventur, ecclesia ex dictis non exsecratur. Idem dicas si ecclesia amplificetur, dummodo pars ampliata maiorem ecclesiae partem ne constituat; quia si hoc verificatur, ecclesia veluti nova censetur atque ideo ex hoc capite iterum consecranda vel benedicenda.

3° *Si ad usus profanos ecclesia reducatur ab Ordinario loci*. Requiritur reductio *legitime* facta, i. e. auctoritate Ordinarii loci, non autem auctoritate mere privata aut civilis potestatis (10).

3. Ecclesia exsecrata, si restituenda sit cultui divino, iterum consecrari vel saltem benedici debet perinde ac si ageretur de ecclesia nova.

4. Si quod altare etiam maius amittat consecrationem, non ideo exsecratur ecclesia; nec pariter exsecrata ecclesia, altare exsecratur. Agitur enim de duplici consecratione realiter distincta.

5. In dubio utrum ecclesia sit exsecrata necne, potest iterum consecrari vel benedici ad cautelam, at necesse non est ut hoc fiat.

672. Violatio et reconciliatio ecclesiae. — 1. Violatio est quaedam macula orta ex certis delictis specifice determinatis, quae suspendit peculiarem effectum consecrationis vel benedictionis seu ce-

(10) Ante Codicem disputabatur, utrum consecratio adhaereret parietibus vel pavimento aut tecto. Ex disciplina Codicis adhaeret parietibus. Hinc resoluta controversia. Item olim plures docebant ecclesiam exsecrari si incrustatio interna (vulgo *intonaco*) ex toto vel ex parte corrueret. Haec opinio hodie antiquata dicenda.

lebrationem divinorum officiorum, donec ecclesia reconciliata fuerit.

Non omnes effectus suspenduntur. Ex. gr. status iuridicus ecclesiae, quatenus vi consecrationis aut benedictionis ea facta est locus sacer, qua talis exemptus a laica potestate, non suspenditur, sed solum celebratio Missae aliarumque sacrarum functionum.

Ratio suspensionis est macula ex delictis irrogata ecclesiae ideoque indecentia quae haberetur si, ea permanente, divina mysteria celebrarentur.

Violatio non concipitur si ecclesia consecrata aut benedicta non sit.

2. Ex praescripto can. 1172, § 1 ecclesia violatur ob quatuor actus sequentes :

1° *Delicto homicidii*. Huic aequiparatur suicidium. Utrumque debet esse graviter imputabile. Nihil interest num armis, veneno, laqueo aliove modo delictum patratum fuerit.

2° *Iniuriosa et gravi sanguinis effusione*. Duae conditiones : *iniuriosa* effusio, i. e. culpabilis et quidem lethaliter ac *gravis* seu in magna quantitate. Si deest delictum graviter culpabile, quacumque de causa, violatio non habetur. Necesse non est ut sanguis effundatur super pavimento, aut intra ecclesiam totalis effusio eveniat, dummodo causa effusionis revera posita fuerit intra ecclesiam et sanguinis effusio saltem ex parte in ea acciderit.

3° *Impiis et sordidis usibus quibus ecclesia addicta fuerit*. Non profani usus attenduntur, sed *impii*, i. e. irreligiosi aut inhonesti et *sordidi* nempe indecentes. Id verificaretur si v. g. in ecclesia stationes militares per aliquod tempus haberentur; si choreae aut repraesentationes inhonestae fierent; si conventus irreligiosi, mercatus aut nundinae animalium locum haberent.

Non sufficit actus unus alterve, sed requiritur re-

petitio seu continuatio eiusdem actionis. Id manifesto exigit vox *usus* a legislatore consulto adhibita.

4° *Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.* Nomine infidelium hic non veniunt filii christianorum non baptizati, nec catechumeni. Excommunicati *vitandi* a fortiori comprehenduntur (cfr. can. 1242). Ceteri excommunicati itemque haeretici, schismatici et apostatae, nisi intercesserit sententia condemnatoria aut declaratoria, huc non spectant.

673. 3. Eatenus ecclesia violatur ob recensitos actus, quatenus iidem *certi* sint, *notorii* et *in ipsa ecclesia positi* (can. 1172, § 1).

Requiritur *certitudo* tum quoad existentiam facti tum quoad culpabilitatem gravem actionis, ita ut si adsit dubium sive iuris sive facti, violatio absit. Actus debent esse *notorii* sive notorietate iuris sive notorietate facti. Si actus natura sua occultus fiat publicus seu notorius, ex momento notorietatis ecclesia violata censetur, dummodo notabile temporis spatium elapsum non sit aut divina officia pluries iam celebrata non fuerint.

Actus debent esse *positi in ipsa ecclesia*, licet effectus extra eandem sequatur. Quare :

a) Non habetur violatio, si actus ponantur in sacrario, in turri campanaria, in aede adiacente ecclesiae.

b) Habetur violatio si actus ponatur in cappella licet subterranea vel adiacente, quia cappella quid unum constituit cum ecclesia. Quoad cryptam subterraneam ita distinguendum : si per ecclesiam aditus ad cryptam pateat, violatio probabiliter abest iuxta nonnullos; si aditus per ecclesiam nullus sit, violatio certe non existit.

c) Si persona qui actum ponit sit intra ecclesiam, obiectum extra, ex. gr. si Titius ex ecclesia sclopeto vel lapide occidat Caium extra ecclesiam degentem,

non habetur violatio. Sane delictum in ecclesia perpetratum dici nequit. Dum e contra ecclesia violatur, si Titius explodit in ecclesia contra Caium, qui lethaliter vulneratus ex ea egreditur in viam aut plateam ibique moritur.

d) Si actus, ex. gr. explosio aut vulneratio, ponatur ad ianuam ecclesiae, violatio abest. Versamur in odiosis ideoque vox ecclesiae stricte sumenda.

e) Si actus ponatur extra ecclesiam, v. g. explosio aut percussio, et Titius vulneratus aut percussus in ecclesiam se conferat ibique vel moriatur vel sanguinem in magna quantitate effundat, violatio non existit, quia delictum revera in ecclesia commissum non est. Contraria opinio hodie probabilitate caret.

4. Violata ecclesia, non ideo coemeterium, licet contiguum, violatum censetur, et viceversa (can. 1172, § 2).

5. In ecclesia violata, antequam reconcilietur, nefas est divina officia celebrare, sacramenta ministrare, mortuos sepelire (can. 1173). Vetitum urget sub gravi.

Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessare debent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa est interrumpenda; secus prosequenda usque ad communionem (can. 1173, § 2).

Si causa gravis adsit, et reconciliatio statim fieri nequeat, Episcopus permittere potest Missae celebrationem in ecclesia violata, vel etiam rector eiusdem, si Episcopus interpellari nequeat. Huiusmodi causa gravis esset v. g. si die dominico aut festo de praecepto Sacrum esset faciendum ut populus satisfaceret obligationi de Missa audienda; item si ad viaticum ministrandum Sacri celebratio foret necessaria; pariter si orirentur iurgia et dissidia nisi Missa celebraretur.

674. 6. Ecclesia violata debet reconciliari. Reconciliatio est ritus sacer quo macula inducta per violationem aufertur atque ita ecclesia violata cultui divino restituitur.

1° Reconciliatio est omnino necessaria eaque quam citissime poterit peragenda est, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos. Si dubitetur sive dubio iuris sive dubio facti num ecclesia sit violata, reconciliatio non praescribitur, sed fieri potest ad cautelam (can. 1174).

2° Si agitur de ecclesia consecrata, reconciliatio generatim fieri debet ab Ordinario loci vel a Superiore maiore religionis clericalis exemptae, pro diversitate casuum, vel ab eorundem delegato (can. 1176, § 2 iunct. can. 1156) ritu in *Pontif. Rom.* descripto.

In casu gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius vel Superior religiosus adiri nequeat, rector ipse ecclesiae (eoque deficiente quilibet sacerdos) potest eam reconciliare, certiore facto Ordinario (can. 1176, § 3). Etiam in hoc casu ritus *Pontificalis Rom.* adhibendus est. Hodie necesse non est, aliter ac olim, ut aqua lustralis ab Episcopo benedicatur, sed utique oportet ut ritu speciali a sacerdote reconciliante benedicatur (can. 1177) (11).

3° Si agitur de ecclesia benedicta, reconciliatio facienda est a rectore ecclesiae vel a sacerdote quocumque de eiusdem rectoris consensu saltem praesumpto (can. 1176, § 1). Servandus ritus in *Rituali Rom.* (tit. VIII, cap. 28) descriptus adhibendaque est aqua lustralis communis.

4° Reconciliatio ecclesiae consecratae et eo magis benedictae, secundum Codicis disciplinam, non est, secus ac olim, consideranda ut actus ordinis episcopalis, sed ordinis presbyteralis. Quare ad nor-

(11) Cfr. *Rituale Rom.*, tit. VIII, cap. 28, n. 8.

mam can. 1147, § 3 quilibet sacerdos eam *valide*, quamvis illicite, peragit.

5° Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati aut infidelis nequit reconciliari, antequam cadaver exinde remotum non fuerit, si remotio sine gravi incommodo fieri possit (can. 1175). Huiusmodi incommodum esset v. g. vetitum civile, obstaculum ex parte familiae aut haeredum defuncti, etc.

675. Munditia ecclesiae. — 1. Ex praescripto can. 1178 curare debent « omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet; ab iisdem arceantur negotiationes et nundinae, quamquam ad finem pium habitae; et generatim quidquid a sanctitate loci absonum est ». A natura ecclesiae pendet, quinam sint ii ad quos pertinet. Tales sunt Superior religiosus, parochus, rector, Capitulum, cappellanus, etc.

2. Munditia maxime servanda est in iis quae ad cultum divinum proxime spectant, nempe circa vestes et vasa sacra, seu universim circa sacram supellectilem.

676. Notio et necessitas campanae. — 1. Campana est instrumentum ex metallo confectum, generatim ex mixtione stanni et cupri, ad fideles convocandos in ecclesiam aut ad sollemnitates populo annuntiandas. Igitur campana inter res sacras recensenda est (12).

2. « Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit,

(12) Campana etymologice a Campania, Italiae regione, dicta videtur, ubi primo adhibita fuisse traditur.

Prioribus Ecclesiae saeculis fideles vocabantur ad sacras functiones alicubi per cursores, alicubi sonitu tubae, alibi sacris lignis una cum metallo coniunctis.

Saeculo V exeunte campanae in ecclesia primum adhiberi coeperunt. Postea earum usus frequentior et communior evasit.

quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur » (can. 1169, § 1).

Iure communi, attenta voce « *convenit* », non datur stricta obligatio; at iure particulari induci potest campanarum necessitas. V. g. quando Episcopus dat consensum pro ecclesia aedificanda, praecipere potest ut una aut plures campanae in ea habeantur; idque, ecclesia iam aedificata, iubere valet in fidelium utilitatem.

3. Quoad numerum campanarum, spectandae sunt peculiares circumstantiae locorum, natura ecclesiae aliaque id genus (13).

677. Benedictio et usus campanarum. — 1. Campanae debent consecrari vel benedici secundum ritus in liturgicis libris traditos (can. 1169, § 2).

1° Consecratio vel benedictio est obligatoria.

2° Sicuti pro ecclesiis, ita pro campanis duplex est benedictio constitutiva : consecratio nempe, si olea sacra adhibeantur, simplex benedictio si adhibeatur solummodo aqua lustralis. Haec benedictio omnino distinguenda est ab alia campanarum benedictione ad usum non ecclesiasticum destinatarum, quae in appendice *Ritualis Romani* reperitur.

3° Minister consecrationis vel benedictionis is est, de quo supra (n. 662 s.), ad normam can. 1155 et 1156 (can. 1169, § 5).

4° Ritus consecrationis describitur in *Pontificali Romano*; ritus benedictionis in appendice *Ritualis Romani*. Ille necessario adhibendus pro campanis ad ecclesiam consecratam destinatis; iste pro campanis ad ecclesiam benedictam destinatis (14). At quaelibet causa rationabilis excusat ab hac dispositione.

(13) Olim mendicantes unam tantum habere poterant campanam in suis ecclesiis. Hodie sublatum censendum huiusmodi vetitum.

(14) S. R. C. 22 ian. 1908.

2. Usus campanarum consecratarum vel benedictarum *unice* auctoritati ecclesiasticae subest (can. 1169, § 3).

Actus religionis, ad quos benedictae campanae adhibentur, his antiquae glossae versiculis enuntiantur:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum, Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

3. *Per se* campanae adhiberi nequeunt ad usum profanum. Interdum huiusmodi usus licitus est, nempe in his casibus: 1° urgente necessitate, v. g. ad populum convocandum in casu incendii aliusve infortunii; 2° ex legitima consuetudine; 3° ex licentia Ordinarii; 4° ex conditione apposita ab iis qui campanas forte donaverint ecclesiae, v. g. a communitate, a municipio, quatenus donatio campanarum facta fuerit sub expressa conditione ut ipsae adhibeantur quoque ad usum profanum, puta ad comitia populi indicenda, ad pueros vocandos ad scholas, etc. (cfr. can. 1169, § 4).

4. Quoad campanarum usum haec attèndenda:

1° Si Episcopus solemniter accedat ad ecclesiam aut mandatum eas pulsandi dederit, campanae omnium ecclesiarum etiam exemptarum pulsandae sunt.

2° Ultimo triduo maioris hebdomadae campanae pulsari nequeunt. In Sabbato Sancto etiam religiosi exempti prohibentur pulsare campanas, antequam dignioris ecclesiae, v. g. cathedralis vel collegiatae, signum dederint, nisi in contrarium adsit centenaria vel immemorabilis observantia aut ecclesia valde distet. Episcopus nequit prohibere generatim religiosis ne campanas pulsent antequam paroeciae campanae pulsatae fuerint.

3° Cum SS. Eucharistiae Sacramentum sollemni pompa publice defertur, omnes ecclesiae sive saecularium sive religiosorum sive etiam monialium, non obstante quacumque consuetudine contraria, debent

campanas pulsare, dum SS. Sacramentum transit ante portas maiores et laterales earundem ecclesiarum, atque etiam dum transit ante ianuam domus, conventus, monasterii, aedium capitularium vel paroecialium, quae respectivis ecclesiis sint adnexae (15).

4° Ex lege liturgica et consuetudine campanae pulsantur ad indicandum fidelibus initium divinorum officiorum, ad signum dandum *Angelus Domini* ter in die, ad festos dies significandos, ad dandum signum agoniae et mortis, ad recipiendum Episcopum, etc.

5° Tempore interdicti localis generalis prohibetur campanarum pulsatio. Quae tamen permittitur in festo Nativitatis Domini, Paschatis, SS. Corporis Christi et B. M. V. in coelum assumptae (can. 2270, § 2 et 2271).

5. Campanae pertinent ad ipsam ecclesiam cui destinatae sunt, sive ab eadem suis sumptibus emptae fuerint, sive donatae, sive fidelium sumptibus emptae. Ita iure canonico et iure quoque civili apud plerasque nationes vigente. Campanae ut res immobiles destinatione censentur.

678. Accessus ad ecclesiam, locorum distinctio in eadem et sedilia. — 1. Ingressus in ecclesiam ad sacros ritus debet esse *omnino gratuitus*, reprobata qualibet contraria consuetudine (can. 1181). Id ex ipsa rei natura sponte consequitur. Nam ecclesia omnibus fidelibus usui est ad cultum divinum exercendum (cfr. can. 1161), ideoque accessus ad ecclesiam liber et gratuitus iisdem patere debet absque ulla difficultate.

Vetitum non est pecuniam a fidelibus sponte oblatam colligere, aut etiam petere at non pro ingressu in ecclesiam ad sacras functiones, sed ob alium fi-

(15) S. R. C. 10 mart. 1787.

nem, dummodo fideles ab ecclesia adeunda nec directe nec indirecte arceantur (16).

2. Optandum est ut, congruenter antiquae disciplinae, mulieres in ecclesia separatae sint a viris (can. 1262, § 1).

1° Distinctio in ecclesia ratione conditionis seu paupertatis et nobilitatis aliena est a spiritu Ecclesiae ideoque non admittenda (17).

2° Magistratibus, pro eorum dignitate et gradu, locus distinctus in ecclesia esse potest, ad normam legum liturgicarum (can. 1263, § 1). Quae leges iubent locum esse habendum extra presbyterium et sine baldachino. Idem ius competit etiam patrono (can. 1455, 3°).

3° Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis locum in ecclesia sibi suisque reservatum habere potest. Ordinarius autem consensum praebere non valet, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter provisum (can. 1263, § 2).

Consensus Ordinarii est semper et necessario conditionatus, ea scil. conditione concessus ut ex iusta causa concessio revocari possit, non obstante quolibet temporis decursu (can. 1263, § 3). Ordinarius tantum potest revocare concessionem, non parochus, vel rector ecclesiae. Requiritur causa iusta, v. g. necessitas ampliandi aut restaurandi ecclesiam, auctus fidelium numerus, etc. Una Sedes Apostolica concessionem perpetuam et irrevocabilem facere posset, quae veram ecclesiae servitutem constitueret.

3. Viri in ecclesia nudo capite esse debent, mulieres e contra capite cooperto et modeste vestitae, maxime cum ad mensam Eucharisticam accedunt (can. 1262, § 2). Omni studio curandum ut hoc prae-

(16) Cfr. S. C. de Prop. Fide 15 aug. 1869, ad Episcopos Statuum Foed. Americae Sept.; *Collect.* I, n. 1345.

(17) S. C. de Prop. Fide, 9 april. 1783; Cappello, *De visitatione* etc., I, 183 ss.

scriptum, ad modestiam mulierum quod attinet, religiosissime servetur.

4. Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant (can. 1266). Id ex custodia et cultu Eucharistiae manifeste consequitur. Sanctissima Eucharistia ideo asservatur, ut fideles possint eam reverenter adorare et sumere.

679. Administratio bonorum ecclesiae. — 1. Administratio hic sumitur lato sensu, ita ut comprehendat etiam acquisitionem et alienationem.

Bona ecclesiae hic ea intelliguntur, quae ipsi ecclesiae reparandae, decorandae, conservandae, aut divino cultui in eadem exercendo destinata sunt; itemque oblationes factae in commodum paroeciae aut missionis aut ecclesiae sitae intra fines paroeciae vel missionis (can. 1182).

2. Bona ecclesiarum administranda sunt:

1° Ab Episcopo cum Capitulo, si de ecclesia cathedrali agitur (can. 1182, § 1);

2° A Capitulo ecclesiae collegiatae, si de eadem agitur (can. 415, § 3, 1°, 1182, § 1).

3° A parocho, missionario, rectore saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit sive religiosus (can. 1182, § 3). Si agitur de ecclesia quae pertinet ad communitatem religiosam, standum est praescripto can. 630, § 4, ut suo loco dictum est.

4° Si agitur de oblationibus quae fiunt in commodum ecclesiae propriam administrationem habentis a paroeciae aut missionis administratione distinctam, earundem administratio ad ipsam ecclesiam pertinet (can. 1182, § 2).

5° Iure particulari — nempe ex consuetudine vel fundatione aut statutis peculiaribus legitime inductis, conventione rite inita, et praesertim ex speciali S. Sedis praescripto — administratio potest competere,

praeterquam memoratis personis (Episcopo, Capitulo, parocho, rectori), etiam aliis aut exclusivo iure aut cumulativo cum iisdem. Hinc *consilium fabricae ecclesiae*.

3. Consilium hoc constat pluribus personis, sive clericis sive laicis, quae in administrationem bonorum ecclesiae cooptantur (can. 1183, § 1).

1° Ubi non existit consilium fabricae ecclesiae, Episcopus potest illud constituere ex quavis causa iusta.

2° Praeses huiusmodi consilii est semper rector ecclesiae (can. 1183, § 1).

3° Membra consilii, nisi aliter legitime constitutum sit iure particulari, nominantur ab Ordinario loci eiusve delegato ab eoque gravi de causa amoveri possunt (can. 1183, § 2).

4° Numerus membrorum non est praefinitus : idcirco standum mandato Episcopi, statutis dioecesanis, consuetudini, seu iuri peculiari.

5° Ex eodem iure munus sodalium consilii potest esse perpetuum vel ad tempus v. g. ad triennium vel quinquennium.

6° Sodales debent, iureiurando interposito, fideliter administrare bona ecclesiae, adamussim servatis normis quae administrationem bonorum ecclesiasticorum respiciunt (can. 1184, 1522, 1523).

7° Nullatenus iisdem licet se ingerere in ea quae ad spirituale munus pertinent, potissimum :

a) in exercitium cultus in ecclesia;

b) in modum et tempus pulsandi campanas;

c) in curam promovendi ac tuendi ordinem in ecclesia et in coemeterio;

d) in definiendam rationem qua collectae, denuntiationes aliique actus ad cultum divinum et ornatum ecclesiae quoque modo pertinentes in ecclesia fieri debeant

e) in dispositionem materialem altarium, mensae

pro distribuenda sanctissima Eucharistia, suggestus e quo ad populum verba fiunt, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis, aliarumque rerum quae ad exercitium cultus divini pertinent;

f) in admissionem vel reiectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinantur;

g) in scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum ad archivum paroeciale pertinentium (can. 1184).

680. Inservientes ecclesiae. — 1. Ex praescripto can. 1185 sacrista, cantores, moderator organorum, pueri chorales, pulsator campanae, fossores sepulcrorum, ceterique inservientes a solo ecclesiae rectore, salvis legitimis consuetudinibus et conventionibus et Ordinarii auctoritate, nominantur, pendent ac dimittuntur.

Hisce titulis, qui a can. 1185 expresse memorantur, alii addendi sunt, praesertim lex fundationis et mandatum S. Sedis.

2. Lex civilis in hac re nullius est valoris ideoque silentio praetereunda.

681. Reparatio ecclesiarum et reductio ad usum profanum. — 1. Circa onus reparandi ecclesias, imprimis attendendae sunt peculiares consuetudines legitimae, conventiones rite initae, fundatio ac ipsa lex civilis quae forte alicui personae physicae aut morali obligationem reparandi imponat.

Si nihil ex istis titulis eruatur, tunc ex iure Codicis (can. 1186) sequentes normae prae oculis habendae sunt:

1° Onus reficiendi ecclesiam cathedralem incumbit ordine qui sequitur: *a*) bonis fabricae, salva ea

parte quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem; *b*) Episcopo et canonicis pro rata proventuum, necessariis ad honestam sustentationem detractis; *c*) dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione inducere debet ad sumptos necessarios, pro eorum viribus, praestandos.

2° Onus reparandi ecclesiam paroecialem incumbit ordine qui sequitur: *a*) bonis fabricae ecclesiae, ut supra; *b*) patrono; *c*) iis qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes percipiunt, scil. parocho aliisque clericis qui beneficium in eadem habeant, secundum taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam; *d*) paroecianis, qui tamen ab Ordinario, ut supra, magis hortandi sunt quam cogendi.

3° Haec cum debita proportione servari debent etiam quoad ceteras ecclesias, nempe onus incumbit *a*) fabricae ecclesiae, si haec illam habeat; *b*) patrono ut supra, si ecclesia sit iuris patronatus; *c*) rectori et beneficiatis qui in eadem beneficium habeant; *d*) populo pro quo ecclesia aedificata est.

Quae dicta sunt de reparatione ecclesiae, applicantur generatim etiam reparationi sacrarum vestium, utensilium, ornamentorum ecclesiae, eorum omnium nempe quae necessaria sunt ad cultum divinum digne ac devote exercendum.

2. Si ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi possit et omnes aditus interclusi sint ad eam reficiendam, potest ab Ordinario loci redigi in usum profanum non sordidum; onera autem cum reditibus, titulus paroeciae, si ecclesia sit paroecialis, in aliam ecclesiam ab eodem Ordinario, servatis servandis, transferri debent (can. 1187).

1° Tres conditiones requiruntur: *a*) impossibilitas reficiendi ecclesiam; *b*) usus profanus, quicumque sit, dummodo non sordidus; c) translatio onerum, redituum et tituli.

2° Ad huiusmodi reductionem faciendam nullus specialis ritus ex parte Ordinarii requiritur, nec destructio. Olim quidem (18) ecclesia erat demolienda; non ita hodie ex iure Codicis.

3° Si ecclesia redigi potest ad usum profanum, a fortiori materia eiusdem forte destructae (saxa, ligna etc.) adhiberi potest ad usum profanum non sordidum.

4° Si ecclesia ad usum profanum reducta, cultui divino sit restituenda, iterum consecrari vel benedici debet.

5° Ecclesia reducta ad usum profanum potest vendi, locari etc. etiam privatis personis. Ante reductionem id nullatenus fieri potest, nisi expressa venia S. Sedis accedat.

6° An et quanam ratione sacra supellex ecclesiae alienari aut adhiberi possit ad usum profanum, dicetur infra (n. 703).

Articulus III.

De oratoriis.

682. Notio et divisio. — 1. Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut omnibus fidelibus usui sit ad religionem publice colendam, sed solum pro determinatis personis sive physicis sive moralibus (can. 1188). Hinc manifesto liquet, in quo *conveniat* et in quo *discrepet* ab ecclesia oratorium (cfr. n. 665).

2. Ex can. 1188 oratorium dicitur:

1° *Publicum*, si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii sive communitatis aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore

(18) Cfr. Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 7 de ref.

saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi.

Duplex conditio: *a*) erectio pro privatis tantum personis aut certa persona morali; *b*) accessus legitime patens omnibus fidelibus, saltem tempore Missae aliarumque sacrarum functionum.

Ius *legitime* acquiri potest variis modis: *consuetudine, praescriptione, conventione* sive initio aedificationis sive postea sive inita, *fundatione, concursu in expensis ferendis* pro aedificatione aut cultu exercendo sub conditione expressa vel tacita de accessu permittendo, *praescripto S. Sedis* et, iusta de causa, etiam *mandato Episcopi*, v. g. si desit ecclesia, Ordinarius statuere valet ut, donec ecclesia aedificetur aut reficiatur, ingressus in oratorium pateat omnibus fidelibus.

Non repugnat quod oratorium ab initio fuerit semi-publicum aut etiam privatum, et postea evaserit publicum. Item *per se* haud repugnat quod initio fuerit publicum, dein vero semi-publicum aut privatum fiat.

Olim criterium distinctionis inter oratorium publicum et semi-publicum ac privatum desumebatur ex ianua ad viam publicam et quidem, si plures essent ianuae, ex principali et magis usitata. Hodie unice standum est Codici (1). Quare via et accessus nonnisi qua indicia considerari possunt ac debent.

2° *Semi-publicum*, quod in commodum alicuius collegii, instituti, communitatis, piae unionis, coetus fidelium eo convenientium erectum est, nec liberum est cuique illud adire. Huiusmodi est oratorium Seminarii, hospitalis, carceris, cuiuslibet domus religiosae vel piae, etc. Plura possunt esse oratoria semipublica in una eademque domo, quorum alterum sit principale, alterum vel alia secundaria.

(1) Cfr. Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, I, 185 ss.

Non repugnat oratorium semi-publicum, uti publicum, habere formam architectonicam ecclesiae. Ordinarie tamen huiusmodi formam exterius non praesefert.

3° *Privatum* seu *domesticum* est illud quod in privatis aedibus in commodum alicuius familiae vel personae privatae erectum est (can. 1188, § 2). Quod sit erectum in privatis aedibus non est conditio essentialis; plerumque id verificatur, at non semper et necessario. Dum e contra essentialis conditio est, ut erectum sit in commodum dumtaxat privatorum, quin aliis ius sit illud adeundi.

Hoc oratorium differt a ceteris etiam ex alio capite : locus sacer vero proprioque sensu nec est nec esse potest, quia nequit benedici benedictione constitutiva (2).

683. Oratorium publicum. — 1. Can. 1191 statuit hoc principium : « *Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur* ».

1° Quae dicta sunt de ecclesiae aedificatione applicantur generatim etiam oratoriis publicis; item quae diximus de consecratione et benedictione. At stricta obligatio de impositione primarii lapidis non existit, nec de certa ac praefinita dote, si oratorium non consecratur.

Ordinarie haud solent oratoria consecrari, sed tantum benedici. Imo alicubi viget consuetudo ea ne benedicendi quidem sollemniter. Haec consuetudo nobis legitima non videtur; at Episcopus permittere valet ad tempus celebrationem divinorum officiorum, usque dum consecratum vel benedictum fuerit oratorium.

(2) Cum defuerit ante Codicem accurata notio ac distinctio oratoriorum, caute accipienda sunt quae ab antiquis canonistis et liturgistis de iisdem traduntur.

2° Circa festum Tituli et Dedicationis quae dicta sunt de ecclesiis, applicantur quoque oratoriis.

3° Item quae de exsecratione, violatione et reconciliatione atque immunitate ecclesiae diximus, valent etiam de oratoriis.

2. Ad functiones quod attinet, can. 1191, § 2 statuit : « Quare in oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem, ad normam can. 1155, 1156, dedicatum fuerit, omnes sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto.

1° Ex rubricarum praescripto vetantur in oratoriis, sine peculiari privilegio, functiones stricte paroeciales, de quibus suo loco. Permittuntur vero functiones sacerdotales, nempe : Missae privatae et sollemnes, benedictio et distributio candelarum, cinerum et palmarum, functiones hebdomadae maioris, expositio quadraginta horarum, aspersio aquae benedictae ante Missam diebus dominicis, denuntiatio festivitatum, vigiliarum et ieiuniorum, benedictio mulieris post partum (3).

2° Generatim omnia sacramenta, praesertim poenitentiae et Eucharistiae, ministrari possunt in oratorio publico.

SS. Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam gerat et regulariter sacerdos saltem semel in hebdomada Missam celebret, custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in oratorio publico principali tum domus piae aut religiosae tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur. Pro aliis oratoriis etiam publicis requiritur indultum apostolicum; Ordinarius loci potest huiusmodi licentiam con-

(3) Quidam (cfr. P. Victor. ab Appeltern, *Promptuarium sacrae liturgiae*, I, n. 346) censent functiones hebdomadae maioris peragi non posse in oratoriis, nisi in iisdem asservetur SS. Sacramentum. Haec limitatio, saltem hodie, caret fundamento.

cedere dumtaxat ex iusta causa et per modum actus (can. 1265, § 1, 2°, § 2).

3° Oratorium publicum non gaudet iure funerandi. Attamen Episcopus illud concedere valet. Quo in casu, ad parochum spectat ius exsequias persolvendi, si agitur de subdito proprio et oratorium sit intra fines paroeciae (cfr. can. 1225).

3. Potestne Ordinarius ius functiones sacras peragendi in publico oratorio coarctare? In concessione licentiae pro eo aedificando limitationes quasdam ponere valet, dummodo ea servet quae ad habendum verum oratorium publicum necessaria sunt. Post aedificationem, id facere nequit, attento can. 1191, § 2, qui memorat tantum limitationem ex rubricarum praescripto inductam.

4. Quaerunt AA. num oratorium publicum in privatorum dominio esse possit, ac praeterea num sit persona moralis, capax proinde acquirendi et possidendi. Certa ab incertis distinguenda.

Certum est 1° oratorium publicum esse personam moralem non collegialem ideoque capacem acquirendi et possidendi iura bonaque temporalia; 2° ius custodiendi claves oratorii competere posse personae privatae, v. g. patrono, ad nutum tamen auctoritatis ecclesiasticae; 3° oratorium publicum non esse generatim in dominio privatorum, praesertim si consecratum vel sollemniter benedictum; 4° non repugnare in casu particulari illud esse in dominio privatorum, maxime si erectum fuerit principaliter in commodum alicuius familiae vel personae privatae: tunc possidens debet cautiones praestare de non impediendo iure populi illud adeundi, ac de eo non reducendo ad usus profanos independenter ab Ordinario loci (4).

5. Oratoria publica in grangiis seu domibus ruralibus religiosorum erigi possunt de consensu Ordina-

(4) Cfr. Wernz, III, n. 452.

rii loci atque etiam, saltem probabiliter, Superioris maioris religionis clericalis exemptae, independenter ab Ordinario loci, vi privilegii a Gregorio XIII Societati Iesu concessi et aliis quoque religiosis ante Codicem communicati (5).

684. Oratorium semi-publicum. — 1. Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia (can. 1192, § 1). Ordinarii nomine intelligitur hic etiam Superior maior religionis clericalis exemptae, dummodo agatur de oratorio in domo religiosa ipsi obnoxia.

2. Ordinarius licentiam concedere nequit, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit (can. 1192, § 2).

1° Pro erigendo oratorio semi-publico nec dos, nec positio primarii lapidis, nec consensus eorum quorum interest, requiritur.

2° Licentia concedi nequit, nisi locus divino tantum cultui sit reservatus et ab omnibus domesticis curis liber (can. 1196, § 2).

3° Ordinarius potest consensui clausulas iuris communis restrictivas apponere tum circa Missas celebrandas tum circa sacras functiones peragendas. At nullatenus prohibere valet ne fideles Missae in oratorio assistentes praecepto de Sacro audiendo satisfaciant. Sane huiusmodi limitatio ipsum conceptum oratorii semi-publici destrueret.

4° Circa formam nihil iure communi praefinitum est. Idcirco quaevis forma admittitur, dummodo conveniens et divino cultui exercendo accommodata.

5° Cubicula ad dormiendum immediate supra oratorium prohibentur. S. Sedes requirit, praesertim si

(5) Cfr. Many, n. 107; Piat, II, p. 229; Wernz, III, n. 456; Matth. a Coronata, nn. 74, 85.

Missa quotidie celebretur aut SS. Eucharistia custodiatur in oratorio, ut locus ab oratorio separetur camera lapidea et crassa (6). Aliquando pro gratia conceditur, urgente necessitate, ut etiam cubicula ad dormiendum supra oratorium habeantur, dummodo ampla umbella altari in quo SS. Eucharistia asservatur, superimponatur, aut duplex immineat concameratio aliudve interiectum medium (7).

Episcopus iure ordinario id habitualiter permittere nequit, sed solum per modum actus.

Notandum permitti lectum aut rem profanam in cubiculis adiacentibus oratorio; rem profanam immediate supra oratorium; lectum, sed non immediate, supra oratorium; lectum aut rem profanam subtus oratorium (8).

3. Oratoria semi-publica non sunt necessario consecranda vel sollemniter benedicenda. Sufficit generatim ut communi loci benedictione invocativa benedicantur. Si consecrentur aut sollemniter benedicantur, debitae cautiones praestandae sunt.

Circa ministrum et ritus consecrationis vel sollemnis benedictionis, festum Tituli et Dedicationis, exsecrationem, violationem ac reconciliationem, applicanda sunt quae de ecclesiis diximus.

4. Oratoria semi-publica (uti ecclesiae et oratoria publica) benedictione constitutiva Deo dicata, gaudent exemptione a civili potestate ad normam can. 1160, non autem iure asyli, perspecto can. 1179 qui ecclesiis tantum huiusmodi ius tribuit.

685. 5. « In oratoriis semi-publicis, legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit » (can. 1193).

(6) S. R. C. 27 iul. 1878.
(7) S. R. C. 12 sept. 1840, 13 nov. 1880, ad II.
(8) S. R. C. 11 iun. 1718, 27 iul. 1878, ad I.

1° Non requiritur peculiaris licentia Ordinarii ad Missam celebrandam ceteraque divina officia persolvenda in oratorio legitime iam erecto.

2° Duplex limitatio : praescriptum rubricarum et Ordinarii exceptio.

Vi rubricarum prohibentur omnes functiones stricte paroeciales et illae quae sive ex defectu ministrorum sive ex natura loci, v. g. ob arctitudinem, fieri nequeunt. Ordinarius eas tantum restrictiones apponere valet, quae iuri communi non repugnant.

3° Circa sacramenta, funera, calendarium et asservationem Eucharistiae, idem dicendum ac supra de oratoriis publicis (n. **683**, 3°) (9).

6. « In collegiis aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis, etc., praeter oratorium principale, alia minora ne erigantur, nisi, Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat » (can. 1192, § 4).

1° Itaque oratoria minora sive secundaria, praeter principale, haberi possunt.

2° Nomine Ordinarii venit non solum Ordinarius loci, verum etiam Superior maior religionis clericalis exemptae.

3° Eatenus permitti possunt plura oratoria in eadem domo, quatenus adsit vel necessitas vel saltem magna utilitas, v. g. in commodum infirmorum, aut ad celebrandum, si magnus sit sacerdotum numerus.

4° Huiusmodi oratoria secundaria nec consecrari nec sollemniter benedici convenit. Necesse tamen est ut locus a quovis profano usu liber sit.

(9) Feria V in Coena Domini Missa privata permittitur, licet aliae functiones non fiant, in oratoriis religionum utriusque sexus, communitatum sive piorum locorum, in quibus SS. Sacramentum asservatur, ad communionem ministrandam. Nec verius peculiaris Episcopi consensus ad id requiritur, quia nullus est textus iuris qui huiusmodi facultatem tribuat Episcopo.

5° Ordinarius, haec oratoria permittens, praefinire valet quaenam functiones ibi exercendae sint, congruis limitationibus statutis. Idcirco eae tantum functiones in istis oratoriis peragi possunt, quas Ordinarius permiserit.

6° Sacerdotes Missam celebrantes in his oratoriis sequi tenentur calendarium proprium (10).

7. Quaeri potest, num oratoria semi-publica esse possint in dominio privatorum. Si consecrata vel solemniter benedicta sint, eorum dominium per se nequit esse apud privatas personas. Aliquando tamen Ecclesia permittit ut dominium maneat penes privatos, dummodo cautiones debitae praestentur, ut supra dictum est de oratoriis publicis (n. 683, 4).

686. Oratoria privata. — 1. Dividuntur in tres classes, pro varietate personarum quibus inserviunt, scil. in 1° oratoria domus privatae in commodum privatae familiae vel personae; 2° oratoria Cardinalium et Episcoporum (can. 1189); 3° oratoria coemeteriorum (can. 1190).

2. Ad erectionem oratorii privati nec venia S. Sedis nec Ordinarii consensus requiritur. At confundenda non est erectio oratorii cum facultate ibidem Sacrum faciendi, nam eo ipso quod oratorium est erectum, non sequitur posse Missam celebrari.

3. Ordinarius (Episcopus, Vicarius capitularis, Vicarius generalis etiam sine mandato speciali) in oratorio privato, postquam illud visitaverit ac decenter instructum repererit, permittere valet unius Missae celebrationem, in aliquo casu extraordinario, per modum actus, iusta et rationabili de causa (can. 1194).

1° Haec facultas, ut e collatis canonibus liquet, spectat etiam ad Superiorem maiorem religionis clericalis exemptae (11).

(10) S. R. C. 11 febr. 1910, ad III.
(11) Pontif. Comm. Cod. 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 473.

2° Huiusmodi facultas stricte interpretanda est (12).

3° Celebratio unius Missae intelligenda est eodem die.

4° Requiritur et sufficit causa quaevis iusta et rationabilis, licet non gravis et urgens. Qua in re vetus disciplina mitior facta est.

5° Clausula « *per modum actus* » ita intelligi debet, ut excludatur facultas *habitualiter* concessa, i. e. in perpetuum aut indefinite, et solum ob causam transeuntem, v. g. morbum, ea tribuatur, duratura usque dum causa perseveret, ad octo vel decem aut quindecim aut plures dies. Si causa cessaverit ac dein iterum superveniat, facultas denuo concedi potest ab Ordinario.

687. 4. Aediculae in coemeteriis a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectae, sunt oratoria privata (can. 1190). Dum e contra oratoria erecta a paroecia, a municipio, in commodum omnium fidelium, sunt publica. Ea vero quae eriguntur ab aliqua familia religiosa aut communitate sive collegio (Capitulo, Seminario, confraternitate, pio sodalitio), sunt semi-publica.

5. In privatis coemeteriorum aediculis, Ordinarius loci permittere *habitualiter* potest etiam *plurium* Missarum eadem die celebrationem (can. 1194).

6. Oratoria Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur omnibus iuribus et privilegiis quibus gaudent oratoria semi-publica (can. 1189).

688. 7. In oratoriis privatis ex indulto S. Sedis, nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, celebrari potest, postquam Ordinarius oratorium visitaverit per se vel per alium illudque probaverit, unica

(12) S. R. C. 9 dec. 1895, 22 maii 1896, 11 febr. 1910.

Missa, eaque lecta, singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus. Aliae functiones ibidem fieri nequeunt (can. 1195, § 1).

1° Dies festi *sollemniores* sunt isti : Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, S. Ioseph, Assumptionis B. M. V., Conceptionis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum.

Interdum ex indulto apostolico fas est Missam celebrare etiam in festis sollemnioribus.

2° S. Communio distribui potest omnibus fidelibus qui Missae assistunt (can. 869).

3° Ordinarius, dummodo iustae et rationabiles adsint causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest per modum actus, servatis servandis, Missae celebrationem (can. 1195, § 2).

4° Baptismus sollemnis de licentia Ordinarii loci conferri potest in oratorio privato (can. 776, § 2). Item de licentia Ordinarii matrimonium et Missa nuptialis celebrari potest (can. 1109, § 2). Confessio virorum in privatis oratoriis excipi potest, et etiam mulierum si crate fixa sedes instructa sit ac debitae cautelae adhibeantur.

5° Functiones quae in privatis oratoriis vetantur, sunt istae : Missa sollemnis et cantata, aspersio aquae benedictae, distributio cinerum, palmarum et candelarum, expositio SS. Sacramenti, functiones hebdomadae maioris.

6° Sine expressa Ordinarii loci licentia nequeunt reliquiae insignes exponi aut asservari in oratoriis privatis (can. 1282, § 1).

7° Celebrans in hisce oratoriis uti debet calendario proprio, sive sit religiosus sive saecularis sacerdos (13).

(13) S. R. C. 11 febr. 1910.

689. 8. Oratoria privata nec consecrari nec sollemniter benedici possunt, sed tantum communi locorum domorumve benedictione donari valent; at, licet non benedicta benedictione constitutiva, necesse tamen est, ut cultui divino dumtaxat reserventur liberaque sint ab omnibus usibus domesticis (can. 1196).

Hinc patet oratoriis privatis non applicari ea quae de consecratione vel sollemni benedictione, de exsecratione et violatione etc. dicta sunt.

9. In privatis oratoriis nequit satisfieri obligationi audiendi Sacrum diebus dominicis aliisque festis de praecepto, nisi agatur de privatis coemeteriorum aediculis aut peculiare privilegium a S. Sede fuerit concessum (can. 1249).

Indultarii huiusmodi privilegio gaudent. Inspicienda sunt ipsissima verba indulti apostolici de Missa celebranda in oratorio privato. Plerumque extenditur privilegium etiam ad consanguineos et affines « dummodo principales indultarii vel saltem alteruter eorum praesens sit ». Interdum extenditur quoque ad famulos et hospites; interdum adhuc latius patet.

10. Oratoria privata ad usum profanum reduci possunt quocumque tempore, sive privata domini voluntate sive interventu Ordinarii.

ARTICULUS IV.

De altaribus.

690. Notio et divisio. – 1. Altare, etymologice *alta ara,* sensu lato est tabula lapidea una cum basi, super quam Missae sacrificium offertur; sensu stricto est ipsa mensa seu tabula lapidea.

2. Altare dividitur ratione *structurae* et *consecrationis* in *mobile* et *immobile.*

Altare *mobile* seu *portatile* est parva petra, dicta etiam *ara portatilis* seu *petra sacra,* quae sola conse-

cratur, quaeque independenter a basi super qua tempore sacrificii Missae necessario locanda est, de loco in locum transferri potest, consecratione nullatenus amissa. Interdum nomine altaris *mobilis* venit eadem petra cum stipite qui tamen non fuit cum eadem consecratus (can. 1197, § 1, 3°).

Dicitur *parva* petra, quae in unoquoque latere habet triginta ad quinquaginta circiter centimetros; at forma maior aut minor aliquando esse potest.

Altare *immobile* seu *fixum* est mensa superior una cum stipitibus per modum unius cum eadem consecratis (can. 1197, § 1, 1°).

Vocatur *immobile* seu *fixum* non absolute, sed relative, seu tantum in ordine ad stipites quibus mensa adhaeret, non autem quoad locum. Sane etiam huiusmodi altare potest de loco in locum moveri, dummodo stipites a mensa non amoveantur aut separentur et una cum mensa iidem transferantur.

3. Ratione *indulgentiae* et *dignitatis* dividitur altare in *privilegiatum*, *papale*, *maius* et *minus*.

Nomine *altaris privilegiati* illud venit, quod peculiare privilegium habet adnexum, nimirum ut sacerdos indulgentiam plenariam applicare valeat animae illius defuncti, pro quo in eo celebrat. Quare eiusmodi privilegium altaris consistit in plenaria indulgentia, quae, spectata R. Pontificis mente et usu potestatis clavium, animam statim liberet ab omnibus poenis purgatorii; spectato autem applicationis effectu, intelligenda est indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptatione respondet (1).

Altare *papale* illud est, in quo nemo celebrare potest sine apostolico indulto (can. 823, § 3).

Huiusmodi sunt altaria *summa* quatuor Basilica-

(1) S. C. Indulg. 28 iul. 1840.

rum : Lateranensi, Vaticanae, S. Pauli extra muros et S. Mariae Maioris (2).

Altare *maius* illud dicitur, quod praecipuum est; cetera *minora* vocantur (3).

691. Altare immobile seu fixum. — 1. Mensa altaris immobilis ex unico lapide naturali, integro et non friabili, constare debet (can. 1198, § 1).

1° Mensa lapidea ad integrum altare protendi debet et cum stipite apte cohaerere; stipes autem lapideus vel saltem latera seu columellae, quibus mensa sustentatur, debent esse ex lapide (can. 1198 § 2). Circa mensam zona lignea aut lapidea non permittitur (4).

2° Mensa altaris potest esse simpliciter superposita basi eidem consacratione tantum unita, ita tamen ut omnino stipiti adhaereat ac cum eo quid unum constituat; quare necesse est ut coemento aliave materia mensa superior cum stipite uniatur et colligetur ob periculum amotionis et exsecrationis.

3° Stipites debent esse *ex lapide;* at non stricte id praecipitur, cum can. 1198, § 2 dicat : « vel *saltem* latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide ». Sufficit proinde basis ex muro lateritio, dummodo columellae quibus mensa insidet sint lapideae. Verius admitti possunt bases etiam metallicae, modo partes superiores ipsarum lapideae sint, ita ut unctiones praeceptae fiant immediate super mensam et stipitem lapideum eam sustentantem (5).

Attento can. 1200, § 1, unio saltem mechanica mensae cum stipitibus ad valorem consecrationis requiritur. Contraria opinio veterum quorumdam AA. hodie sustineri nequit.

(2) Cfr. Bened. XIV, *De sacros. Missae sacrif.*, Appendix V, ad lib. III, § 1.

De altari *Gregoriano* vide Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 768.

(3) Primis Ecclesiae saeculis unicum tantum in ecclesiis erat altare. Inde a saeculo IV in Occidente plura in eadem ecclesia erigi coeperunt. In Oriente apud nonnullas Ecclesias viget etiam hodie antiqua illa disciplina.

(4) S. R. C. 23 april. 1893.

(5) S. R. C. 24 maii 1901.

4° Altare consecrandum debet esse plenum. Satis tamen est, ut tabula altaris super quatuor latera ita clausa innitatur, ut post consecrationem nihil intra altare immitti possit, quamvis subter altare spatium vacuum habeatur (6).

Immo altaria ita possunt esse constructa, ut tabula lapidea super stipitem lapideum ex utraque parte ponatur, relicto in medio, ut supra, spatio quodam vacuo, sub quo recondantur capsae sacrarum Reliquiarum ita commode dispositae, ut oculis fidelium diebus saltem sollemnioribus appareant; aut etiam ita ut altare fixum omni ex parte super stipitem reponatur, licet ab anteriori parte columellis nitatur quae stipitis locum haebant circiter ad medietatem tabulae. Sufficit quoque ut mensa altaris consecrandi sustentetur quatuor columellis, quamvis subter omnino vacuum sit altare, dummodo quatuor columellae talem soliditatem habeant, ut altare nullo modo moveri possit (7).

5° Altare formam vel quadratam vel rectangularem seu oblongam habere debet, secundum disciplinam Ecclesiae occidentalis. Aliter penes nonnullas Ecclesias orientales.

692. 2. In altari immobili esse debet, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum (can. 1198, § 4).

1° Nomine sepulcri venit parvus loculus, parvo item lapide ad modum sigilli claudendus, qui reliquias Sanctorum continet.

2° Reliquiae videntur requiri ad valorem consecrationis, inspecto can. 1200, § 2, 2°. Nec sufficit ut subter altare corpus alicuius Sancti sepultum sit (8).

(6) S. R. C. 28 sept. 1872.
(7) S. R. C. 20 dec. 1864, 28 sept. 1872, 6 nov. 1908.
(8) S. R. C. 24 mart. 1875.

3° Reliquiae debent esse *Sanctorum*. Non sufficiunt reliquiae Beatorum. Debent esse certae, non dubiae. Non requiritur reliquia quae pars corporis sit. Valida est consecratio, si reliquiae sint unius Martyris et Confessorum aut Virginum vel aliorum Sanctorum, vel etiam unius tantum Martyris (9).

Disputatur num valida sit consecratio, si unius dumtaxat Sancti (Confessoris aut Virginis) reliquiae habeantur. Longe verius affirmandum.

4° Reliquiae poni possunt: *a*) in parte superiori ipsius mensae, i. e. in medio tabulae lapideae; *b*) in stipite seu basi a parte anteriori; *c*) in stipite seu basi a parte posteriori; *d*) in parte superiori stipitis super quam poni debet mensa altaris. Ita ex *Pontificali Romano*.

5° Operculum sepulcri, ubi reliquiae reponuntur, ex lapide unico et naturali esse debet (non tamen ad valorem consecrationis), illudque firmandum est caemento secundum formulam in *Pontificali Romano* praescriptam rite praeparato. Tamen loco calcis et sabuli quae a *Pontif. Rom.* indicantur, adhiberi potest gypsum, coementum vel quid simile, et in casu etiam oratio analoga mutanda est (10).

693. 3. Missa celebrari nequit super altare, nisi fuerit consecratum.

1° Sacrum facere sine altari consecrato, extra casum gravis et urgentis necessitatis, mortale foret. Altare ut consecratum habendum est, si ab antiquo super illud celebrari consuevit, licet nullum de peracta consecratione existat documentum; deficiente facto celebrationis ab antiquo, necessario, consecrandum est (11).

(9) S. R. C. 16 febr. 1906.
(10) S. R. C. 4 aug. 1905.
(11) S. R. C. 31 aug. 1867, 23 iun. 1892.
Graeci celebrare solent super antimensia, quae presbyteris latinis ex can. 823, § 2 vetita sunt. Vide Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 766.

2° In ecclesia consecrata saltem unum altare, praesertim maius, debet esse immobile; in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia (can. 1197, § 2).

Si altare maius nequeat consecrari quia legibus liturgicis non aptatur, eius loco aliud altare consecrandum est; si vero altare immobile in ecclesia consecrata exsecretur, denuo consecrari debet (12).

3° Minister validae et licitae consecrationis altaris immobilis is est de quo in can. 1155 (cfr. n. 662), seu minister consecrationis ecclesiae. Integra tamen manent privilegia quibusdam ordinibus concessa.

4° Ritus consecrationis describitur in *Pontificali Romano*.

5° Ad valorem consecrationis requiruntur unctiones chrismatis, at non omnes et singulae sub poena nullitatis postulantur.

6° Celebrandae sunt vigiliae per totam noctem quae praecedit consecrationem altaris immobilis. Istae vigiliae consistunt in recitatione Matutini cum Laudibus Sanctorum quorum reliquiae in altari consecrando reponuntur. Psalmi et cetera non e feria currenti sumenda sunt, sed ex Communi plurimorum martyrum cum oratione de tertio loco *Deus qui nos*, omissa voce *annua* et reticitis nominibus (13).

Ad vigilias celebrandas tenentur clerici sive regulares sive saeculares ecclesiae addicti. Qui vigiliis interesse nequeunt, ad eas privatim recitandas non tenentur; qui autem intersunt, non excusantur a recitatione officii illius diei (14).

Vigiliae urgent sub levi; imo, iuxta nonnullos, sunt de consilio tantum. Haec opinio probabilis nobis videtur.

7° Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ec-

(12) S. R. C. 24 maii 1901.
(13) S. R. C. 18 aug. 1913.
(14) S. R. C. 16 sept. 1881.

clesiae consecratione, quolibet die fieri potest; *decet* tamen ut fiat die dominico aliove festo de praecepto (can. 1199, § 3).

694. Altare mobile. — 1. Altare mobile seu petra sacra ex unico lapide naturali, integro et non friabili, constare debet (can. 1198, § 1). Huc spectant quae supra dicta sunt **(n.691).**

2. Petra sacra debet esse tam ampla ut saltem hostiam et maiorem partem calicis commode capere possit (can. 1198, § 3).

3. Etiam in petra sacra esse debet sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum (can. 1198, § 4).

Sepulcrum in media parte superiori ipsius petrae intra lapidem effossum esse debet, ita ut petra ex utraque parte perforata non sit. Nequit petra sacra ita confici, ut quasi duplici ex parte constet: parte superiori ex petra seu lapide, parte inferiori ex ligno; et reliquiae in loculo effosso inter lignum et lapidem reponantur (15).

Quae supra diximus de altari immobili circa reliquias, loculum, operculum, qualitates reliquiarum etc., omnia applicantur etiam altari mobili (n. **692**).

4. Missae sacrificium celebrari nequit super altare mobile, nisi consecratum sit (can. 1199, § 1).

1° Minister validae et licitae consecrationis altaris mobilis seu petrae sacrae est quilibet Episcopus, atque etiam presbyter cui vel iure communi vel peculiari S. Sedis indulto ea facultas concessa sit (can. 1199, § 2).

2° Episcopus residentialis potest altaria mobilia valide et licite consecrare etiam extra proprium territorium, quin licentia Ordinarii loci indigeat.

3° Ritus consecrationis in *Pontificali Romano* de-

(15) S. R. C. 31 aug. 1867.

scribitur. Valida foret consecratio altaris mobilis facta ritu praescripto pro altari immobili (16).

Si variis diebus consecrentur altaria mobilia, aqua et cinis singulis diebus benedici debet; nec licet uti aqua primo die benedicta (17).

Coementum pro operculo altaris mobilis eodem ritu benedicendum est ac coementum pro operculo altaris immobilis (18).

In consecrandis altaribus mobilibus Episcopus consecrans iuvari potest in crucibus ex incenso formandis et candelis imponendis. Imo in hisce altaribus consecrandis, satis est ut Episcopus liniat coemento labium unius arae, et dum ipse prosequitur in sacrarum reliquiarum repositione, sacerdotes adstantes lituram et cuiusque sepulcri clausuram peragere possunt (19).

4° Consecratio altaris mobilis fieri potest qualibet die et hora.

695. Exsecratio altaris eiusque iterata consecratio. — 1. Altare immobile exsecratur:

1° Separatione tabulae seu mensae a stipite, licet separatio momentanea sit (can. 1200, § 1).

Non exsecratur altare, si mensa una cum basi ad invicem non separatis de loco in locum transferatur. Facta separatione, de qua supra, totum altare manet exsecratum, ita ut nullatenus liceat mensa seu lapide uti ad modum altaris portatilis: consecratio enim est aliquid indivisibile, totum altare afficiens.

Ad inducendam exsecrationem satis est, ut mensa a stipite sublevetur etiam per unum alterumve momentum, v. g. ad reponendum coementum vel addendos aut mutandos lapides.

(16) S. R. C. 17 iun. 1843.
(17) S. R. C. 9 febr. 1867.
(18) S. R. C. 10 maii 1890.
(19) S. R. C. 14 ian. 1910, ad IV; 10 maii 1910, ad II.

Separatio autem mensae a stipite debet esse totalis. Quare si mensa, quae insidet quatuor columellis, separetur momentanee a duabus tantum columellis, altare non exsecratur.

2° Fractione enormi sive ratione quantitatis sive ratione loci unctionum (can. 1200, § 2, 1°).

Ratione quantitatis certo exsecratur altare si maiorem partem calicis cum patena capere non amplius queat. Fractura est enormis si mensa divisa est per medium, aut fere per medium, praesertim si afficiat scissura sepulcrum reliquiarum (20).

Si omnes cruces ab Episcopo in consecratione factae reperiuntur in fragmento altaris, quod integrum remanet, exsecratio abest.

Ratione loci unctionum, fractio enormis habetur, si magna pars locorum consecratorum (non unus tantum aliusve) frangatur.

Si lapis altaris non recte elaboratus sit, etiam post consecrationem potest serra abradi seu perfectius elaborari, quin inde exsecrationi subsit. Huiusmodi enim abrasio seu elaboratio nec est nec dici potest fractio enormis.

3° Si amoveantur reliquiae (can. 1200, § 2, 2°).

Quacumque ratione reliquiae amoveantur, etsi ad brevissimum tempus, altare exsecratur. Excipitur amotio momentanea ad reparandum vel firmandum aut subrogandum operculum aut etiam ad visitandas reliquias, facta ab Episcopo aut eius delegato, non autem ab extranea persona, v. g. a rectore ecclesiae vel ab aedituo.

Si amotio fieret ab Episcopo eiusve delegato ex errore aut inadvertentia, exsecratio vel certa vel saltem dubia foret.

4° Si sepulcri operculum frangatur (can. 1200, § 2, 2°).

(20) S. R. C. 23 iun. 1879.

Levis fractio operculi non inducit exsecrationem et quilibet sacerdos potest rimulam coemento firmare (can. 1200, § 3).

Si fractio operculi fiat momentanee ab Episcopo eiusve delegato, qui illud amoveat ad illud firmandum aut reparandum vel subrogandum vel ad visitandas reliquias, exsecratio verius non verificatur.

Si operculum sepulcri aliquas habet rimulas, quae inter se sic adhaereant, ut nullo modo dubitari possit de reliquiarum authenticitate, fractio levis est ideoque altare non exsecratur. Ad firmandum operculum quod levem fractionem passum est, convenienter adhibetur coementum benedictum formula a *Pontificali Romano* praescripta; at nullatenus id praecipitur.

Si operculum sepulcri firmum non est, sed certe amotum non fuit, altare manet consecratum; et quilibet sacerdos potest illud firmare, quin peculiari ad id indigeat delegatione S. Sedis vel Episcopi.

5° Si operculum sepulcri amoveatur, excepto casu quo Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum aut subrogandum vel ad reliquias visitandas (can. 1200, § 2, 3°).

Vicarius capitularis vel generalis nequit huiusmodi delegationem concedere, excepto casu quo legitime ipsi visitare queant ecclesias et altaria.

Si alter, praeter Episcopum eiusve delegatum, operculum amoveat, altare exsecratur. Idem dicendum si Episcopus illud amoveat ex curiositate vel inadvertentia seu absque ulla rationabili causa.

Si dispareat sigillum cerae rubrae ex operculo sepulcri, altare non exsecratur. Contraria opinio post Codicem caret probabilitate.

696. 2. Quae de altaris exsecratione diximus ob amotionem mensae superioris a stipite, altari mobili, ut patet, non applicantur; dum e contra cetera omnia quae de exsecratione ex fractione enormi, ex amo-

tione reliquiarum, ex scissura operculi sepulcri, ex eiusdem amotione dicta sunt (n. 695), etiam altari mobili, proportione servata, applicantur.

3. Exsecratio ecclesiae non secumfert exsecrationem altaris sive immobilis sive mobilis; et viceversa (can. 1200, § 4).

4. Altare exsecratum adhiberi potest ad usus profanos non sordidos: sane non amplius res sacra est.

5. Ut altare exsecratum ad usus sacros restituatur, iterum consecrandum est.

Si agitur de altari immobili exsecrato ob separationem mensae a stipite, Ordinarius permittere potest ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu et formula breviore (can. 1200, § 1) (21).

Si presbyter absque Ordinarii permissione consecrationem perageret, ea illicita quidem, at verius valida foret.

Nomine Ordinarii venit etiam Vicarius capitularis et generalis, necnon Superior maior religionis clericalis exemptae.

Si agitur de altari sive immobili sive mobili, quod amiserit consecrationem ex causis de quibus in can. 1200, § 2, 1° et 2° (cfr. n. 695, 1), ritus atque formula ipsa brevior referuntur in eodem decreto S. R. C. 9 sept. 1920 (22).

697. Erectio, titulus, usus altaris. — 1. In ecclesia stabiliter erigi nequit altare sine licentia Ordinarii; ad tempus, v. g. occasione alicuius peculiaris festivitatis, erigi potest a parocho vel rectore ecclesiae etiam sine speciali venia Ordinarii, servatis tamen legibus liturgicis.

2. Quodlibet altare, saltem immobile, proprium

(21) Huiusmodi ritus et formula brevior exhibentur in decreto S. R. C. 9 sept. 1920 (*A. A. S.*, XII, 449).

(22) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 756.

titulum habere debet (can. 1201, § 1). Stricta igitur obligatio urget pro altari fixo, non item pro mobili.

1° Titulus eligitur in ipsa ecclesiae vel altaris consecratione, praesertim pro altari immobili. Si tunc electus non fuerit, postea eligi potest.

2° Titulus primarius altaris maioris idem esse debet ac titulus ecclesiae (can. 1201, § 2).

Vox *primarius* aperte significat etiam altaria, ut ecclesias, plures titulos habere posse.

3° Circa personas et mysteria quae titulo fungi possunt, huc spectant quae diximus de ecclesiis (n. 669).

4° Altaria sine indulto S. Sedis nequeunt dedicari Beatis etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt (can. 1201, § 4).

5° In eadem ecclesia plura altaria nequeunt eundem titulum habere. Non repugnat tamen haberi plures titulos B. M. V. sub diversa tamen nominatione, v. g. purissimi Cordis B. M. V. et Immaculatae Conceptionis.

6° Super altare imago titulum repraesentans poni debet. Aliquando S. Sedes concedit ut alia etiam imago apponatur, « dummodo tamen iisdem in altaribus collocetur in ovali figura super gradus candelabrorum etiam imago illius Sancti, sub cuius titulo constat altare fuisse consecratum » (23).

Si agitur de altari benedicto, huiusmodi obligatio mitior est.

7° Titulus altaris non habet ius ad cultum debitum titulari ecclesiae.

8° Titulus altaris mobilis mutari potest de licentia Ordinarii, unius autem Sedis Apostolicae titulus altaris immobilis (can. 1201, § 3). Nomine Ordinarii venit etiam hic Vicarius capitularis, Vicarius generalis, Superior maior religionis clericalis exemptae pro ecclesiis et oratoriis sibi subiectis.

(23) S. R. C. 27 aug. 1836, ad 5 et 6; 10 nov. 1906.

698. 3. « Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso » (can. 1202, § 1).

Ex legibus liturgicis eruendum, quaenam officia permittantur, quaenam vetentur. Profanus usus hic intelligitur omnis qui ad Dei cultum non refertur, etsi honestus et commendabilis, v. g. repositio rei non sacrae.

4. « Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur » (can. 1202, § 2).

Non prohibetur sepultura cadaveris subter pavimentum altaris, dummodo distantia altaris a cadavere unius saltem metri sit. Distantia attendenda est ab altari, non autem a mensa nec a gradu vel gradibus (24). Quare subtus altare censentur esse cadavera sepulta immediate sub *predellam* altaris; ideoque Missae celebratio vetita est, donec cadaver amoveatur (25).

699. Privilegium altaris portatilis. — 1. Privilegium altaris portatilis secumfert facultatem celebrandi *ubique*, honesto tamen ac decenti loco et super petram, non tamen in mari (can. 822). Hinc patet privilegium altaris portatilis distingui a iure oratorii domestici, quatenus illud implicite includit et aliquid ultra addit.

2. Ex iure gaudent huiusmodi privilegio: 1° Cardinales; 2° Episcopi sive residentiales sive titulares; 3° Vicarii et Praefecti Apostolici; 4° Abbates et Prae-

(24) Id declaraverat quidem S. R. C. die 27 april. 1877. At postea hoc responsum mitigatum fuit ab eadem S. Congreg. decretis 12 ian. 1897, 5 aug. 1898 et 18 iul. 1902.

(25) S. R. C. 16 iun. 1657, 7 iul. 1766, 13 sept. 1710.

lati *nullius;* 5° Administratores Apostolici; 6° Auditores S. R. Rotae; 7° Protonotarii *participantes,* non autem supranumerarii vel ad instar aut honorarii.

Ex privilegio S. Sedis alii quoque gaudent.

3. Episcopi super altare portatile et Sacrum ipsi facere et aliud in sui commodum permittere valent; et fideles omnes alterutrum ex iisdem audientes, quoties opus fuerit, praecepto Ecclesiae satisfaciunt (26).

4. Verba « *honesto tamen ac decenti loco* » (can. 822, § 2), ita sunt intelligenda, ut locus sit congruus Missae celebrationi, mundus et convenienter ornatus; at non requiritur ut locus liber sit ab omnibus domesticis usibus. Missa, vi huius privilegii, potest celebrari etiam *sub dio* vel *sub terra.* Ita hodie, attento can. 822, § 2 (27); aliter olim.

5. Privilegium interdum laico vel clerico non sacerdoti conceditur. Tunc permissionem secumfert audiendi Missam ab aliquo sacerdote *requisito* celebratam in altari portatili, seu in loco honesto et decenti ab indultario in sui commodum electo. Nisi plures Missae expresse permittantur, una tantum intelligitur permissa, et quidem praesente indultario.

Articulus V.

De sacra supellectili.

700. Notio. — Nomine *sacrae supellectilis* veniunt vestes sacrae, vasa sacra aliaque obiecta quae inserviunt ad Missam celebrandam, ad sacramenta et sacramentalia conficienda ac ministranda, ad custodiam SS. Eucharistiae eiusque cultum, ad sacras functiones peragendas, generatim omnia quae in publico cultu exercendo adhiberi solent.

(26) S. R. C. 19 maii 1896.
(27) Cfr. Cappello, *De Sacramentis,* I, n. 759, 8.

Sensu lato veniunt etiam quae inserviunt ad ornatum ecclesiae et altarium.

701. Benedictio, consecratio, custodia et dispositio. — 1. Sacra supellex, quae immediate inservit ad Sacrum faciendum, generatim consecrari aut benedici debet; quoad aliam, attendenda sunt praescripta liturgica, quae interdum benedictionem iubent, interdum permittunt, interdum omittenda statuunt.

2. Huiusmodi supellex, praesertim benedicta vel consecrata, debet caute ac diligenter custodiri in ecclesiae sacrario aut alio tuto ac decenti loco; eaque ad usus profanos, uti patet, minime adhiberi potest (can. 1296, § 1).

3. Circa materiam et formam sacrae supellectilis observandae sunt leges liturgicae, ecclesiastica traditio et, quantum fieri potest, ipsae quoque leges artis sacrae (can. cit., § 3).

4. Sedula cura conficiendum est universae sacrae supellectilis inventarium illudque accurate servandum ad normam can. 1522, §§ 2 et 3.

5. Sacra quaelibet supellex defuncti Cardinalis, qui in Urbe domicilium habebat, licet Episcopus suburbicarius aut Abbas *nullius*, cedit, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, una cum aliis omnibus rebus stabiliter cultui divino destinatis, sacrario pontificio, nulla habita ratione qualitatis vel naturae redituum quibus comparatae sint, nisi Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae (can. 1298, § 1).

Agitur de obligatione gravi, ab ipso iure communi statuta, cui derogari nequit. Donatio vel testamentum in favorem laicorum uti nullum irritumque habendum est.

Optandum est, ait Codex, ut Cardinalis, qui facultate donandi vel testamenti conficiendi uti velit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit (can. 1298, § 2).

6. Sacra supellex defuncti Episcopi *residentialis*, etiamsi cardinalitia dignitate fulserit, cedit ecclesiae cathedrali, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, salvo praescripto can. 1288, una cum iis omnibus utensilibus cuiusvis generis quae ab Episcopo defuncto comparata fuerint bonis ad ipsam ecclesiam pertinentibus et quae in ecclesiae proprietatem non transierint (can. 1299, § 1). Ratio huius praescripti est vinculum peculiare ac strictissimum Episcopum inter et ecclesiam cathedralem.

Ex canone 1288 reliquiae S. Crucis quas in cruce pectorali Episcopus defert, ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt, Episcopo successori transmittendae.

Si Episcopus duas vel plures dioeceses successive rexerit aut simul gubernaverit utpote unitas aut in perpetuam administrationem receptas, quae cathedralem ecclesiam habeant propriam et distinctam, sacra utensilia comparata reditibus unius tantum dioecesis, eidem ecclesiae cathedrali cedunt, dummodo certo constet de praefata acquisitione; secus dividi debent aequis partibus, inter singulas ecclesias cathedrales, quoties reditus dioecesium divisi non sint, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus sint divisi ac separati, utensilium divisio fiat inter singulas ecclesias cathedrales pro ratione fructuum quos in singulis dioecesibus Episcopus perceperit ac pro ratione temporis quo easdem gubernaverit (can. 1299, § 2).

Episcopus tenetur inventarium omnium sacrorum utensilium forma authentica conficere, in quo pro rei veritate exprimat quando acquisita sint, ac distincte

indicet si qua non ex ecclesiae reditibus ac proventibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit; secus omnia praesumuntur comparata ecclesiae reditibus (can. 1299, § 3). Agitur de praesumptione iuris, quae veritati cedit.

De sacra supellectili, quam Episcopus donatione vel testamento obtinuerit vel bonis familiae acquisierit, potest ipse libere disponere, salvis normis generalibus.

7. Eadem obligatione, qua tenetur Episcopus residentialis, tenetur quoque quilibet clericus qui in aliqua ecclesia beneficium saeculare vel religiosum obtinuerit (can. 1300).

8. Cardinales, Episcopi residentiales ceterique clerici beneficiarii stricta obligatione tenentur curandi testamento vel alio instrumento civiliter valido, ut praescripta canonica, de quibus hucusque, plenum effectum etiam in foro civili sortiantur (can. 1301, § 1).

702. Stipes propter utensilia et cetera ad Missam necessaria. — 1. Ordinarius loci, si qua ecclesia paupertate laboret, potest permittere ut a sacerdotibus qui ibi celebrant in proprium commodum stipes moderata exigatur propter utensilia et cetera ad Missae sacrificium necessaria (can. 1303, § 2).

1° Requiritur omnino ut ecclesia indigeat, secus stipes foret illegitime statuta.

2° Necesse est ut sacerdotes litent *in proprium commodum*, sive eleemosynam percipiant sive non; excluditur proinde servitium praestitum ecclesiae et verius etiam celebratio in publicam fidelium commoditatem. Hinc patet a sacerdotibus ecclesiae addictis huiusmodi stipem exigi non posse.

3° Stipes debet esse *moderata*, pro locorum et personarum adiunctis ac praesertim pro conditione ipsius ecclesiae.

Praefiniri potest ab Episcopo, non autem a Vi-

cario capitulari aut a Vicario generali sine mandato speciali; nemini autem, etiam religiosis exemptis, licet ea maiorem exigere. Episcopus vero pro tota dioecesi eiusmodi stipem in Synodo dioecesana aut extra Synodum audito Capitulo, praefinire debet (can. 1303, §§ 3 et 4). Nihil prohibet quominus Episcopus sive lege sive peculiari decreto stipem constituat eamque diversam definiat pro diversis ecclesiis, secundum diversum gradum paupertatis earundem (1).

703. Benedictio sacrae supellectilis. — 1. Benedictionem sacrae supellectilis quae iuxta leges liturgicas benedicenda est, ad normam can. 1304 possunt impertire :

1° Cardinales et Episcopi omnes;

2° Ordinarii locorum pro ecclesiis et oratoriis sui territorii;

3° Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis;

4° Rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis;

5° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;

6° Superiores religiosi, sive maiores sive locales, et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro ecclesiis et oratoriis propriis ac pro ecclesiis et oratoriis monialium sibi subiectarum.

2. Cum can. 1304 loquatur de sacerdotibus *delegatis* ab Ordinario loci et a Superiore religioso, palam est agi de potestate ordinaria, non autem de potestate delegata a iure, quia secus canon debuisset mentionem facere de subdelegatis. Quo posito, censemus hanc potestatem, ad normam can. 199, § 1, posse delegari etiam a parocho et rectore ecclesiarum; idque eo vel magis affirmandum videtur, quia ipsi Superiores religiosi etiam minores dicuntur expresse posse delegare.

(1) Cfr Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 739.

704. 3. Sacra supellex benedicta aut consecrata ex can. 1305, § 1, amittit consecrationem aut benedictionem triplici in casu :

1° Si tales laesiones vel mutationes subierit, ut pristinam formam amiserit, et iam ad suos usus non amplius sit idonea.

Si vestis sacra reparetur ex toto vel ex parte, etiamsi post plures reparationes ex novo integra sit confecta, non ideo benedictionem amittit. Item si vestis sacra formam pristinam amittat ad momentum dumtaxat, ut resarciatur, benedictio non amittitur. Requiritur enim ut res non amplius habeatur idonea ad proprium usum sacrum sive religiosum.

2° Si adhibita fuerit ad usus indecoros qui, proprie loquendo, non sunt confundendi cum usibus mere profanis.

Sufficit ut semel aut bis tantum adhibeatur ad huiusmodi usus indecoros res sacra, ut inde benedictionem vel consecrationem amittat. Ex. gr. si quis utitur calice ad bibendum in casu necessitatis, deficiente alio medio, non habetur amissio consecrationis; dum e contra si quis eodem calice uteretur in convivio ad vinum sumendum, contemptus causa, calix amitteret consecrationem. Sic de vestibus sacris adhibitis ad repraesentationes theatrales, etc.

3° Si publicae venditioni exposita fuerit.

Igitur sola venditio, etsi forte simoniaca, non inducit amissionem consecrationis vel benedictionis nec quaecumque expositio venditioni, sed tantum venditioni *publicae*, quae habetur in mercatu, in nundinis, in publicis officinis.

Amissio consecrationis aut benedictionis habetur ex ipso facto expositionis, antecedenter et independenter a venditione ipsa.

Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem auraturae eiusve renovationem, salva tamen, in priore casu, gravi obligatione rursum ea

inaurandi (can. 1305, § 2). Nihil interest utrum auratura ex toto vel ex parte tantum sit consumpta.

4. Sacra supellex potest cedi, donari, vendi, dummodo pretium nullatenus augeatur ratione consecrationis vel benedictionis. Potest ab Ordinario etiam reduci ad usus profanos; qua facta reductione, nequit adhiberi ad usus sordidos.

5. Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuerunt in sacrificio Missae, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent (can. 1306, § 1). Haec dispositio urget sub levi, ita ut quaelibet causa etiam levis excuset; imo verius ne sub levi quidem (2). Personae quae, debita servata reverentia, tangere possunt huiusmodi res, sunt sacristae, aeditui, etc., etiam laici.

6. Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificio adhibita, nequeunt tradi lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittenda est in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem (can. 1306, § 2). Hoc praescriptum urget sub levi. Episcopus nequit permittere ut laici vel moniales aut sorores valeant primam lotionem facere, quia nullibi Codex huiusmodi facultatem iisdem tribuit (3). Excusat, ut palam est, quaevis causa rationabilis.

CAPUT II

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

Articulus I.

De sepultura ecclesiastica in genere.

705. Notio. — 1. Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis su-

(2) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 804.
(3) S. R. C. 18 sept. 1857, ad 26; Cappello, l. c., n. 805.

per illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis (can. 1204).

2. Igitur tres actus requiruntur ad constituendam sepulturam ecclesiasticam proprio et stricto sensu canonico. Iste conceptus ac triplex elementum attendendum est, praesertim ubi agitur de poena incurrenda (1).

3. Sepultura ecclesiastica latiore sensu usurpata denotat interdum locum sacrum ubi corpora fidelium humanda sunt, interdum designat ius sepeliendi cadavera in loco benedicto et ritu ab Ecclesia praescripto.

706. Obligatio cadavera sepeliendi. — 1. Datur vera et gravis obligatio humandi corpora fidelium defunctorum (can. 1203, § 1).

Haec obligatio apostolica traditione nititur, ab Apostolis ad nostra usque tempora constanter servata.

2. Inhumatio seu sepultura, quae sub gravi praecipitur, non est sepultura in terra facienda, sed sepultura lato sensu, quatenus non solum humationem proprie dictam complectatur, verum etiam repositionem cadaveris (non cinerum tantum) in loculis seu columbariis ad hoc destinatis vel in sarcophagis in ecclesiis aut coemeteriis.

3. Gravitas obligationis sepeliendi cadavera fidelium probatur tum ex traditione et consuetudine universali, tum ex gravitate poenarum quae statutae sunt contra inobedientes et contra eos qui cremationem sui corporis decernunt (can. 1203, § 2, 1240, § 1, 5°).

Obligatio tenet imprimis cognatos et haeredes, dein alios ab Ecclesia vel a lege civili designatos. In

(1) Cfr. Cappello, *De censuris*, nn. 405, 485.

casu peculiari et extraordinario, v. g. tempore belli aut morbi pestiferi, cessat talis obligatio.

707. Crematio omnino vetita. — 1. Nomine cremationis venit combustio cadaveris humani violenter ope ignis facta. Est graviter prohibita (can. 1203, § 1). Plura sunt decreta de hac re lata a S. Sede (2).

2. Fautores cremationis ad eam defendendam rationem afferunt publicae hygienis, progressus, oeconomiae nationalis, etc.; at perperam omnino. Huiusmodi argumenta facile refelluntur (3).

3. « Si quis quovis modo (scripto, oretenus, publice aut privatim) mandaverit ut corpus suum cremetur, illicitum est hanc exsequi voluntatem; quae si adiecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tanquam non adiecta habeatur » (can. 1203, § 2). Haec clausula seu conditio est semper illicita ideoque, sive mala sive bona fide posita fuerit, numquam servanda est.

4. Privantur sepultura ecclesiastica qui mandaverint suum corpus cremationi tradi, nisi ante mortem aliqua signa poenitentiae dederint et saltem implicite pravam voluntatem retractaverint (can. 1240, § 1, 5°).

Hac poena non tenentur ii qui non sua, sed aliorum voluntate, cremantur (4).

(2) S. C. S. Off. 19 maii 1886; 15 dec. 1886; 27 iul, 1892, etc,

(3) Cfr. Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, II, p. 353.

(4) S. C. S. Off. die 15 dec. 1886 declaravit: « Quoties agatur de iis, quorum corpora, non propria ipsorum, sed aliena voluntate, cremationi subiiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse ».

Articulus II.

De coemeteriis.

708. Notio et divisio. — 1. Coemeterium (etymologice Κοιμετέριον, dormitorium) est locus sacer auctoritate ecclesiastica destinatus ad cadavera fidelium pie decedentium sepelienda (cfr. can. 1154). Haec est notio coemeterii stricto sensu canonico sumpti; sensu latiore denotat in genere locum legitime destinatum ad cadavera sepelienda.

2. Coemeterium dividitur ratione personarum quibus inservit et ratione auctoritatis a qua erectum est et cui subest.

1° Ratione personarum quibus inservit, coemeterium est:

a) *paroeciale*, si humandis fidelibus paroeciae inservit;

b) *commune*, si plurium paroeciarum seu totius oppidi vel urbis fidelibus humandis inservit;

c) *familiare* seu *gentilitium*, si privatis personis et familiis inservit;

d) *peculiare*, si determinatae persone morali, v. g. religioni, Capitulo, confraternitati, piae unioni inservit (can. 1208, §§ 1-3).

2° Ratione auctoritatis a qua erectum est et cui subest, aliud est:

a) *ecclesiasticum*, si ab auctoritate ecclesiastica erectum fuit ab eaque dependet;

b) *civile*, si civilis auctoritas illud erexerit erectumque regat. Huiusmodi coemeterium civile potest esse municipale, provinciale, gubernativum. Spectanda statuta civilia.

709. Ius Ecclesiae circa coemeteria. — 1. « Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria » (can. 1206, § 1).

Sane Ecclesia est societas perfecta. Qua talis ius habet determinandi omnia quae ad cultum divinum inter christianos referuntur. Atqui sepultura, prout in Ecclesia semper adhibita fuit, est actus religionis. Ergo (1).

2. Unaquaeque paroecia suum habere debet coemeterium, nisi unum pluribus commune ab Ordinario loci legitime sit constitutum (can. 1208, § 1). Exiguus paroecianorum numerus, locorum propinquitas, viarum commoditas aliaeque id genus circumstantiae suadere possunt unum coemeterium pluribus paroeciis commune.

3. Religio exempta, sive clericalis sive laicalis, habere potest coemeterium proprium, a communi distinctum (can. 1208, § 2). Ad id peculiaris licentia S. Sedis vel Ordinarii loci nullatenus requiritur, cum ipsum ius commune facultatem tribuat. Dum e contra religio non exempta, si peculiare coemeterium habere velit, indiget venia Sedis Apostolicae aut saltem Ordinarii loci.

4. Etiam aliae personae morales vel familiae privatae habere possunt, de licentia Ordinarii loci, peculiare sepulcrum, seu parvum coemeterium, extra commune coemeterium positum, et ad instar coemeterii benedictum (can. 1208, § 3). Requiritur licentia expressa Ordinarii, generatim scripto data. Nomine Ordinarii hic venit etiam Vicarius capitularis et generalis.

710. Ius Status quoad coemeteria. - 1. Status potest, imo debet constituere coemeteria sepeliendis cadaveribus infidelium destinata atque eorum qui, licet baptizati, tamen ob indignitatem ecclesiastica sepultura privantur. Sed pro fidelibus, qui ea donantur,

(1) Cfr. Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, II, p. 321 ss.; Cavagnis, *Institutiones iuris publ. eccl.*, III, n. 288.

civile gubernium nequit coemeteria constituere, quia omne ius circa locum, ritus aliaque sepulturam respicientia uni Ecclesiae competit, independenter a Statu.

2. Proinde lex civilis circa coemeteria est iusta pro infidelibus, haereticis, schismaticis etc.; pro catholicis lata, est iniusta, utpote ab auctoritate incompetente promanans.

3. Normae latae a Statu circa hygienem, publicam securitatem etc., possunt etiam ab Ecclesia servari et reapse servantur, si vere utiles sint et convenientes nec bono spirituali noxiae; at servantur, salva eius independentia, ideoque non qua leges civiles, sed qua leges iustae et utiles, obiectiva rerum necessitate perspecta.

711. Locus sepulturae. — 1. Cadavera fidelium sepelienda sunt in coemeterio, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, benedicto aut sollemni aut simplici benedictione (can. 1205, § 1).

Obligatio sepeliendi in loco sacro seu benedicto est generalis et urget *per se* sub gravi.

2. In ecclesiis cadavera sepeliri nequeunt, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel R. Pontificis, regalium personarum aut Cardinalium (can. 1205, § 2).

1° Ius sepeliendi in ecclesia, quod inde a saec. XII primum consuetudine, dein lege scripta invaluit, abrogatur et ad usum antiquum sepeliendi in coemeterio fit reditus.

2° Ordinarius permittere nequit, ut cadaver alicuius personae sepeliatur in ecclesia.

3° R. Pontifex, Cardinales et personae regales sepeliri possunt in *qualibet* ecclesia; dum e contra Episcopi residentiales, Abbates vel Praelati *nullius* nonnisi in *propria* ecclesia. Nulla tamen datur obligatio sepeliendi Episcopos, Abbates vel Praelatos *nullius*

in propria ecclesia. Agitur enim de permissione mere favorabili, non autem de norma praeceptiva. Censemus huiusmodi favorem competere etiam Vicariis et Praefectis Apostolicis.

4° Personae regales eae sunt, quae actu tenent supremum principatum earumque filii et filiae.

5° Nomine *ecclesiae* venit quoque oratorium publicum, ut pluries declaratum fuit, non autem semipublicum aut domesticum.

3. « Tum in coemeteriis paroecialibus, ex licentia scripta Ordinarii loci eiusve delegati, tum in coemeterio proprio alius personae moralis, ex licentia scripta Superioris, fideles sibi suisque exstruere possunt sepulcra particularia; quae, de consensu eiusdem Ordinarii aut Superioris, possunt quoque alienare » (can. 1209, § 1).

1° Quilibet fidelis, de licentia Ordinarii vel Superioris, construere valet sibi suisque sepulcrum peculiare in coemeterio (2).

2° Licentia scripta ad probationem requiritur, non autem ad valorem.

3° Concedi nequit a parocho vel a rectore ecclesiae, sed tantum ab Ordinario loci vel a Superiore religioso, sed hic solum quoad coemeterium suae domus. Intelligitur Superior quicumque, etiam localis, sive domus formatae sive non formatae.

4° Qui dat licentiam nihil exigere potest pro concessione sepulturae proprie dictae. Pretium tamen terrae concessae licite peti et accipi potest, cum terra, independenter a benedictione forte data, sit pretio aestimabilis.

5° Persona moralis in can. 1209, § 1 ea intelligitur, quae ius habet coemeterium possidendi.

(2) Quidam (cfr. Ferreres, *Le confraternite,* n. 294) censent requiri ad canonicam sepulcri erectionem et iustam causam et designationem in loco sacro. Ex iure Codicis *peculiaris* causa non requiritur nec designatio in loco sacro, ut manifesto patet ex can. 1208, § 3.

6° Sepulcrum legitime extructum potest etiam alienari, dummodo pretium ratione benedictionis nullatenus augeatur. Ad hanc alienationem faciendam non requiruntur sollemnitates a iure praescriptae pro bonis ecclesiasticis alienandis, quia sepulcrum non est bonum ecclesiasticum, sed privatum, pertinens ad fideles quibus concessum est.

7° Licentia alienandi sepulcrum concedi potest tum in ipsa erectione sepulcri tum postea. Huiusmodi sepulcrum potest erigi sibi et suis itemque cedi potest Titio eiusque consanguineis aut haeredi. Hinc sepulcrum personale, familiare sive gentilitium, haereditarium et mixtum.

8° Consensus alienandi quacumque forma et ratione concedi potest, sive scripto sive oretenus, sive absolute sive conditionate.

712. Distinctio sepulcrorum in coemeterio. — 1. « Sepulcra sacerdotum et clericorum, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint ac decentiore loco sita; praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae ministris parentur » (can. 1209, § 2).

1° Hanc sepulcrorum distinctionem exigit status ipse clericalis. Agitur de vera obligatione, a qua tamen excusat causa iusta, praesertim gravis.

2° Distinctio non respicit coemeterium, sed tantum sepulcra, quae plura possunt esse eaque diversa pro diversitate graduum, numero et circumstantiis.

2. « Etiam corpuscula infantium, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant » (can. 1209, § 3). Haec praescriptio respicit tantum corpuscula infantium baptizatorum, qui ante usum rationis mortui sunt.

713. Normae circa custodiam coemeterii, epitaphia, laudationes funebres, etc. — 1. Quod-

libet coemeterium sit undique apte clausum et caute custoditum (can. 1210).

Quamvis claudi possit muro aut etiam sepe, tamen convenit omnino ut muro claudatur. Attendendae sunt quoque leges civiles.

Ad obligationem quod attinet sedulam curam gerendi de coemeterio, videndum num sit paroeciale, an peculiare vel commune, num Status ius et officium sibi reservet necne.

2. Ordinarii locorum, parochi et Superiores, ad quos spectat, diligenter cavere debent, ne in coemeteriis epitaphia, ornatus monumentorum, laudationes funebres quidquam prae se ferant catholicae religioni et pietati contrarium (can. 1211).

Iure communi praevia approbatio epitaphii sive inscriptionis aut ornatus sepulcrorum ex parte Ordinarii vel Superioris non requiritur; nec ad habendas laudationes funebres praedicta licentia opus est. At iure particulari, praesertim in casibus peculiaribus et quoad clericos, Ordinarius loci necessitatem praeviae licentiae urgere valet.

3. Ad ornatus sepulcrorum quod spectat, mores et consuetudines attendi debent. Fere ubique admittuntur luminaria sive ex oleo sive ex cera, crux ad tumulum uniuscuiusque defuncti una cum nominis indicatione aliaque religionis signa.

714. Benedictio coemeterii. — 1. Triplex benedictio distinguenda: 1° benedictio sollemnis, quae fit iuxta ritum in *Pontificali Romano* descriptum, eaque essentialiter consistit in benedictione quinque crucium lignearum in determinatis coemeterii partibus collocatis; 2° benedictio simplex secundum ritum in *Rituali Romano* descriptum (3), quae essentialiter con-

(3) Tit. VIII, cap. 29.

sistit in benedictione unius crucis in medio coemeterii collocatae; 3° benedictio tumuli (4).

Duae priores sunt constitutivae, tertia invocativa tantum.

2. Coemeterium, antequam ad fideles sepeliendos adhibeatur, debet esse benedictum (can. 1205, § 1).

Forma benedictionis praescripta non est: quare sive sollemnis sive simplex adhiberi potest.

3. Si alicubi haberi nequeat coemeterium pro catholicis ad normam sacrorum canonum constitutum, et habeatur coemeterium a civili auctoritate erectum ab eaque dependens, ita distinguendum: 1° si maior pars eorum qui in tali coemeterio sepeliri solent, sint catholici, totum coemeterium benedicendum est, vel saltem curandum ut in eo catholici spatium peculiare sibi reservatum habeant, quod pariter benedicendum erit; 2° si maior pars eorum qui sepeliri solent in coemeterio, non sint catholici, nequit illud totum benedici, sed singuli catholicorum tumuli toties quoties benedicendi sunt, nisi, ut supra, obtineri queat pro catholicis spatium peculiare iisdem exclusive reservatum (cfr. can. 1206, §§ 2 et 3).

4. Sepulcra familiaria seu gentilitia, quae nomine coemeteriorum in iure non veniunt, *per se* benedicenda non sunt nisi benedictione simplici tumuli. Diximus *per se*, quia Codex permittit ut etiam ista sepulcra benedicantur ad instar coemeteriorum (can. 1208, § 3).

5. Ad ministrum benedictionis quod attinet, haec animadvertenda: 1° benedictio tumuli dari potest a quocumque sacerdote; 2° benedictio sollemnis et simplex coemeterii dari debet ab eo qui est minister legitimus benedictionis locorum sacrorum in genere i. e. vel ab Ordinario (Ordinario loci aut Superiore maiore religionis clericalis exemptae) vel a sacerdote ab eo delegato.

(4) *Rit. Rom.*, tit. V, cap. 3, n. 12.

715. Locus seu coemeterium pro iis qui ecclesiastica sepultura privantur. — 1. « Praeter coemeterium benedictum alius, si haberi queat, sit locus, clausus item et custoditus, ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur » (can. 1212).

Ecclesia ipsa curare debet ut locus peculiaris clausus et custoditus habeatur ad humanda cadavera eorum qui ecclesiastica sepultura privantur. Si auctoritas ipsa civilis provideat per commune coemeterium, Ecclesia ad id non amplius tenetur.

Dicitur in can. 1212: « *si haberi queat* », quia secus etiam ii, quibus ecclesiastica sepultura denegatur, sepeliendi sunt in coemeterio communi vel paroeciali, omisso ritu religioso.

2. Si haberi nequeat coemeterium a communi distinctum, curandum est ut in coemeterio communi, cum benedicitur, pars aliqua extrema sine ulla benedictione relinquatur, in duas partes divisa, si fieri potest, quarum una inserviat pro sepultura infantium non baptizatorum, altera pro humandis acatholicis ceterisque, quibus sepultura ecclesiastica denegatur. Nec opus est ut istae partes peculiari muro claudantur, dummodo sint revera distinctae et separatae.

716. Violatio et reconciliatio coemeterii eiusque reductio ad usum profanum. — 1. Violatio coemeterii iisdem actionibus accidit, quibus violatur ecclesia (can. 1207; n. 672).

1° Non subest violationi coemeterium non benedictum, illud nempe in quo dumtaxat singuli tumuli benedicti sunt. Ratio manifesta: huiusmodi benedictio non est constitutiva. Pariter non violantur, propter eandem rationem, sepulcra particularia, benedicta sola tumuli benedictione.

2° Non violatur coemeterium benedictum, a civili auctoritate erectum ab eaque dependens, per sepul-

turam acatholicorum, dummodo ii qui ibi sepeliri solent, sint maiore ex parte catholici. Id eruitur ex praescripto can. 1206, § 2, de quo supra (n. 714).

3° Si violetur ecclesia, non ideo violatur coemeterium, quamvis contiguum; et viceversa (can. 1172, § 2). Aliter in antiqua disciplina (5).

4° In violato coemeterio nequit ullus fidelis sepeliri, nisi prius reconciliatio facta fuerit.

2° Si coemeterium fuit sollemniter benedictum, minister reconciliationis est vel Ordinarius loci, vel Superior maior religiosorum, vel rector ecclesiae cui coemeterium inservit, vel denique cappellanus sive sacerdos cui cura coemeterii sit peculiariter commissa. Si coemeterium pluribus paroeciis inservit, minister reconciliationis est quilibet parochus vel rector ecclesiae : datur autem in casu ius praeventionis (cfr. can. 1156, 1176, §§ 2 et 3).

Si coemeterium non fuerit sollemniter benedictum, minister reconciliationis erit cappellanus coemeterii aut rector ecclesiae cui coemeterium inservit, ut supra, aut quilibet sacerdos de eorum consensu saltem praesumpto (can. 1176, § 1). Idcirco, aliter ac in iure veteri, delegatio Episcopi necessaria non est.

3. Coemeterium ad usum profanum, de Ordinarii licentia, reduci potest, ossibus in aliud coemeterium translatis. Id nonnisi ex causa iusta et generatim gravi Ordinarius agere valet (6).

Si auctoritas civilis transferat coemeterium de uno in alium locum sibique usurpet ius disponendi de illo, non ideo coemeterium amittit *per se* benedictionem nec reducitur ipso facto ad usum profanum :

(5) Cfr. c. 1, III, 21, in 6°; Wernz, III, n. 471.

(6) Exsecratio proprie dicta coemeterii ad instar exsecrationis ecclesiae non datur; quare coemeterium semel benedictum, semper manet benedictum, nisi ad usum profanum legitime reducatur.

civilis enim auctoritas in hac re est omnino incompetens.

717. Vetita est humatio praematura et exhumatio cadaverum. — 1. Nullum cadaver sepeliri potest, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post congruum temporis intervallum, quod sufficiat ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem tollendam (can. 1213).

Attendenda est, at prudenti iudicio, doctrina medicorum de morte reali et apparenti. Animadvertendum est, complura signa, quae huc usque uti certa signa mortis habita sunt, non esse nisi indicia plus minusve probabilia, ex. gr. cessationem sensibilitatis, respirationis, pulsationum cordis, etc. Prae oculis habeantur normae hac de re latae a civili auctoritate.

2. « Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii » (can. 1214, § 1) (7).

1° Si cadaver provisorie sepultum fuerit extra coemeterium proprie dictum, ut fieri solebat tempore belli quoad cadavera militum in proelio occisorum, Ordinarii licentia non requiritur ad hoc ut cadaver exhumetur et in coemeterio sepeliatur. Can. 1214, § 1 expresse loquitur de sepultura *perpetua*, non autem de provisorie facta.

2° Nomine Ordinarii venit non solum Episcopus (Vicarius generalis et capitularis etc.), seu Ordinarius loci, verum etiam Superior maior religionis clericalis exemptae pro coemeteriis sibi subiectis, licet agatur de fidelibus non subditis ibi forte sepultis.

3° Licentia Ordinarii necessaria est, quamvis agatur de sepulcro familiari seu gentilitio aut municipali,

(7) In iure antiquo exhumatio cadaverum fieri non poterat nisi de licentia S. Sedis.

et quamvis accedat permissio auctoritatis civilis. Consulto Codex utitur voce « *ubivis* ».

4° Si urgeat necessitas exhumationis et recursus ad Ordinarium fieri nequeat, licentia Ordinarii rationabiliter praesumi potest ac debet, quae proinde sufficit.

5° Cadaver excommunicati vel infidelis, cuius sepultura in ecclesia induxit eiusdem violationem, exhumari potest ac debet ad normam can. 1175, quin requiratur praevia Ordinarii licentia.

3. Ordinarius numquam licentiam concedere potest exhumandi cadaver, si hoc ab aliis cadaveribus certo discerni nequeat (can. 1214, § 2). Ratio manifesta. Non sufficit probabilitas maior aut minor, sed requiritur plena certitudo.

4. Exhumatio vel sectio cadaverum ad anatomiam addiscendam vetita non est, dummodo id fiat debitis servatis cautelis ac de licentia Ordinarii ut supra; quae licentia potest concedi etiam pro pluribus casibus vel ad tempus aut etiam semel pro semper, i. e. in perpetuum (8).

Articulus III.

De obligatione servandi omnes ritus in sepultura ecclesiastica.

718. Obligatio in se considerata. — 1. « Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus id est totus ordo exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur » (can. 1215).

1° Stricta et gravis est obligatio adhibendi ritus

(8) De exhumatione cadaverum Servorum Dei vide Bened XIV, *De Servorum Dei beatificatione* etc., lib. IV, part. II, cap. 22 ss.

ab Ecclesia praescriptos circa fidelium sepulturam, quae triplicem actum complectitur: *a*) translationem cadaveris ad ecclesiam; *b*) exsequias in eadem persolvendas; *c*) delationem cadaveris ab ecclesia ad coemeterium eiusque depositionem ibi faciendam (cfr. can. 1204).

2° Causa gravis excusans a translatione cadaverum ad ecclesiam esset v. g. periculum morbi contagiosi, distantia ecclesiae (ut tempore belli), vetitum auctoritatis civilis. Dum e contra causa gravis eximens ab hac obligatione non est periculum offensionis (vulgo *malumore*) ex parte fidelium et cleri. Consuetudo alicubi vigens non transferendi, ob hanc tantum causam, cadavera fidelium in ecclesiam, antequam tumulentur, uti abusus omnino eliminanda est (1).

Si adsit gravis causa ne cadaver in ecclesiam transferatur, funus tamen una cum Missa exsequiali celebrari potest etiam absente aut sepulto cadavere; qua de re admonendi sunt heredes et familia defuncti (2).

2. Obligatio tenet omnes et singulos fideles, qui nullatenus possunt renuntiare sepulturae ecclesiasticae aut ritus eiusdem coarctare. Sane ecclesiastica sepultura est res iuris publici, non autem privati.

Porro neminem latet, ius publicum minime mutari posse privata voluntate. Hinc si quis in testamento aliove modo statuerit proprium cadaver esse sepeliendum absque ritibus ecclesiasticis aut cum nonnullis tantum, huiusmodi clausula esset spernenda utpote contraria iuri publico ideoque tamquam non adiecta habenda. Idque multo magis obtinet, si consanguinei vel heredes impediant sepulturam ecclesiasticam aut unum aliumve ritum praetermittendum velint.

(1) Pontif. Comm. Codicis, 18 oct. 1919, ad XV; *A. A. S.*, XI. 476.

(2) S. R. C. 28 febr. 1920.

Eadem obligatione tenentur consanguinei defuncti eiusque heredes; ac demum omnes sacerdotes (parochus, cappellanus etc.) ad quos defunctus spectat (3). Notandum, sacerdotes non excusari ab onere associandi cadavera ex eo quod eadem curru equis vehantur aut alio simili curru, v. g. eo qui vulgo *automobile* dicitur.

3. Obligatio respicit translationem cadaveris in ecclesiam et totum exsequiarum ordinem una cum delatione cadaveris in coemeterium (4).

719. Onus expensas sustinendi. — 1. Expensae funeris sustinendae sunt a familia defuncti eiusve heredibus. Agitur quippe de officio pietatis et interdum etiam iustitiae.

2. Si defunctus pauper sit eiusque familia vel heredes aut nequeant aut nolint expensas sustinere, funus nullatenus est praetermittendum, sed exsequiae more ordinario persolvendae sunt iuxta praescriptum cit. can. 1235, § 2. Ex lege liturgica fas est Missam exsequialem celebrare pro defuncto paupere absque applicatione pro anima eius. Summopere tamen decet parochum Missam applicare pro paroecianis suis pauperibus, nulla quoque recepta eleemosyna, dummodo gravis egestas eum non excuset. Spectandae sunt hac in re leges dioecesanae.

ARTICULUS IV.

De ecclesia funerante.

720. Notio. — 1. Nomine *ecclesiae funerantis* ea venit, in quam cadaver defuncti ex iure transferen-

(3) *Rituale Rom.*, tit. VI, cap. I, n. 11.

(4) *Rituale Rom.* (l. c., cap. 3, n. 16 s.) permittit ex iusta causa, v. g. ob temporis angustiam, ut officium defunctorum totum vel ex parte omittatur, aliis tamen precibus omnino recitatis. Proinde in eiusmodi casibus, maxime si ita ferat consuetudo, exsequiae simplicissimo modo fieri possunt, ita tamen ut omnes ritus in libris liturgicis descripti accurate serventur ad normam can. 1235, § 2.

dum est, ut in ea exsequiarum ordo super illud persolvatur.

Generatim loquendo, eadem est ecclesia funeris et ecclesia tumuli, seu locus exsequiarum et locus seputurae; sed, attento Codice, manifesto patet dari discrimen inter ecclesiam funeris et coemeterium sepulturae, ita ut hoc ab illa separari quaeat, et viceversa.

2. Non quaelibet ecclesia est funerans, sed ea dumtaxat quae vel iure communi vel iure peculiari ut talis censetur. Iure communi sunt ecclesiae funerantes paroeciales, conventuales, cathedrales, collegiatae, etc. Ecclesiae monialium sunt funerantes solummodo pro iisdem ac pro iis mulieribus quae legitime valent eas eligere ad normam can. 1225.

Iure peculiari ecclesia efficitur funerans ex privilegio concesso a R. Pontifice vel ab Ordinario (1). Nihil prohibet quominus ex consuetudine vel praescriptione acquiratur ius funerandi. Item in limine erectionis ecclesiae potest Episcopus ius praedictum concedere aut denegare; idque facere valet etiam postquam ecclesia fuerit rite erecta, salvo iure iam legitime quaesito, quod *per se* nequit auferri.

3. Prima conditio attendenda, ubi agitur de sepultura electiva, haec est: videndum num ecclesia gaudeat re vera iure funerandi, quia si forte ecclesia careat huiusmodi iure, electio est nulla et irrita.

721. Quinam ordo servandus sit in designatione ecclesiae funerantis. — Ordo servandus est iste:

1° Ecclesia funerans *electivae* sepulturae praeva-

(1) Olim, iuxta doctores (cfr. Pirhing, II, tit. 28, n. 32; Gennari, *Consultazioni*, II, p. 528), requirebatur consensus Capituli cathedralis. Hodie, silente Codice, iste consensus non amplius requiritur.

let omnibus ecclesiis, etiam ecclesiae sepulturae familiaris seu gentilitiae (can. 1216, § 1).

2° Si nulla ecclesia electa fuerit, praevalet ecclesia sepulturae familiaris seu gentilitiae (can. 1229, § 1).

3° Si sepultura electa non fuerit simulque desit sepulcrum maiorum seu gentilitium, ecclesia funerans est ecclesia propriae defuncti paroeciae, et ius commune hoc in casu servandum est, salvo tamen iure speciali quod pro peculiaribus personis physicis aut moralibus forte statutum sit.

Hinc liquet, ius commune vim atque efficaciam obtinere secundo aut tertio loco, in concursu cum ecclesia electiva aut gentilitia seu familiari.

722. Ecclesia funerans ex iure ordinario seu communi. — 1. Duplex casus sedulo distinguendus : eorum nempe qui in propria paroecia defuncti sunt, et illorum qui extra propriam paroeciam decesserunt.

2. Quoad priorem casum nempe quoad ecclesiam funerantem pro defunctis in propria paroecia, haec animadvertenda :

1° Principium generale his verbis enuntiatur in can. 1216, § 1 : « Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae ».

Ea autem est paroecia *propria*, in qua quis habet domicilium vel quasi-domicilium, vel pro vagis actualem commorationem ad normam can. 94. Locus originis, ad funus quod attinet, nihil valet, ideoque attendendus non est. Domicilium legale necessarium censetur ut verum domicilium habitationis quoad funus, salvo iure electionis et sepulcri maiorum. Quare paroecia uxoris vi domicilii legalis est paroecia viri, paroecia infantis paroecia parentum, paroecia amentis paroecia curatoris. Attamen minor infantia egressus et uxor legitime non separata possunt quasi-do-

micilium acquirere; uxor legitime separata etiam domicilium acquirere valet (can. 93; n. 193).

Si quis moriatur ubi paroeciae aut quasi-paroeciae non existunt canonice constitutae (qui tamen casus in regionibus fidelium aut missionum rite constitutarum vix verificatur), deferendus erit ad ecclesiam proximiorem eaque habenda tamquam ecclesia funerans. Demum si quis domicilium tantum dioecesanum habeat, uti vagus habendus est quoad funus. Ratio manifesta: Codex loquitur dumtaxat de ecclesia propriae *paroeciae*.

2° « Si defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit » (can. 1216, § 2). Pluralitas paroeciarum haberi potest ex pluribus domiciliis vel quasi-domiciliis, aut ex domicilio una cum quasi-domicilio. Ius competens parochis *propriis* in casu est aequale, ita ut nullum detur ius praevalens; sed ex dispositione Codicis attendenda est paroecia in cuius territorio mors acciderit atque ex hoc capite ius obvenit illi paroeciae funus peragendi prae aliis.

3° « In dubio de iure alius ecclesiae, ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet » (can. 1217).

Hoc praescriptum continet applicationem principii generalis, quatenus propria ecclesia paroecialis semper habenda est, nisi aliud probetur, ut ecclesia funerans, ex iuris praesumptione. Dubium debet esse probabile et positivum, sive iuris sive facti; secus praevalere nequit; quovis in casu praesumptio cedere debet veritati. Si forte dubium existat de iure inter varias ecclesias *proprias*, solutio eiusdem dimetienda erit interdum ex can. 1216, § 2, interdum ex can. 1218, ut infra declarabitur (cfr. n. 723).

723. 3. Quoad alterum casum, scilicet quoad ecclesiam funerantem pro defunctis extra propriam paroeciam, haec naviter notanda:

1° « Licet mors acciderit extra propriam paroeciam, cadaver tamen in ecclesiam paroeciae propriae quae vicinior sit, ob funus transferendum est si ad eam commode pedestri itinere asportari possit; secus in ecclesiam in qua mors accidit » (can. 1218, § 1).

Norma statuta in hoc canone respicit tantum casum defuncti qui sibi sepulturam non elegerit et careat sepulcro familiari seu gentilitio simulque habeat paroeciam propriam ratione domicilii vel quasi-domicilii. Cadaver in praefata hypothesi transferri debet in ecclesiam paroeciae *propriae*, quae vicinior sit. In iudicio ferendo num ecclesia sit vicinior necne, non via recta supputanda est, sed attendenda via ordinaria et publica atque simul commoditas itineris (2).

Sedulo perpendantur verba « *commode* » et « *pedestri itinere* ». Illa vox exigit ut translatio cadaveris fieri possit absque ulla difficultate seu incommodo; alia vox postulat ut translatio eiusmodi fiat non via ferrea aut curru aliove modo, sed omnino itinere pedestri, eo quidem quod ordinarie peragitur ab hominibus bonae valetudinis.

Iter pedestre attendendum quoad eos qui cadaver comitantur seu quoad funebrem processionem. Non excluditur proinde delatio cadaveris curru qui equis vehatur aliove modo.

2° Quamvis translatio ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae sit incommoda, semper tamen possunt consanguinei, heredes et alii quorum interest cadaver deferre vel ad ecclesiam fueneris vel ad locum sepulturae, susceptis translationis expensis (can.

(2) Quidam auctores censent vocem « *quae* » can. 1218, § 1 esse referendam tum ad paroeciam tum ad ecclesiam; immo nonnulli putant solummodo ad paroeciam, non autem ad ecclesiam referri. Perspecto textu et contextu Codicis et fine legis attento, opinamur vocem esse referendam praesertim ad ecclesiam, ita ut haec principaliter, paroecia secundario spectanda sit

1218, § 3). In hoc casu cessat ius paroeciae ubi mors accidit.

3° Si familia vel heredes aliive quorum interest id non agant, cadaver illius qui extra propriam paroeciam mortuus est, deferri debet in ecclesiam paroeciae in qua mors accidit, quoties commode itinere pedestri nequeat transferri in ecclesiam paroeciae propriae.

724. 4° « Ordinarii est pro suo territorio, inspectis peculiaribus circumstantiis, distantiam aliaque adiuncta designare, quae translationem cadaveris ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae incommodam reddant; et si paroeciae ad diversas dioeceses pertineant, designatio attenditur Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit » (can. 1218, § 2).

Designatio fieri potest vel lege dioecesana vel peculiari decreto. *Per se* semel pro semper facienda est; at summo iure, deficiente lege aut decreto, nihil vetat quominus fieri possit etiam in singulis casibus. In distantia aliisque circumstantiis perpendendis circa existentiam incommodi necne, plura practice sunt perpendenda, praesertim asperitas viarum. Distantia unius vel duorum kilometrorum a loco ubi cadaver reperitur ad ecclesiam funerantem, censetur haud incommoda; iuxta nonnullos etiam trium kilometrorum.

Id *per se* admittendum; *per accidens* minor quoque distantia potest interdum iter difficile sive incommodum reddere. Ultra 3 kilom. incommodum iter censetur iuxta omnes. Regula ab Ordinario praefinita subest exceptioni de qua in § 3, ut supra (n. **723**); quare parochus proprius defuncti potest cadaver levare illudque comitari ad ecclesiam suam, parocho loci praemonito, quoties familia vel heredes aut ii quorum interest expensas translationis sustineant. Nomine *eorum quorum interest* intelligendi

sunt omnes cuiuslibet gradus consanguinei et affines, amici defuncti, confraternitates aliaeque piae unio-nes, municipium et alia quaevis persona moralis sive ecclesiastica sive civilis.

Si paroeciae propriae sint plures, familia vel he-redes aliive possunt ex iisdem unam vel alteram pro lubitu eligere in quam defunctus sit transferendus.

Si cadaver ad ecclesiam electivam aut sepulcri maiorum vi can. 1218, § 3 transferatur, corpus le-vare *per se* pertinet ad parochum seu rectorem illius ecclesiae in quam transfertur, nulla in casu soluta canonica portione aut parocho decessus, quia de eius-dem subdito non agitur, aut proprio parocho defuncti qui nullum habet ius quoad subditos extra propriam paroeciam decedentes, si ad eam commode pedestri itinere transferri nequeant.

725. Ecclesia funerans ex iure speciali. — 1. Ecclesia funerans pro *R. Pontifice* ea praefertur, quae ab eodem electa fuerit. Si nulla facta sit electio, et in Urbe moriatur, in Basilicam Vaticanam eius ca-daver transferendum ibique, absolutione data, in sa-cello SS. Sacramenti exponendum, quatuor e ponti-ficia militum cohorte illud custodientibus, cancelloque clauso. Si extra Urbem obierit, nec ad illam deferri possit, in ecclesiam loci principaliorem cadaver de-ferendum erit. Licet Papa sibi sepulturam aut tumu-lum elegerit in alia ecclesia Urbis, nihilominus ec-clesia funerans est semper Basilica Vaticana.

2. Quoad *Cardinales*, ex praescripto can. 1219, § 1, « corpus transferendum est (si mors in Urbe ac-ciderit), funeris causa, in ecclesiam quam R. Pontifex designaverit; si vero extra Urbem, in ecclesiam insi-gniorem civitatis seu loci ubi mors accidit, nisi Car-dinalis aliam elegerit ». Itaque

1° Etiam quoad Cardinales praevalet sepultura electiva.

2° Si Cardinalis sit Episcopus residentialis, iure Episcoporum regitur, de quo infra (n. 726). Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi, licet veri Episcopi residentiales sint, tamen iure Episcoporum non reguntur, nisi eos in sua dioecesi diem supremum obire contigerit.

3° Si R. Pontifex nullam ecclesiam designaverit quia vel impeditus vel defunctus, ecclesia funerans deberet esse ecclesia proprii tituli. Practice tamen funus Cardinalium in Urbe decedentium, deficiente designatione aut electione peculiaris ecclesiae, celebrari solet in ecclesia paroeciali propria seu domicilii.

726. 3. Quoad *Episcopos*, can. 1219, § 2 haec statuit: « Defuncto Episcopo residentiali, etiam cardinalitia dignitate aucto, aut Abbate vel Praelato *nullius*, corpus, funeris causa, transferri debet in ecclesiam cathedralem, abbatialem, vel praelatitiam, si id commode fieri possit; secus, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci, nisi in utroque casu defunctus aliam ecclesiam elegerit ».

1° Si Episcopus duas aut plures dioeceses principaliter unitas regat, ecclesia funerans est ecclesia cathedralis dioecesis in qua moritur; si dioeceses non sint principaliter unitae, ecclesia funerans est ecclesia cathedralis dioecesis principalioris, nisi forte ad ipsam cadaver transferri nequeat (3).

2° Ecclesiae cathedrali vel abbatiali aut praelatitiae praevalet ecclesia electiva, non autem ecclesia sepulcri maiorum, nisi forte Episcopi vel Abbates aut Praelati extra propriam dioecesim moriantur, et ad eandem commode transferri non possint, nec ii quorum interest transferendos curent.

(3) Exsequiae pro regibus, Episcopis residentialibus etc. fieri nequeunt, etiam extra ecclesiam cathedralem, a simplici sacerdote. S. R. C. 20 nov. 1903.

3° Ecclesia funerans pro Episcopo titulari, est ecclesia propria paroeciae ex iure communi, nisi aliam sibi elegerit aut sepulcrum maiorum habeat.

4° Cadavera Episcoporum, Abbatum et Praelatorum sepelienda sunt in ecclesia *propria* ad normam can. 1219, § 2, dummodo in propria dioecesi decesserint aut, si extra dioecesim, commode ad eamdem deferri possint. Si extra dioecesim diem supremum obierint, nec ii quorum interest eos ad propriam dioecesim transferendos curent, disputatur num in *ecclesia* sepeliri queant. Perspecto can. 1205, § 2 et attento fine legis, verior sententia est negativa.

5° Etiam Praefecti et Vicarii Apostolici videntur aequiparandi Episcopis circa ecclesiam funerantem.

6° *Locus* designat civitatem vel oppidum in quo plures paroeciae habentur aut haberi possunt; et generatim ad municipia civilia extenditur, non ultra.

7° Ecclesia *insignior* — ad quam Episcopus vel Abbas aut Praelatus *nullius* deferendus est, si commode ad propriam ecclesiam cathedralem aut abbatialem vel praelatitiam nequeat asportari — hoc ordine statuenda est:

a) Ecclesia cathedralis;
b) Basilica insignis;
c) Basilica non insignis;
d) Ecclesia collegialis;
e) Ecclesia paroecialis vicariatus foranei;
f) Ecclesia paroecialis;
g) Ecclesia ad religiosam familiam pertinens.

727. 4. Quoad *clericos* et *beneficiarios*, can. 1220 haec habet: « Beneficiarii residentiales ad ecclesiam sui beneficii transferendi sunt, nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris ». Quare:

1° Canonici ecclesiae cathedralis vel collegialis, cum sint beneficiarii residentiales, transferendi sunt in propriam ecclesiam cathedralem vel collegialem.

2° Ecclesia funerans parochi est ecclesia propria paroecialis.

3° Pro ceteris beneficiariis, dummodo habeant beneficium vere residentiale ad normam can. 1411, 3°, ecclesia funerans est ecclesia in qua illud constitutum reperitur.

4° Etiam pro canonicis, parocho aliisque beneficiatis residentialibus, in primis attendenda est ecclesia electiva, dein ecclesia sepulcri maiorum, demum ecclesia proprii beneficii.

5° Quae hucusque diximus intelligenda sunt pro casibus in quibus defuncti ad propriam beneficii paroeciam transferri possint commode itinere pedestri ad normam can. 1218 superius explicati, vel etiam pro casibus in quibus ii quorum interest cadaverum translationem suis expensis faciendam curent; secus defunctus quilibet in ecclesiam paroeciae, in qua domicilium vel quasi-domicilium habebat, transferendus est; in defectu ecclesiae propriae, translatio facienda erit in ecclesiam paroeciae ubi mors acciderit.

6° Ceteri omnes clerici et beneficiarii non residentiales iure communi et ordinario reguntur ad instar aliorum fidelium. Si alicubi consuetudo vigeat, praesertim post constituta coemeteria publica civilia, ut clerici, funeris causa, deferantur in ecclesiam cathedralem, haec consuetudo etiam hodie servari potest, nisi aliud Episcopo videatur.

728. 5. Ecclesia funerans quoad *religiosos*:

1° *Professi religiosi* et *novitii* transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis (can. 1221, § 1). Omnes viri religiosi hic intelligendi sunt, etiam congregationis dioecesanae. Excipiuntur Episcopi, Cardinales, Praelati *nullius* etc., de quibus supra (n. 725). Haec norma pro religiosis est omnino exclusiva, ita ut pro iisdem ecclesia funerans propria praeferenda

sit ecclesiae ante ingressum in religionem electae et ecclesiae sepulcri maiorum (can. 1124, 2°) (4).

2° Si professi religiosi et novitii longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt (can. 1221, § 2). Etiam in hoc casu ii quorum interest possunt cadaver in ecclesiam domus religiosae vel saltem religionis suis expensis transferendum curare.

3° *Moniales exemptae*, sive intra domum sive extra moriantur, deferendae sunt, funeris causa, ad ecclesiam suae domus aut religionis, dummodo eo facile deferri possint aut ii quorum interest illuc eas transferendas curent (can. 490, 1218, 1221, § 2, 1230, § 5).

Quoad *sorores* distinguendum : si sunt exemptae a iurisdictione parochi, eadem valent ac quae de monialibus dicta sunt; si exemptione non gaudent, ad ecclesiam paroecialem deferri debent; idque sive intra sive extra domum religiosam decesserint (can. 1230, §§ 1 et 5).

4° Quoad *novitios* et *postulantes*. De *novitiis* nulla est difficultas, quia can. 1221, § 1 eos expresse memorat atque professis religiosis aequiparat. Datur tamen discrimen inter novitios et religiosos, quatenus illi, aliter ac isti, possunt sibi sepulturam eligere; quod si egerint, in ecclesiam electam, funeris causa sunt transferendi; in casu tamen ius levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam tumulantem pertinet ad Superiorem religiosum (can. 1221, § 1).

De *postulantibus* proprie dictis magna est controversia inter commentatores Codicis. Nonnulli censent aequiparari novitiis, alii famulis. Codex nullibi de iis-

(4) Etiam religiosus defunctus sepeliri potest in sepulcro maiorum, praesertim si domus religiosa peculiare proprium coemeterium non habeat; quo in casu tamen ecclesia funeris erit ecclesia propria religionis.

dem loquitur. Vera sententia est, eosdem non esse aequiparandos novitiis nec famulis. Idque confirmat finis legis atque contextus. Controversia hodie finem obtinuit: Pontif. Comm. Codicis declaravit die 20 iul. 1929 praescriptum can. 1221 ad *postulantes* non extendi (5).

5° Quoad religiosos *saecularizatos, apostatas* etc. Religiosi *saecularizati* iure communi et ordinario reguntur, cum religiosi amplius non sint. Idem dicendum de religiosis legitime dimissis.

Religiosi *exclaustrati* sunt veri religiosi ideoque ipsorum iure reguntur.

Apostatae et *fugitivi* item iure religiosorum reguntur cum omnibus obligationibus professionis religiosae adhuc teneantur.

Religiosi *dispersi* ex iniuria auctoritatis civilis seu illegitima suppressione iure communi reguntur et paroeciali iurisdictioni subsunt, nisi saltem terni sub proprio Superiore reperiantur (6).

729. 6° Quoad *famulos religiosorum, hospites* et *alumnos*, haec notanda:

Famuli religiosorum actu inservientes et intra domus septa stabiliter commorantes ad ecclesiam domus religiosae in qua decesserint, funeris causa, deferendi sunt atque eodem iure reguntur ac novitii; attamen si extra religiosam domum decesserint, ad ecclesiam propriae paroeciae ex iure communi et ordinario definitam transferendi sunt (can. 1221, § 3).

Manifesta est discrepantia famulos inter et novitios: illi extra domum religiosam decedentes iure communi et ordinario reguntur et in ecclesiam propriae paroeciae transferendi sunt; isti, contra, si extra claustra longe moriantur, in ecclesiam paroeciae de-

(5) *A. A. S.*, XXI, 573.
(6) S. C. Ep. et Reg. 26 febr. 1864.

cessus sunt deferendi, quia domicilium vel quasi-domicilium antea possessum non amplius retinere censentur.

Famuli praefato iure reguntur, etiamsi in paroecia, in qua est domus religiosa, domicilium aut quasi-domicilium habeant. Duae tamen conditiones requiruntur: *a*) ut *actu* inserviant seu famulatum praestent, sive opus materiale sive spirituale exerceant, v. g. magistri, sacristae, coqui etc.; *b*) ut *stabiliter* seu habitualiter commorentur intra septa domus religiosae; quae stabilis commoratio, posito animo habitualiter degendi, determinatum tempus non postulat, ita ut haberi possit etiam post unum diem, immo paucas horas (7). Huiusmodi stabilis commoratio profecto abest si quis nonnisi ad aliquod opus peragendum advocetur v. g. ad resarciendos muros, ad reparandum tectum etc.

Quaerunt Auctores, quidnam dicendum sit de tyronibus. Re mature perspecta, nulla videtur ratio dubitandi; nam si religiosi sint, tunc valent quae diximus de iisdem; si religiosi non sint, iisdem applicanda quae de alumnis mox dicentur.

Quae hucusque exposita sunt de famulis religiosorum, nequaquam valent de famulis religiosarum; idque ex ipsa rei natura, quia intra septa earundem domus illi degere nequeunt. Neque applicari possunt famulabus religiosarum, ut liquet ex canone 1225, qui solum eis permittit electionem ecclesiae vel oratorii domus religiosae pro funere.

Hospites religiosorum iure communi reguntur; proinde ecclesia funeris pro ipsis est vel electiva, vel sepulcri maiorum, vel demum ea quae iure communi et ordinario determinatur (can. 1222).

Alumni qui in domo religiosa educationis causa commorantur, transferendi sunt ad ecclesiam electi-

(7) Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 431.

vam aut ad ecclesiam sepulcri maiorum vel demum ad ecclesiam propriae paroeciae, nisi ius particulare (consuetudo, statuta dioecesana, conventio legitime inita, praescriptio saltem in aliquo casu, lex fundationis) aut privilegium (sive pontificium sive episcopale) aliud caveat (can. 1222).

Alumnis *scholarum apostolicarum* in religionibus non applicatur ius speciale, de quo in can. 1221, sed ius commune, ut ceteris alumnis (8).

Educandae seu *alumnae* monialium vel sororum eodem iure reguntur ac alumni collegiorum, nisi speciale privilegium aut ius particulare obstet. Proinde in ecclesia propriae paroeciae aut paroeciae loci ubi mortuae sunt, *per se* sepeliri debent. Attamen ipsis conceditur electio sepulturae in ecclesia monialium, dummodo *stabiliter* commorentur, non autem « *precario* » (can. 1225). Haec vox excludit commorationem mere *casualem* vel ad brevissimum tempus consulto protractam, non requirit autem commorationem actu diuturnam, cum animus commorandi satis sit Necessaria non est commoratio diu noctuque.

Si alumni impuberes sint, ius eligendi ecclesiam funerantem vel locum sepulturae pro iisdem exerceri potest, etiam post eorum obitum, per parentes vel tutores. Privilegium exemptionis a parochi iurisdictione pro alumnis collegiorum pluribus ordinibus et congregationibus concessum, aliis quoque religionibus vi communicationis ante Codicem acquisitum fuit; verius etiam hodie viget ad normam can. 4 (9).

730. Ecclesia funerans pro defunctis in hospitali et in Seminario. — 1. Defuncti in hospita-

(8) Pontif. Comm. Codicis, 20 iul. 1929; *A. A. S.*, XXI, 573.

(9) Tertius ordo S. Francisci, et probabilius alii quoque tertii ordines, gaudent circa funera privilegiis et exemptionibus propriis regularium. Proinde ius tertii ordinis est: cadaver comitari, a propria ecclesia sine parochi interventu ad coemeterium deferre, cum stola et cruce propria ad sepulcrum proce-

li iure communi et ordinario reguntur circa funera, seu praevalet ecclesia electiva, ea vero deficiente, ecclesia sepulcri maiorum; in utriusque defectu, manet ecclesia propriae paroeciae, ad quam cadavera transferenda sunt.

Iure Codicis (can. 92, § 2) facile acquiritur quasi-domicilium ab iis qui in hospitali degunt, quoties nimirum ibi commorati fuerint ultra sex menses, etiam exclusa voluntate ulterioris commorationis aut, posito animo ibidem manendi per maiorem anni partem, etiam per paucos dies vel horas idest a primo momento actualis commorationis.

Quare ecclesia funerans pro defunctis in hospitali, qui saltem quasi-domicilium ibi assecuti fuerint, erit ecclesia paroeciae in qua ipsum hospitale erectum est (can. 1216, § 2). In aliis casibus, erit ecclesia propria ex iure communi et ordinario.

Can. 1222, qui expresse loquitur de iis qui moriuntur in hospitali, hanc clausulam restrictivam ponit: « *nisi constet de iure particulari aut privilegio* ». Circa huiusmodi clausulam vide n. 729.

2. Quoad illos qui moriuntur in Seminario ecclesia funerans est ecclesia vel oratorium Seminarii, ad normam canonis 1222 et 1368.

1° Seminarium gaudet ex iure Codicis exemptione a parochi potestate. Hinc facile intelligitur relata dispositio.

2° Ipse rector Seminarii eiusve delegatus munere parochi fungitur.

3° Religiosi qui in Seminario degunt et quibus forte concreditum ipsum est, iure religiosorum, de quo supra (n. 728), reguntur.

4° Praescriptum valet non solum pro clericis seu

dere, licet per alienas paroecias transeundum sit, emolumenta percipere. Ut iis privilegiis tertiarii gaudeant, necesse est ut cum proprio vexillo incedant proprio habitu induti, cum interventu parochi usque ad ecclesiam tumulantem. Tertiarii qui in communi vivunt eodem iure reguntur ac religiosi exempti.

alumnis, sed etiam pro famulis, magistris, atque etiam pro sororibus religionis quae de facto in Seminario, famulatus causa, reperiantur, quia can. 1368 dicit rectorem eiusve delegatum munere parochi fungi « *pro omnibus qui in Seminario sunt* ». Quare pro omnibus istis ecclesia funerans est ecclesia vel oratorium Seminarii, ipso rectore non excluso.

5° Qui in Seminario degunt etiam stabiliter, si forte extra ipsum moriantur, non sunt deferendi ad ecclesiam Seminarii, quia can. 1222 loquitur dumtaxat de iis « *qui in Seminario moriuntur* »; idcirco ceteri sunt excludendi.

6° Si defuncti in Seminario funeris ecclesiam sibi elegerint aut ecclesiam sepulcri maiorum habeant, in eam, ut patet, transferendi sunt.

Articulus V.

De sepultura electiva.

731. Notio et divisio. — 1. Ius sepulturae electivae est facultas cuilibet fideli a iure concessa, nisi expresse prohibeatur, sibi eligendi ecclesiam in qua funus sit peragendum, et locum ubi sepeliri debeat.

2. Ius sepulturae electivae *per se* respicit tantum humationis locum seu sepulturae propriae dictae; tamen vi principii « *ubi tumulus ibi funus* », factum est iuridice ut, electa sepultura in determinata ecclesia, ibi et funus esset persolvendum et rector ecclesiae emolumenta perciperet. Inducta prohibitione sepeliendi cadavera in ecclesiis, non ideo, abrogatione iuris tumulandi, sublatum est ius funerandi.

Iure vigente sepultura electiva duo complectitur: *ius funerantis ecclesiae* et *ius tumulationis*. Haec duo generatim simul coniuncta reperiuntur, at ex voluntate defuncti vel aliorum, in quibusdam casibus separari possunt, ita ut alterum sine altero existat. Codex hanc distinctionem et separationem clare enuntiat

eamque diserte supponit (can. 1223, § 1, can. 1224, 1225, 1226).

3. Electio sepulturae triplici modo fieri potest ex dictis:

1° In primis elegi potest coemeterium simul et ecclesia funerans.

2° Eligi potest ecclesia funerans tantum, et non coemeterium.

3° Potest eligi coemeterium solum, non autem ecclesia funerans. Ubi habentur coemeteria publice civilia, potest alibi coemeterium eligi, alibi ecclesia funerans; ubi vigent coemeteria stricte paroecialia, requiritur licentia parochi aut Superioris religiosi a quo coemeterium dependet, ut quis eligat alibi ecclesiam funerantem et alibi coemeterium (can. 1228). Quae applicantur etiam sepulcris maiorum, ut infra dicetur (n. 737).

732. Quaenam ecclesiae et coemeteria eligi possint. — 1. Possunt eligi istae ecclesiae:

1° Ecclesia quaelibet paroecialis (can. 1225);

2° Ecclesia regularium, non autem monialium. Haec eligi potest dumtaxat a mulieribus quae famulatus, educationis, infirmitatis, aut hospitii causa, intra clausuram *non precario* commorantur (can. 1225). Censetur *non precario* commorari qui saltem per aliquot hebdomadas re vera ibi commoratus sit aut, posita intentione ad diuturnum tempus commorandi, etiam per paucos dies. Nihil interest utrum mulieres extra aut intra monasterium moriantur.

Can. 1225 expresse loquitur de *ecclesia regularium*; idcirco ecclesiae et oratoria religiosorum votorum simplicium exclusa manent, quae proinde nonnisi pro novitiis, professis et famulis ad normam can. 1221 gaudent iure funerandi.

3° Ecclesia iuris patronatus, si de patrono eligente agitur (can. 1225). Haec ecclesia ab aliis eligi nequit, nis ex alio capite iure funerandi fruatur.

4° Demum quaelibet ecclesia iure funerandi praedita (can. 1225). Huiusmodi ius ex lege communi, ex privilegio seu concessione S. Sedis aut Episcopi obtineri potest. Episcopus potest tale ius tribuere etiam oratorio publico aut semi-publico, v. g. alicuius congregationis religiosae vel confraternitatis etc.

733. Quinam sibi eligere valeant sepulturam. — 1. Omnes et singuli fideles, qui expresse iure non prohibentur, sibi eligere valent ecclesiam funerantem vel sepulturae coemeterium aut utrumque.

Huiusmodi electio potest fieri vel per unicum actum aut per duos actus distinctos, quorum alter ecclesiam, alter coemeterium respiciat (can. 1223, § 1).

2. Uxor et filii puberes immunes sunt a maritali vel patria potestate in hac electione facienda (can. 1223, § 2).

3. Prohibentur eligere ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae:

1° *Impuberes*; sed pro filio aut filia impubere, etiam post eorum mortem, hanc electionem facere possunt parentes vel tutor (can. 1224, 1°). Nomine parentum pater, in eius defectu mater, utroque deficiente, avus et avia veniunt. Tutor solummodo in defectu parentum eligere potest.

Si electio ecclesiae funerantis vel coemeterii facta fuerit a parentibus pro filio impubere graviter decumbente, qui postea convaluerit, vim illa non servat post adeptam a filio pubertatem, nisi ab eodem confirmetur seu rata habeatur.

2° *Religiosi professi* cuiuslibet gradus aut dignitatis, non tamen si sint Episcopi (can. 1224, 2°). Dubitandum non est, quin vetitum respiciat quoque religiosos votorum simplicium, quia Codex nullam facit distinctionem. Saecularizati, cum religiosi non amplius sint, sibi profecto sepulturam eligere valent. Aliter dicendum de exclaustratis.

Disputatur utrum vox « *prohibentur* » can. 1224, 1°, significet nullitatem actus an illiceitatem tantum. Quoad sollemniter professos, qui *velle* et *nolle* non amplius retinent, electio facta contra ius est certe invalida; quoad professos simpliciter, idem probabilius affirmandum.

Si electio ecclesiae vel coemeterii facta fuerit ante professionem, caret *per se* effectu, quia inspiciendum est momentum mortis ex quo dimetienda habilitas ad sepulturam eligendam (1).

Religiosi dimissi sibi valent eligere sepulturam; non item apostatae et fugitivi, saltem post reditum. Episcopi et Cardinales religiosi, non exceptis titularibus Episcopis, sepulturam eligere valent; idque verius affirmandum quoque de Abbatibus et Praelatis *nullius*, de Praefectis et Vicariis Apostolicis.

Palam est, quae de religiosis viris hucusque dicta sunt, esse applicanda, congrua congruis referendo, etiam monialibus et sororibus.

3° *Omnes usu rationis destituti*, quippe qui infantibus assimilantur ideoque applicanda regula supra enuntiata de impuberibus.

4° *Omnes qui ecclesiastica sepultura privantur*, de quibus infra (n. **760**).

734. Quomodo electio sepulturae facienda et quomodo probanda. — 1. « Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest per se vel per alium cui legitimum mandatum dederit » (can. 1226, § 1).

Mandatum potest fieri sive scripto, idque practice consultius, sive oretenus.

Mandatarius potest esse quaelibet persona, sive

(1) Quidam censent religiosos etiam professos solemniter, de licentia Superiorum, sibi sepulturam eligere posse. Hoc post Codicem admitti nequit, quia facultas derogandi iuri communi Superioribus religiosis non conceditur.

mas sive femina, etsi forte careat iure sibi sepulturam eligendi.

2. « Si electio fiat per alium, hic suum mandatum explere potest, etiam post mortem mandantis » (can. 1226. § 2). Haec dispositio concordat plane cum principiis generalibus iuris in favorem defuncti.

3. « Factam electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet » (can. 1226, § 1). Huiusmodi probatio haberi potest per testes fide dignos, saltem duos; per instrumenta, v. g. per testamentum aliamve scripturam etiam privatam, dummodo de eiusdem authenticitate plane constet; per testimonium parochi, modo in proprium commodum non testetur; demum etiam per nutus aut signa, quae tamen sufficienter ostendant voluntatem eligentis. Non sufficit manifestatio propositi vel desiderii eligendi sibi sepulturam, ad probandam ipsam electionem : desiderium sane eiusque manifestatio minime electio sunt.

Quae de probatione electionis diximus, valent quoque de legitima probatione mandati.

735. Electio sepulturae libere facienda. — 1. « Religiosi et clerici saeculares districte vetantur ne quos ad vovendum, vel fide interposita seu aliter promittendum inducant ut apud ipsorum ecclesias funus aut apud ipsorum coemeterium sepulturam eligant, vel factam electionem non immutent; quod si contra factum fuerit, electio sit nulla » (can. 1227).

Inductio vetita est sive directe sive indirecte facta, sive per se sive per alium. Quidam (2) censent vetitam non esse simplicem inductionem ad electionem faciendam sepulturae, sed tantum inductionem ad vovendum, iurandum vel promittendum ut quis sepulturam eligat apud ecclesiam vel coemeterium inducentis. Haec opinio sustineri nequit, tum quia finis

(2) Matth. a Coronata, op. cit., n. 192.

legis est praecise ut libertas electionis protegatur omnino; tum quia si prohibita dicitur inductio ad vovendum, iurandum etc., a paritate, quin dicatur a fortiori, prohibita dicenda est ipsa inductio ad electionem faciendam; tum quia can. 1227 dicit expresse esse nullam ipsam *electionem*, ideoque ea dumtaxat respicitur tamquam terminus prohibitionis.

Consilia, adhortationes et preces, non sufficiunt ad inductionem iuridice constituendam ideoque ad factam electionem infirmandam.

2. Prohibitio est gravis eaque respicit religiosos et clericos universos, etiam illos in quorum ecclesia defunctus de iure esset sepeliendus; dum e contra non respicit laicos.

3. Non prohibetur iure hoc positivo inductio ad vovendum etc. ut quis sepulturam eligat in ecclesia *aliena*, ut patet ex verbis citati canonis.

4. Nullum dubium quin *religiosorum* nomine veniant quoque moniales et sorores.

5. Nullitas electionis est ipso iure inducta, quae sanari non potest, nisi per novum et distinctum actum, libere positum ab eligente.

736. Normae respicientes sepulturam cadaveris, facta electione. — 1. « Si electa fuerit sepultura in coemeterio diverso a coemeterio propriae defuncti paroeciae, cadaver in illo sepeliatur, dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet » (can. 1228, § 1).

Ubi vigent coemeteria paroecialia stricto sensu, si quis elegerit alibi coemeterium sepulturae, alibi ecclesiam funeris, requiritur consensus parochi coemeterii ad tumulationem faciendam, quem consensum ipse denegare nequit. Ubi vigent coemeteria civilia, venia auctoritatis civilis exquirenda est, saltem ad incommoda vitanda.

Utrum parochus vel religiosi aut alii a quibus coe-

meterium electum pendet, possint aliquid petere seu exigere pro consensu dando ad humationem permittendam, disputatur. Vera sententia videtur affirmativa, dummodo agatur de iis qui in illo coemeterio non essent ex iure communi sepeliendi et dummodo pretium postuletur dumtaxat ratione loci, nec ullo pacto augeatur ratione benedictionis.

2. « Electa sepultura in coemeterio religiosorum, ut cadaver inibi sepeliri queat, requiritur et sufficit consensus Superioris religiosi ad normam constitutionum cuiusque religionis » (can. 1228, § 2). Huiusmodi consensus dari potest a Superiore sive maiore sive etiam locali secundum *constitutiones*, ad quas Codex consulto remittit. Iste consensus, sicuti parochi et aliorum, necessarius non est ad valorem electionis, sed tantum ut ipsa suum sortiatur effectum. Superior autem consensum dare non tenetur; expedit tamen, nisi peculiares rationes aliud suadeant, ut praebeatur.

Articulus VI.

De sepulcro maiorum.

737. Notio et divisio. — 1. Nomine *sepulcri maiorum*, quod familiare etiam vel gentilitium nuncupatur, venit locus auctoritate Ordinarii legitime deputatus, intra vel extra coemeterium, ad sepulturam, in commodum alicuius familiae vel personae moralis (can. 1208, § 3, 1209, § 1).

2. Huiusmodi sepulcrum quadruplex potest esse :

1° *Familiare* seu *gentilitium* quod sibi suisque quis construxit aut legitimo modo acquisivit.

In hoc sepulcro sepeliri debent omnes et soli qui de familia sunt eorumque descendentes, sive mares sive feminae, licet in aliam familiam transierint, et omnes ex iisdem descendentes. Sepulcrum hoc ad heredes, qui de familia non sunt, non transit, nec ad

affines, iis solum exceptis qui proximiores sunt quique *suis* iuridice adnumerantur (1).

2° *Hereditarium*, quod quis sibi construxit vel alio modo legitimo acquisivit, cum facultate et expressa declaratione illud transmittendi ad heredes, sive de familia sint sive non, una cum asse hereditario.

3° *Mixtum*, quod transmittitur tum ad heredes tum ad personas familiae.

4° Sepulcrum *peculiare personae moralis*, v. g. confraternitatis, congregationis votorum simplicium non exemptae etc. Huiusmodi sepulcrum iuridice familiari accensendum est.

3. Sepulcrum hereditarium aut mixtum progressu temporis fieri potest familiare; hoc autem iterum mutare potest naturam sive alienatione sive alio titulo iuridico.

738. Erectio sepulcri maiorum. — 1. Quilibet fidelis sui iuris potest sibi suisque sepulcrum peculiare exstruere item quaevis persona moralis (can. 1208, § 3, 1209, § 1). Religiosi qua singuli id agere non possunt, ut palam est.

2. Ad sepulcrum maiorum in coemeterio iuris ecclesiastici erigendum, requiritur consensus auctoritatis ecclesiasticae scripto datus, non ad valorem sed ad legitimam probationem. Auctoritas competens ad consensum praestandum est vel Ordinarius loci, si sepulcrum in coemeterio paroeciali eidem exclusive subiecto sit extruendum, vel Superior religiosus aliusve Superior a quo coemeterium, ubi sepulcrum est erigendum, pendet.

In scriptura qua consensus datur, significari debet utrum sepulcrum exstruendum familiare sit, an hereditarium vel mixtum.

3. Si sepulcrum maiorum erigendum sit in publico coemeterio civili, tunc ea quae supra de coemeterio

(1) Cfr. S. C. Ep. et Reg. 30 aug. 1878.

paroeciali dicta sunt, generatim valent. Tamen in hoc casu, Ordinarius loci una cum persona quae sepulcrum erigit, in huius constitutione, designare debet ecclesiam funerantem. Notandum, legem civilem iuri publico ecclesiastico et iuribus personarum ecclesiasticarum nullatenus derogare posse.

739. 4. Quoad ecclesiam funeris pro iis qui habent sepulcrum maiorum, haec animadvertenda :

1° « Si quis sepulcrum maiorum in aliquo coemeterio possidens, non electa alibi sepultura decesserit, in eodem sepeliendus est, si illuc commmode asportari possit, salvo praescripto can. 1218, § 3 » can. 1229, § 1).

Haec regula servanda est etiam pro infantibus, nec obstat praescriptum can. 1209, § 3. Licet canon expresse non loquatur de ecclesia funerante, tamen dubitandum non est, quin ecclesia funeris in casu sit ecclesia sepulcri maiorum; quod si eiusmodi sepulcrum in publico coemeterio erectum sit, ecclesia funerans ea est quae vel in ipsa erectione sepulcri determinata fuit, aut quae ex alio titulo probatur. Si neutrum adsit, ecclesia funerans definienda est ex can. 1230, § 7.

2° Si defunctus aliam ecclesiam funerantem elegerit ab ecclesia sepulcri maiorum distinctam, funus peragendum erit in ipsa ecclesia, licet corpus in sepulcro maiorum sit sepeliendum. Id valet tam pro iis qui commode pedestri itinere transferri possunt, quam pro iis qui expensis eorum quorum interest transferuntur. Si defunctus nec commode asportari possit, nec ii quorum interest onus eiusmodi in se suscipere velint, ecclesia funerans erit ecclesia propria defuncti ex iure communi.

3° Si plura sint sepulcra maiorum, familia aut heredes defuncti ius habent eligendi locum sepulturae (can. 1229, § 3).

4° « Pro uxore attenditur sepulcrum viri, et si plu-

res habuerit, sepulcrum ultimi » (can. 1229, § 2). Si uxor nequeat forte transferri commode itinere pedestri ad sepulcrum viri, dispositio canonis est facultativa, arbitrio eorum quorum interest; secus est praeceptiva. Nihilominus etiam pro uxore sepultura electiva praevalet sepulcro viri. Hoc sepulcrum, ut ipsa ecclesia funerans, praevalet, etiamsi sit electivum tantum et quamvis vir adhuc vivat; quo in casu tamen, deficiente sepulcro maiorum proprie dicto, si vir velit uxoris funera fieri in determinata ecclesia, necesse est ut ipsa in eadem sibi sepulturam eligat. Si plura sint sepulcra ultimi viri, heredes aut familia mulieris (in defectu eorum, heredes et familia viri) inter ipsa sepulcra eligere debent (can. 1229, § 3).

Num uxor separata a viro hac iuris dispositione gaudeat, disputatur. Ita distinguendum : si separata sit illegitime, certe fruitur; si legitime ob culpam viri, facultate iure concessa gaudet, dummodo ne obstet eius voluntas; si separatio sit ad tempus legitime facta, item fruitur; si separata sit in perpetuum ex culpa ipsius mulieris, verius negandum, quia praesumendum non est Codicem concedere favorem coniugi delinquenti. Quidam censent maritum, perinde ac uxorem, si praemoriatur non electa sibi sepultura, in sepulcrum uxoris esse sepeliendum. Haec opinio caret hodie iuridico fundamento, quia standum adamussim Codici seu can. 1229, § 2, qui loquitur dumtaxat de uxore, non autem de viro.

Articulus VII.

De ministro funeris.

740. Minister funeris pro iis qui sepulcro maiorum carent nullamque sepulturam elegerunt. — 1. Pro defunctis intra fines paroeciae propriae nulla difficultas, cum applicandum sit principium generale supra enuntiatum (n. 722).

In dubio circa varios ministros, praevalet, ut ius paroeciae propriae, ius ministri propriae paroeciae.

Parochus seu sacerdos propriae paroeciae habet ius et officium, excepto gravi necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver illudve comitandi ad suam ecclesiam paroecialem atque ibi exsequias persolvendi, firmo praescripto can. 1216, § 2 (can. 1230, § 1).

Huiusmodi obligatio parochi gravis est, ita ut nonnisi necessitas eaque gravis excuset, v. g. tempore belli, vel pestilentiae, existente vetito civili etc. Parochus tum per se tum per alium potest funus peragere. Alius qui vices parochi gerat, debet esse sacerdos, non autem diaconus, nisi forte deficiat praesbyter, accedente in hoc casu licentia Ordinarii loci. Casus verificari potest in locis missionum, vel tempore pestilentiae (1).

2. Pro iis qui extra propriam paroeciam decesserint, can. 1230, § 2 statuit: « Quod si mors acciderit in loco alienae paroeciae, et cadaver ad ecclesiam propriae paroeciae commode asportari possit, parochi proprii est, praemonito parochi loci, illud levare, comitari ad suam ecclesiam ibique exsequias peragere » (can. 1230, § 2).

Hoc principium valet etiam in casu quo defunctus commode nequeat asportari, si ii quorum interest onus translationis in se suscipiant. Parochus tamen paroeciae ubi mors accidit praemoneri debet a parocho proprio defuncti; quae praemonitio nec licentia est nec consensus, ita ut parochus obitus nullo modo possit sese opponere cadaveris translationi. Si plures

(1) Diaconus funus peragens, potest pro defuncto Vesperas vel Laudes vel preces exsequiarum in *Rituali* descriptas cantare. Legere debet *Non intres*, cantare *Libera me*, et circumiens feretrum potest corpus aspergere aqua benedicta et incensare, ac benedicere sepulcrum aliasque preces recitare, exceptis exc piendis, prout in *Rituali Rom.*, S. R. C., 14 aug. 1858.

sint parochi proprii, minister funeris est parochus decessus vel paroeciae vicinioris (cfr. can. 1216, § 2, 1218, § 1).

Si cadaver nequeat asportari commode nec ii quorum interest curent illud deferri, minister funeris erit item parochus ecclesiae funerantis seu paroeciae decessus ad normam can. 1218, § 1. Qua in re tamen attendenda est consuetudo, praesertim centenaria aut immemorabilis.

3. Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habeat, nec ecclesia funerans legitime fuerat electa, ius levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepulturam deducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem eusdem loci; quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm est, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta (can. 1230, § 7).

Haec dispositio intelligi debet tum de iis qui, nulla electa sepultura nec habentes sepulcrum maiorum, in itinere moriuntur et ad stationem viae ferreae relinquuntur; tum de iis qui in civitate episcopali sepulcrum maiorum habent aut sepulturam sibi elegerunt in communi coemeterio, nec ulli paroeciae eiusdem civitatis subiecti sunt, in civitate aut extra eam casu decesserint (2).

741. 4. Minister funerum Cardinalium in Urbe decedentium designatur ab ipso R. Pontifice, qui illum una cum ecclesia funerante indicat. Si nullus fuerit designatus, ius et officium funus exequendi per se competit Decano S. Collegii, qui potest alium delegare (3).

Si Cardinales extra Urbem moriantur, dignitates et canonici ius et officium habent funus persolvendi,

(2) Cfr. S. C. C. 27 aug. 1904; *Monitore eccl.*, ser. 2ª, vol. VI, p. 337 s.

(3) Quoad exsequias R. Pontificis, standum Const. « *Vacante Sede Apostolica* », n. 26.

dummodo in civitate episcopali decesserint. Si ecclesia cathedralis vel collegialis desit in loco ubi mors acciderit, minister funeris erit rector insignioris ecclesiae seu ecclesiae funerantis, nisi ii quorum interest alio transferendum curent cadaver.

5. Quoad Episcopos in propria dioecesi decedentes, ministri funeris sunt dignitates et canonici, ordine praecedentiae servato (can. 1230, § 6, 397, 3°).

Eadem regula applicanda videtur etiam Abbatibus et Praelatis *nullius*. Si extra dioecesim propriam, aut extra civitatem episcopalem intra dioecesim, aut in alia dioecesi moriatur Episcopus, nec ad civitatem episcopalem deferri possit, funeris minister erit rector ecclesiae nobilioris in loco.

Si intra civitatem episcopalem, licet non propria, moriatur, funus peragendum est a Capitulo cathedrali, ut supra. Quae regula valet etiam in casu quo Episcopus aliud cometerium tumulationis aut ecclesiam funerantem elegerit, aut sepulcrum maiorum habeat.

Pro Episcopis titularibus minister funerum est rector ecclesiae electae aut sepulcri maiorum aut propriae paroeciae; decet tamen practice ut Capitulum cathedrale vel Collegiale intersit.

742. 6. Pro beneficiatis minister funerum est rector ecclesiae cui addicti sunt, dummodo cadaver in ipsam commode deferri possit, aut ii quorum interest deferendum curent; ius tamen levandi cadaver pertinet ad parochum domicilii vel quasi-domicilii, nisi aliud ferat legitima consuetudo. Id quoque dicendum si beneficiarius in ecclesia sepulcri maiorum sit transferendus aut in ecclesiam electam, nisi, ut supra, ex consuetudine aliove titulo ius sit aliis legitime quaesitum.

7. Pro clericis eadem principia valent hucusque exposita, congrua congruis referendo: seu *per se* ius

levandi cadaver ceteraque peragendi spectat ad parochum proprium, salvo iure aliis quaesito ex sepulcro maiorum aut sepultura electiva.

Minister funeris pro parocho est *per se* vicarius oeconomus idest qui paroeciam vacantem regit aut eius delegatus, nisi ex statutis dioecesanis vel consuetudine ius competat vicario foraneo.

743. 8. Pro sodalibus viris religionis clericalis exemptae Superior eorundem est minister funeris, nisi longe a domo religiosa sodalis moriatur et cadaver ad ecclesiam propriam non transferatur; quo in casu minister erit parochus ecclesiae in quam cadaver transfertur. Pro religiosis qui pertinent ad religionem laicalem, minister est cappellanus; item pro monialibus et sororibus a parocho iurisdictionis subductis, non exclusis novitiis. Pro religiosis non exemptis a parochi iurisdictione, minister funeris est parochus loci ubi domus religiosa sita est.

9. Pro familiaribus religiosorum, ospitibus et alumnis, pro decedentibus in seminario, huc spectant quae supra (n. 729 s.) et quae hucusque dicta sunt.

744. Minister funeris pro iis qui sepulcrum maiorum habent aut sepulturam elegerunt. — 1. Si quis coemeterium elegerit nihil statuens de ecclesia funerante et agatur de coemeterio paroeciali, una cum electione coemeterii facta censetur etiam electio ecclesiae, et in casu minister funeris erit parochus ecclesiae electae. Attamen ius levandi cadaver pertinet ad parochum proprium.

Si agatur de coemeterio non paroeciali sed communi, per solam coemeterii electionem non censetur simul electa etiam ecclesia. Quo in casu si coemeterium longe a propria paroecia distet, minister funerum is est qui repraesentat ecclesiam cathedralem, in eius defectu parochus ecclesiae in cuius territorio si-

tum est coemeterium electum. Si vero coemeterium electum non valde distet, parochus proprius funus peragit in propria ecclesia. In utroque casu aliud haberi potest ex lege dioecesana aut consuetudine; ac praeterea parochus proprius (item, in peculiari casu, ecclesia cathedralis) ius habet levandi etiam cadaver ad normam can. 1230, § 7.

745. 2. Si quis funerantem ecclesiam elegerit, nulla facta mentione de coemeterio, minister funeris erit rector ecclesiae electae. Haec in casu sedulo attendenda :

1° Si ecclesia electa est exempta, parochus proprius cadaver levat atque ad ecclesiam electam deducit; funus prosequitur rector ipsius ecclesiae funerantis (can. 1230, § 3). Quidnam si defunctus ecclesiam elegerit longe a propria paroecia? Tunc parochus proprius levat cadaver illudque ducit usque ad viam ferream vel ad ingressum in oppidum vel ad locum determinatum; inde vero cadaver comitatur rector ecclesiae funerantis, cuius est totum funus deinde peragere. Haec dicenda, nisi aliud ferat consuetudo seu ius particulare.

2° Si defunctus ecclesiam non exemptam a iurisdictione parochi elegerit, tunc celebratio exsequiarum, salvo peculiari privilegio, pertinet non ad rectorem ecclesiae funerantis, sed ad parochum in cuius territorio ecclesia sita est, dummodo defunctus parocho subiectus sit (can. 1230, § 4). Si tamen defunctus elegerit ecclesiam non exemptam extra territorium paroeciae propriae sitam, tunc corpus levabit parochus proprius, funus autem peraget rector ecclesiae electae, non autem, saltem probabiliter, parochus, nisi aliud ex consuetudine seu iure particulari constet.

3° Si quis alibi ecclesiam funeris, alibi coemeterium sepulturae elegerit, minister funeris erit rector ecclesiae electae.

4° Si monialium ecclesia electa fuerit ab iis qui eam eligere valent (n. 729), cadaver de iure levat parochus proprius aut parochus loci decessus vel cappellanus si defunctae sint intra septa monasterii; funus autem unus cappellanus ecclesiae religiosae peragit (can. 1230, § 4).

5° Cadaver patroni qui ecclesiam iurispatronatus elegerit, proprius parochus levat, funus autem persolvit rector ecclesiae iurispatronatus qui et tumulationem peragit, nisi ecclesia subsit parochi iurisdictioni et ipse patronus parocho fuerit subiectus (cfr. can. 1225, 1230, §§ 3 et 4, 1232, § 2).

746. 3. Sepulcrum maiorum aequivalet electioni sepulturae ex iuris praesumptione ideoque quae dicta sunt de sepulturam eligentibus, valent generatim etiam pro sepeliendis in sepulcro maiorum. Igitur servandum est praescriptum can. 1230, §§ 3 et 4.

Haec pauca animadvertenda censemus:

1° Minister funerum, pro sepeliendis in sepulcro familiari seu gentilitio sito in coemeterio paroeciali, est parochus loci, nisi alia ecclesia electa sit, quo in casu ad parochum spectabit tantum corpus levare.

2° Si eiusmodi sepulcrum est in sacello alicuius ecclesiae exemptae a parochi potestate, cadaver levabit parochus proprius ad normam can. 1216 ss.

3° Si sepulcrum erectum sit in coemeterio publico, minister funeris is erit qui designatus fuerit in ipsa erectione sepulcri gentilitii; deficiente designatione, is quem designant statuta dioecesana aut consuetudo; his pariter deficientibus, erit sacerdos cui cura coemeterii commissa est vel parochus in cuius territorio coemeterium reperitur.

4° Si sepulcrum situm sit in coemeterio stricte religiosorum, et haec ecclesia electa sit pro funere faciendo, minister erit rector ecclesiae regularis. Ius tamen levandi cadaver pertinebit ad parochum proprium.

Articulus VIII.

De tumulatione et associatione cadaveris ac de ritibus servandis.

747. Tumulatio. — 1. « Expletis in ecclesia exsequiis, cadaver tumulandum est ad normam librorum liturgicorum in coemeterio ecclesiae funeris, salvis praescriptis can. 1228 et 1229 » (can. 1231, § 1).

Praecipitur stricta observantia rituum in exsequiis persolvendis ad normam *Ritualis Rom.* et *Caeremonalis Episcoporum.*

Cadaver tumulandum est in coemeterio proprio ecclesiae funerantis vel, si vigent coemeteria publica, in eo quo utitur ecclesia funerans. Huc spectat exceptio sepulturae electae aut sepulcri maiorum.

748. Minister tumulationis. — 1. « Qui exsequias in ecclesia peragit, non solum ius, sed etiam officium habet, excepto gravi necessitatis casu, comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae » (can. 1231, § 2).

1° Hoc ius et officium non est extendendum ad casum quo cadaver sit deferendum ad coemeterium quod valde distat, ita ut commode transferri nequeat. Nam Codex expresse statuit: « Si cadaver tumulandum sit in coemeterio ad quod commode asportari nequeat, parochus vel rector ecclesiae funeris nequit sibi vindicare ius illud comitandi extra fines civitatis vel loci » (can. 1232, § 2).

Proinde si cadaver extra fines civitatis aut loci, quo commode nequit asportari, de facto tamen asportetur, cessat tum ius tum officium ministri funeris illud comitandi. Nec videtur adesse stricta obligatio ut alius minister advocetur ab iis quorum interest ad cadaver comitandum; practice tamen expedit omnino ut id fiat.

2° Excluditur a Codice ius parochi vel rectoris comitandi cadaver *cum stola et cruce elevata*, non autem absque ullo ritu litugico, ut fas est aliis fidelibus.

3° Si cadaver nequit commode asportari intra fines civitatis vel loci, utpote sat ampli, cessat obligatio ministri, non autem ius, si velit cadaver comitari.

2. Sedulo attendendum praescriptum can. 1232, § 1 : « Sacerdos qui cadaver comitetur ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire potest, *cum stola quoque et cruce elevata*, per territorium alius paroeciae vel dioecesis, etiam sine parochi vel Ordinarii licentia ».

1° Hoc ius libere transeundi per territorium alienum, *etiam cum stola et cruce elevata*, competit uni vel alteri aut pluribus sacerdotibus, si ecclesia funeris aut locus sepulturae valde distet, qui successive succedant. Nihil interest num plures sint paroeciae vel dioeceses, attentis expressis verbis can. 1232, § 1, nec praevie parochi vel Ordinarii consensus requiritur, ita ut delatio cadaveris fieri possit per se etiam iisdem insciis aut invitis, ex facultate ab ipso iure communi concessa.

2° Quod dicitur de sacerdote, intelligendum quoque est de aliis clericis et fidelibus qui processionaliter idest cum solemnitate liturgica comitentur cadaver.

749. Associatio cadaveris. — 1. Omnes clerici, saeculares et regulares, et quaelibet pia sodalitia possunt invitari ad cadaveris translationem; « clerici tamen ipsi ecclesiae addicti a familia vel heredibus prae aliis omnibus invitari debent » (can. 1233, § 1).

Ratio huius praescripti manifesta : supponitur clericos ecclesiae addictos servitium spirituale defuncto praestitisse. Agitur de stricta obligatione praeferendi aliis clericis addictos ecclesiae funeranti, sive talis

haec sit ex iure communi sive ex iure peculiari, v. g. in casu electionis (1).

Verba « *prae omnibus aliis* », referenda sunt ad clericos saeculares, non autem, ut quidam opinantur, ad religiosos, attento praesertim iure veteri ad normam can. 6, 4°.

Pia sodalitia et confraternitates intervenire possunt, sive expresse invitentur, sive sponte interesse velint, sive teneantur, v. g. si defunctus eis adscriptus fuerit (2).

2. Ius invitandi ad funus pertinet ad familiam aut heredes defuncti, seu ad eos quorum interest, non autem *per se* ad parochum vel rectorem qua talem ecclesiae funerantis (can. 1233, § 1).

3. Qui associant cadaver, tenentur morem gerere parocho seu sacerdoti circa ductum funeris, salvis uniuscuiusque praecedentiae iuribus (can. 1233, § 3).

4. Ad funera et multo minus in ecclesiam admitti nequeunt vexilla aut insignia manifeste impia et religioni adversa; quae si forte deferantur, clerus recedere debet, nisi inchoata sit iam Missa; tunc, ea absoluta, auctoritas ecclesiastica solemnem emittat protestationem de violata sanctitate templi et sacrorum functionum (3).

Admitti possunt etiam in ecclesia vexilla et insignia confraternitatum et piarum unionum ac societatum catholicarum, quae benedicta sunt (4).

(1) Associatio musicalis (vulgo *banda*), si funeri intersit, incedere debet ante utrumque clerum. Quod obtinet quoque in aliis processionibus. S. R. C. 7 dec. 1844.

(2) Licet catholicis, officii civilis causa, funeribus acatholicorum interesse, dummodo ab huiusmodi assistentia sine gravi damno eximi nequeant et nullo modo cum acatholicis in sacris communicent. S. C. S. Off. 13 ian. 1818, 30 iun.-7 iul. 1864.

(3) S. Paenit., 4 april. 1887; 22 mart. 1911.

(4) Benedici possunt vexilla earum dumtaxat societatum, quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica fuerint approbata ab eaque aliquo modo dependeant et aliquod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum, praeseferant. Statuta vero

Tolerari possunt vexilla nationalia in quibusdam circumstantiis, dummodo absit quilibet contemptus legum ecclesiasticarum (5).

Notandum, vexilla etiam benedicta, si de confraternitatibus sine saccis in habitu laicali agitur, post feretrum incedere debere, sicut et membra aliarum societatum (6).

750. Ritus servandi in funeribus. — 1. Praefinire horam levandi cadaver *per se* est parochi seu ministri, qui tamen ut palam est, morum gerere debet familiae et heredibus seu iis quorum interest. Item parocho competit ius determinandi viam et ordinem processionis ad normam legum liturgicarum. Si in cadavere deducendo ad ecclesiam funerantem, sit transeundum per alienam paroeciam, id a parocho illius paroeciae nullatenus potest vetari.

Antequam cadaver levetur, psalmus *De profundis* recitari, non cani debet (7).

Usus in delatione cadaveris ad ecclesiam plures absolutiones per viam faciendi potest tolerari (8).

2. Ius et officium deferendi stolam in funebri associatione competit ministro funeris, quicumque is sit; eamque defert licet per alienam paroeciam transire debeat. Parocho seu ministro competit ius deferendi stolam, etsi Capitulum cathedrale, quod tamen parocho praecedit, ad funus advocatum fuerit. Hoc tamen in casu dignior Capituli incedat cum stola et cum

approbari non possunt, nisi finis societatis sit aliqua ratione spiritualis sive religiosus. S. C. O. 3 sett. 1887; S. R. C. 14 iul. 1887.

(5) S. R. C. 11 april. 1902.

(6) Moniales extra clausuram non egrediuntur ratione funeris, sed cadaver monialis defunctae usque ad ianuam processionaliter comitantur. Ibi cappellanus recitat ps. *De profundis*, cadaver levat atque ad ecclesiam deducit.

(7) S. R. C. 20 nov. 1885.

(8) S. R. C. 23 april. 1895.

pluviali, quod tamen parochus deferre nequit; et idipsum servandum est si Capitulum ecclesiae collegiatae post parochum incedat, sed in locis tantum ubi viget consuetudo ut Capitulum ecclesiae collegiatae gaudeat praecedentia super parochum. Si parochus sit vicarius Capituli et canonicus, velitque inter canonicos incedere, nequit stolam deferre; quod, contra, facere potest si ante canonicos incedat (9).

Quaeri solet num cappellani confraternitatum possint stolam deferre. Attentis decretis hac de re latis a S. R. C., dicendum, eatenus permitti delationem stolae, quatenus adsit legitima consuetudo, secus non (10).

Si duo vel plures sacerdotes successive munere ministri funguntur, successive etiam stolam induunt vel deponunt.

Parochus seu minister qui cadaver ad ecclesiam electam exemptam deducit, stolam ad ingressum in ecclesiam deponere debet (11).

751. 3. Cadavera associanda sunt sub unica cruce, quae debet esse illius ecclesiae ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum cathedrale sub cuius cruce omnes incedere debent. Hoc ius non competit Capitulo collegiali, nisi forte ex legitima consuetudine aut privilegio.

4. Capitulum cathedrale potest interesse etiam non invitatum absque tamen praeiudicio heredum defuncti seu eorum quorum interest. Capitulum parocho praecedit; tamen parocho competit ius cadaver aspergendi et antiphonam *Exultabunt* inchoandi. Canonici non praecedunt nisi capitulariter et cum cruce Capi-

(9) S. R. C. 3 sept. 1746, 27 mart. 1824, 11 mart. 1837, 3 maii 1837, 5 nov. 1868.

(10) S. R. C. 22 dec. 1696, 28 april. 1703, 23 april. 1895.

(11) Ex rubricis novi Missalis exsequialis Missa celebrari potest etiam post longum tempus ab obitu vel depositione. Cfr. *Additiones et variationes in rubricis Missalis*, III, n. 4.

tuli interveniant. Haec competunt Capitulo collegiali tantum in casu, quo in eius favorem vigeat consuetudo aut privilegium (12).

5. Campanae pro funeribus nequeunt pulsari festis sollemnioribus, licet post sacras functiones funera permittantur. Contraria consuetudo improbanda est (13). Festa sollemniora ea sunt quae indicantur in n. 688

Usus tegendi ramis et floribus tumulos, qui eriguntur in ecclesia occasione funerum, potest tolerari (14). Pannus funebris qui super feretrum imponitur tam in via quam in ecclesia, debet esse niger. Non toleratur consuetudo cooperiendi feretra clericorum aliorumve velo perlucido cum fimbriis auratis, in ecclesia aut in via. Contra potest tolerari consuetudo cooperiendi feretrum pueri aut puellae panno ex lana aut serico albo in signum virginitatis; dummodo fascia nigri coloris, non in modum crucis superimponatur panno albo, ita ut in quatuor lateribus visibilis appareat (15).

In exsequiis parvulorum Missa diei currentis vel votiva Angelorum celebrari potest. Paramenta debent esse alba, etiam in maiori hebdomada.

Abusus est omnino eliminandus in feretro aut in tumulo imaginem defuncti ponere, dum pro eo exsequiae peraguntur. Feretro superimponi possunt insignia honorifica gradus et dignitatis atque stemmata gentilitia. Cadaver defuncti ita deferendum est, ut pedes sint versus crucem. In exsequiis sacerdotis crux locanda est ad caput eius, ita ut sit inter feretrum et altare.

Cadaver ad ecclesiam et coemeterium deferri potest quocumque modo apto ac decenti, sive manu sive curru, etiam eo qui vulgo *automobile* dicitur; laici cadaver, generis aut dignitatis cuiusque ille fuerit,

(12) S. R. C. 27 ian. 1883, 15 ian. 1897.
(13) S. R. C. 16 iul. 1893, ad VI.
(14) S. R. C. 22 april. 1871; 31 aug. 1872; 4 aug. 1905.
(15) S. R. C. 30 april. 1896.

clerici ne deferant (can. 1233, § 4). Dedecet insuper mulieres deferre cadavera etiam mulierum defunctarum. Non licet clericis sacris vestibus indutis deferre feretrum aut fimbrias panni funebris (16).

6. Quoad praecedentiam in funebri associatione servandae sunt normae generales et peculiares (cfr. n. 214).

752. Quaedam animadvertenda circa funus ubi agitur tantum de cineribus aut ossis. — 1. Interdum accidit ut cineres aut ossa eorum qui in exteris regionibus mortui sunt, in patriam transferantur ut ibi in sepulcro maiorum aut alio peculiari recondantur.

2. Interrogata S. R. C. de ritibus sacris servandis, has normas tradidit:

1° Cineres aut ossa possunt, post reditum in patriam, exponi in aliqua cappella ardenti, ut fieri solet in die obitus seu depositionis.

2° Clerus potest cineres et ossa comitari eadem solemnitate ac iisdem ritibus qui in die depositionis adhibentur.

3° Funus fieri potest in ecclesia aut saltem in aliqua cappella (17).

4° Ecclesia funerans ac minister determinantur ab ipsa familia defuncti vel ab iis quorum interest.

Articulus IX.

De taxis funeralibus.

753. Notio ac praefinitio. — 1. Nomine taxarum funeralium veniunt emolumenta sacris ministris persolvenda occasione funeris, ad necessarias impensas compensandas atque ad honestam eorundem sustentationem.

(16) S. R. C. 22 mart. 1862.
(17) S. R. C. 11 aug. 1888.

2. Can. 1234, § 1 statuit : « Locorum Ordinarii indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum, si non exsistat, pro suo territorio, de consilio Capituli cathedralis, ac, si opportunum duxerint, vicariorum foraneorum dioecesis et parochorum civitatis episcopalis, conficiant, attentis legitimis consuetudinibus particularibus et omnibus personarum et locorum circumstantiis; in eoque pro diversis casibus iura singulorum moderate determinent, ita ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio ». Proinde :

1° Ordinarii locorum *tenentur* indicem taxarum funeralium conficere, si consuetudine aut statutis dioecesanis iam praefinitus non fuerit.

2° Pro suo quisque territorio Ordinarii debent indicem conficere, nec ulla S. Sedis approbatio vel confirmatio requiritur ut vi polleat. Potest etiam confici in Concilio plenario aut provinciali aut extra Concilium, omnibus Ordinariis totius provinciae vel regionis consentientibus; quo in casu index vim suam obtinebit, nulla item S. Sedis requisita approbatione.

3° Ordinarius *debet* exquirere consilium Capituli cathedralis, rationem habere consuetudinem particularium et locorum ac personarum circumstantiarum, singulorum iura clare, accurate moderateque determinare. Si opportunum duxerit, poterit etiam consilium petere vicariorum foraneorum et parochorum civitatis episcopalis. Ratio huius consilii petendi manifesta : vicarii foranei testari valent de consuetudinibus peculiaribus extra civitatem, parochi civitatis de consuetudinibus intra civitatem, ac praeterea horum omnium eorumque quos vicarii foranei repraesentant index taxarum maxime interest.

4° Plures funerum classes (pro divitibus, quasi divitibus, fere pauperibus) praefiniri possunt, etiam aliae pro paroeciis ruralibus et aliae pro paroeciis urbanis, singulis peculiari taxa assignata (can. 1234, § 2).

5° Tenentur servare indicem statutum omnes sa-

cedotes et ecclesiae intra dioecesis fines, ipsi quoque religiosi exempti ad normam can. 631, § 1. Vetitum omnino est quidquam petere seu exigere ultra taxam dioecesanam (can. 1235, § 1). Si quid forte petitum fuerit ultra taxam praedictam, restituendum est.

6° Pauperes gratis omnino funerari et sepeliri debent, cum exsequiis secundum liturgicas leges et dioecesana statuta praescriptis (can. 1235, § 2). Unde statuta dioecesana ipsa determinare ac praescribere debent qua ratione exsequiae pauperum, secundum leges liturgicas, gratis persolvendae sint. Huc spectant quae alibi dicta sunt (n. **719**).

3. Emolumenta quaelibet, ocasione funerum, obvenire debent ministro ecclesiae funerantis, salva portione paroeciali et salvis iuribus aliorum clericorum, piarum unionum, confraternitatum et ceterorum.

754. Portio paroecialis. — 1. Hoc nomine intelligitur pars quaedam detrahenda ex bonis quae obveniunt ecclesiae funeranti, solvenda parocho proprio defuncti ab eadem ecclesia funerante.

Variis nominibus vocari solet: *portio canonica, quarta funeralis, quarta portio*, etc.

Parochus *proprius* lato sensu accipitur, scil. etiam pro rectore et cappellano qui in determinato territorio aut in determinatas personas iura parochi exercent.

755. 2. « Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat » (can. 1236, § 1).

1° Eatenus portio paroecialis solvenda est, quatenus ius particulare aliud non statuat, v. g. consuetudo, privilegium, praescriptio, conventio etc. Hinc canon consulto dicit: « *Salvo iure particulari* ».

2° Verba « *quoties fidelis* », ita sunt intelligenda ut non solum laici, sed etiam clerici et religiosi comprehendantur nisi ius peculiare vigeat in eorundem favorem.

3° Verba « *quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria* », ita sunt intelligenda, ut agatur de funere legitime facto, non autem contra ius. Si enim tumulatio fieret contra ius, nedum portio paroecialis, verum omnia emolumenta reddenda forent parocho proprio.

4° Casus frequentiores in quibus funus legitime peragitur extra propriam ecclesiam paroecialem, ideoque solvenda portio paroecialis, sunt isti :

a) casus sepulturae electivae, de qua supra;

b) casus sepulcri maiorum extra propriae paroeciae ecclesiam erecti;

c) casus sepulcri beneficialis pro beneficiariis residentialibus;

d) casus sepulcri peculiaris pro coetu personarum seu pro determinata persona morali, de quo suo loco (n. **709**).

5° Nomine parochi *proprii* venit parochus domicilii aut quasi-domicilii, Superior religiosus, cappellanus hospitalis vel piae domus a parochi potestate subductae, cappellanus monasterii et cuiuslibet religionis laicalis exemptae aut etiam non proprie exemptae quae tamen in ordine ad funera exemptione gaudeat, rector Seminarii.

6° Portio paroecialis non debetur parocho vel rectori ecclesiae electae aut sepulcri maiorum, si defunctus ibi non sepeliatur quia v. g. longe decessit, ita ut commode transferri nequeat.

7° Verba « *excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat* », mutant ius vetus seu antiquam disciplinam passim a canonistis traditam. Quare, iure vigente, si quis longe a propria paroecia moriatur, non electa sibi ecclesia

funerante, in ecclesia paroeciae decessus sepeliendus est, si ii quorum interest illum transferendum non curent ad propriam paroeciam; parochus autem paroeciae decessus omnia funeris emolumenta percipit nullique portionem canonicam solvere tenetur.

756. 3. « Si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver commode deferri posset, et alibi funeretur, portio paroecialis dividenda est inter omnes parochos proprios » (can. 1236, § 2). Haec verba difficultate non carent, quia Codex ius cumulativum funus faciendi excludit. Proinde verba restringenda sunt ad casum in quo quis habeat v. g. duo domicilia et sepeliatur in tertio loco; tunc portio paroecialis aequaliter dividenda est inter duos parochos (1).

Unde si fidelis, plures paroecias proprias habens, in una earum decesserit, et in ecclesia electa sepeliatur, portio paroecialis solvenda est tantum ecclesiae paroeciali propriae in qua decessit, quamvis ad alios commode transferri valeat. Pariter si fidelis duas paroecias habeat et moriatur extra easdem, in loco tamen ex quo ad unam tantum commode transferri possit, huic non vero alii paroeciae propriae portio solvenda est, si forte alibi funeretur.

4. Portio paroecialis, proprie loquendo, solvenda est ab ecclesia tumulante, non vero a familia aut heredibus defuncti. Dicimus *proprie loquendo* : practice standum consuetudini et dioecesanis statutis.

757. 5. « Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana » (can. 1237, § 1).

1° Portio paroecialis non est detrahenda ex funere diei septimae aut trigesimae, quia huiusmodi functio

(1) Cfr. Many, op. cit., n. 202, 5°; Ferreres, *Le confraternite*, n. 271; Matth. a Coronata, op. cit., n. 248.

non est funus proprie dictum. Tamen si « quacumque de causa primum sollemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex huius etiam funeris emolumentis debetur » (can. 1237, § 2). Nomine officii sollemnis funebris venit v. g. Missa cantata et a fortiori Missa sollemnis seu cum ministris, peculiari pompa et apparatu et magno concursu fidelium celebrata, praesertim si in die depositionis exsequiae ritu simplicissimo peractae fuerint.

2° Verba « *a die tumulationis* » intelligenda sunt stricto sensu. Significant nempe diem qua tumulatio seu funus de facto locum habuerit, licet forte ex aliqua causa accidentali sepultura ad plures die dilata fuerit. Hinc patet mensem completum supputandum non esse a die obitus. Supputatio in casu facienda est ad normam can. 34, § 3, 1°, 3° et 4°.

758. 6. Quantitas portionis paroecialis determinanda est in taxa dioecesana; et si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas eiusmodi portionis attendenda est secundum taxam ecclesiae funerantis (can. 1237, § 3).

1° Episcopus obligatione tenetur praefiniendi portionem paroecialem ad normam can. 1234, § 1.

2° Quantitas deteminari potest multiplici modo; v. gr. praefiniendo taxative portionem pro variis funerum classibus, aut praefiniendo taxas funerum universim earumque partem paroeciali portioni assignando.

3° Potest statui portio paroecialis aut quarta aut tertia aut etiam dimidia pars emolumentorum; non tamen ultra, generatim loquendo. In ea statuenda, consuetudo et peculiaria locorum adiuncta spectanda sunt.

Articulus X.

De iis quibus concedenda vel deneganda est sepultura ecclesiastica.

759. Quibus concedenda.— 1. « Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi eadem a iure expresse priventur » (can. 1239, § 3). Ius ad sepulturam ecclesiasticam oritur ex baptismo, quo quis efficitur persona in Ecclesia Christi fitque capax iurium et officiorum (n. 183). Sepultura ecclesiastica quoad baptizatos, qui eadem expresse non priventur, ius et officium simul est.

2. « Catechumeni, qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt » (can. 1239, § 2). Ratio est, quia catechumeni vi baptismi flaminis merito praesumuntur Christo iam uniti. Attamen inter baptizatos et catechumenos hoc datur discrimen : isti non habent ius strictum ad sepulturam ecclesiasticam, illi contra habent huiusmodi ius.

760. Quibus neganda sepultura ecclesiastica. — 1. « Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint » (can. 1239, § 1).

In dubio de valore aut de facto baptismi, sepultura concedenda est. Inter non baptizatos comprehendendi sunt etiam infantes parentum catholicorum sine baptismo decedentes.

2. Privantur ex delicto :

1° « Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae, aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti » (can. 1240, § 1, 1°).

Haeretici et schismatici qua tales eatenus privantur sepultura ecclesiastica, quatenus sint addicti

sectae haereticae vel schismaticae, et quidem *notorie*, i. e. palam sive manifeste. Apostatae, contra, subsunt privationi sepulturae, licet nulli sectae adscripti sint. Sedulo tamen notandum, haereticos et schismaticos, etiam sectae non addictos, privari posse ecclesiastica sepultura ex alio capite, scil. qua peccatores publicos et manifestos. Idipsum valet de iis qui addicti sint sectae massonicae et aliis eiusdem generis sectis, v. g. carbonariae, nihilisticae etc.

2° « Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam » (can. 1240, § 1, 2°).

Ante sententiam, eatenus privantur, quatenus, ut supra, sint publici et manifesti peccatores.

3° « Qui se ipsi occiderint deliberato consilio » (can. 1240, § 1, 3°).

Deliberatum consilium plenam cognitionem ac libertatem requirit. Insania non praesumitur, sed probari debet saltem ex indiciis et coniecturis, praesertim vero ex medici attestatione.

4° « Mortui in duello aut ex vulnere inde relato » (can. 1240, § 1, 4°).

Sufficit duellum privatum, licet sine patrinis ceterisque sollemnitatibus forte habitum, dummodo fuerit ex condicto.

5° « Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi » (can. 1240, § 1, 5°). Huc spectant quae alibi dicta fuerunt (n. **707**).

6° « Alii peccatores publici et manifesti » (can. 1240, § 1, 6°).

Publicum opponitur occulto et complectitur tum notorium manifestum tum publicum simpliciter, i. e. tale sensu specifico. Requiritur et sufficit in casu grave peccatum repetitum, seu status peccati. Satis non est culpa lethalis semel aut bis tantum admissa. Huiusmodi peccatores, privandi ecclesiastica sepultura, sunt publici concubinarii, usurarii, praecepto an-

nuae confessionis et communionis non satisfacientes, officia vitae christianae v. g. auditionem Missae in diebus dominicis et festis de praecepto habitualiter negligentes.

761. 3. Privatio sepulturae ecclesiasticae habet rationem poenae. Supponit igitur delictum, et quidem grave atque externum, nec ultra casus a iure expresse recensitos ullatenus extendi potest. Privatio incurritur *ipso facto*, at sedulo attendenda conditio : « *nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa* » (can. 1240, § 1).

Non requiruntur certa et manifesta signa poenitentiae. Requiritur et sufficit signum quodcumque, etiam mere probabile poenitentiae; v. g. si moribundus crucifixum osculatus fuerit, si actum contritionis elicuerit, si aliquas preces aut pias iaculatorias recitaverit, etc. Satis est testis unus qui de huiusmodi signo deponat.

Omnes apostatae, haeretici, schismatici et alii, de quibus supra (n. 760), si poenitentiae signum dederint, ius habent ad ecclesiasticam sepulturam ideoque *possunt* et *debent* sepeliri ritu sacro ex Codicis praescripto.

In casibus dubiis, consulendus est Ordinarius, si tempus suppetat; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradendum est, ita tamen ut removeatur scandalum (can. 1240, § 2).

Dubium potest respicere praesertim existentiam aut notorietatem delicti vel adscriptionis sectae aut existentiam signi poenitentiae; ex. gr. num Titius sit notorie addictus sectae haereticae aut schismaticae, num deliberato consilio se occiderit, num peccator sit publicus et manifestus, etc.

Scandalum removendum est ex ipso iure divino, et quidem etiam extra casus dubios, quoties sepultura ecclesiastica publicis peccatoribus conceditur.

Modus aptior et facilior scandalum removendi est divulgatio signi poenitentiae a moribundo praestiti.

762. Quid secumferat privatio sepulturae ecclesiasticae. — 1. « Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria » (can. 1241).

1° Privatio sepulturae ecclesiasticae excludit quemcumque ritum sacrum, sacerdotis interventum, delationem cadaveris in ecclesiam eiusque tumulationem in loco sacro (cfr. n. **711**), seu totum exsequiarum ordinem ad normam legum liturgicarum.

2° Prohibetur quoque Missa exsequialis non solum in die obitus seu depositionis, verum etiam anniversaria atque in die tertio, septimo ac trigesimo. Vetantur officia *publica*, non autem privata. Proinde Missa privatim, remoto scandalo, celebrari potest pro huiusmodi defunctis itemque alia suffragia fieri possunt (1).

Articulus XI.

De libro et inscriptione defunctorum.

763. Liber defunctorum. — 1. Inter libros paroeciales, de quibus in can. 470, recensetur quoque *liber defunctorum*.

2. Gravis est obligatio parochi hunc librum habendi eumque diligenter conscribendi atque accurate asservandi.

764. Inscriptio. — 1. « Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus

(1) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 618 ss.

mortis, quis et quae sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis » (can. 1238).

Igitur haec describi debent : nomen et cognomen defuncti, eius aetas, nomen et cognomen parentum, nomen et cognomen coniugis, si de coniugato agatur, tempus mortis, seu hora, dies, mensis et annus, quis et quae sacramenta ministraverit, locus et tempus tumulationis.

2. Descriptio facienda est secundum formulam *Ritualis Rom.* (1) aut aliam ab Ordinario loci praefinitam aut legitima consuetudine inductam.

3. Fieri debet adnotatio a ministro seu a parocho, qui ius et officium habet librum defunctorum, ut alios, scribendi et custodiendi.

4. Quoad testimonium exscribendum, correctionem faciendam etc., vide n. **541.**

CAPUT III.

DE CENSURA LIBRORUM EORUMQUE PROHIBITIONE

Articulus I.

De censura librorum.

765. Quid veniat nomine libri. — 1. Tres conditiones requiruntur ad librum proprie dictum constituendum : 1° unitas materiae; 2° quantitas sat notabilis materiae, generatim non infra 180 circiter paginas; 3° impressio typis facta. Si desit una aliave ex iis conditionibus deest genuinus libri conceptus.

2. Tamen quae Codex praescribit de praevia censura librorum eorumque prohibitione, applicantur, nisi aliud constet, etiam publicationibus diariis, periodicis et aliis scriptis editis quibuslibet.

(1) Tit. XII, cap. 5.

766. Praevia censura librorum. —1. Nomine censurae hic intelligitur iudicium auctoritativum idest latum a competente auctoritate ecclesiastica de doctrina alicuius libri. Superior nempe ecclesiasticus videt et auctoritative decernit, utrum liber quidquam contineat contra fidem vel mores aut disciplinam; utrum, perpensis omnibus circumstantiis, noxius sit fidelibus necne; utrum ex lectione aliquod damnum spirituale seu religiosum obvenire queat necne.

2. Subsunt praeviae censurae ecclesiasticae, ex parte omnium fidelium, etiam laicorum :

1° Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria, quaecumque ea sint etiam breviora;

2° Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant, v. g. quae de liceitate alicuius actionis, de conformitate necne alicuius doctrinae cum principiis religionis catholicae, etc. agunt.

3° Libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliaque huiusmodi, licet ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum onestatis *peculiariter* intersit. Haec postrema verba referuntur ad libros, libellos et scripta omnia, etiam de rebus non stricte religiosis, in quibus tamen habeatur peculiaris respectus ad materias religiosas seu morales. Hinc naviter attendenda vox « *peculiariter* », quae praecise denotat rationem et ambitum censurae ecclesiasticae; ex. gr. tempore Concilii Vaticani publicationes de R. Pontificis infallibilitate peculiariter intererant religionis; ita nostris diebus disputationes de modernismo.

4° Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive non.

767. 3. Licentiam edendi libros et imagines de quibus supra (n. 766) dare potest vel loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines publici iuris fiunt, vel Ordinarius loci in quo imprimuntur, ita tamen ut si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, auctor nequeat eam ab alio Ordinario petere, nisi eumdem certiorem faciat de licentia ab alio denegata (can. 1385, § 2).

Tres igitur sunt Ordinarii competentes ad censuram ferendam de libris sive scriptis atque ad licentiam edendi tribuendam.

Verba « *publici iuris fiunt* » significant editionem libri, non simplicem impressionem, seu locum ubi libri eduntur iuridice seu publice venduntur aut divulgantur; idque verificatur, practice loquendo, ubi existit bibliopola seu officina libraria. Interdum Ordinarius proprius auctoris et loci ubi libri publici iuris fiunt vel imprimuntur, potest esse unus atque idem. Censemus requiri ad liceitatem tantum, non autem ad valorem, ut Ordinarius alius certior fiat de licentia ab alio Ordinario denegata. Religiosi, praeter licentiam Ordinarii loci, indigent quoque licentia sui Superioris maioris, quae ante illam postulanda obtinendaque est (can. 1385, § 3).

4. Licentia est permissio edendi librum sive scriptum aliquod a competente Superiore ecclesiastico facta. Haec permissio seu licentia supponit praeviam censuram libri et quidem favorabilem ita ut nihil obstet quominus ille imprimatur.

768. Censores. — 1. In omnibus Curiis episcopalibus adesse debent censores ex officio qui libros ceteraque scripta edenda naviter examinent suumque ferant iudicium.

Isti censores in officio suo obeundo debent omnem personarum acceptionem deponere et dumtaxat prae oculis habere Ecclesiae dogmata et communem catholicorum doctrinam quae Conciliorum generalium decretis aut S. Sedis constitutionibus ac probatorum doctorum consensu continetur (can. 1393, §§ 1 et 2). Hinc patet censores iudicium ferre teneri iuxta communem et certam doctrinam, non autem iuxta privatam opinionem suam aut aliorum, nec in iudicio ferendo hanc aut illam scholam vel sententiam esse praeferendam.

2. Censores ex utroque clero possunt eligi, qui aetate, eruditione ac prudentia emineant quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant (can. 1393, § 3), seu qui nec laxismo faveant nec in rigorismum declinent.

3. Censores debent scripto sententiam dare; id tamen non videtur requiri ad valorem. Si sententia fuerit favorabilis, Ordinarius potestatem edendi facit, cui tamen praeponendum est censoris iudicium, eius nomine et cognomine clare indicatis.

Solum in aliquo casu extraordinario et valde raro poterit, prudenti Ordinarii arbitrio, mentio censoris omitti. Nomen censoris numquam patere debet auctori antequam ille sententiam favorabilem dederit (can. 1393, §§ 4 et 5).

4. Censores libere designantur a loci Ordinario. Nominari possunt sive in Synodo dioecesana sive extra, sive ad tempus praefinitum, sive ad tempus indeterminatum; semel electi ad nutum Ordinarii mutari possunt, iusta tamen causa et aequitate intercedente.

Numerus maior minorve sit oportet, pro dioecesis amplitudine, maxime vero pro maiore aut minore numero librorum qui praeviae censurae subiiciendi sunt.

769. Licentia concedenda vel deneganda. — 1. Licentia nonnisi post censuram concedi potest eaque danda est in scriptis; et imprimi debet in principio aut in fine libri, folii vel imaginis, expresso tum nomine concedentis, tum loco et tempore concessionis (can. 1394, § 1).

2. Si forte licentia deneganda videatur, rationes denegationis indicandae sunt auctori roganti, nisi gravis causa aliud exigat. Si auctor non exquirat rationes denegatae licentiae, nulla datur obligatio eas manifestandi (can. 1394, § 2).

3. Ordinarius, licet censor sententiam faventem ediderit, non tenetur licentiam edendi concedere, si aliud sibi in Domino videatur. Idem Ordinarius, si velit potest pluribus successive censoribus librum aliquem examinandum tradere.

770. Peculiare praescriptum clericos et religiosos respiciens. — 1. Clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, religiosi sine licentia Superioris maioris et Ordinarii loci, nequeunt edere libros qui de rebus profanis agant, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere aut eadem moderari (can. 1386, § 1). Ordinarius loci in casu est ille in cuius dioecesi libri seu scripta publici iuris fiunt aut imprimuntur.

Attenditur collaboratio habitualis vel saltem frequens, ad diaria vel folia periodica quod attinet; item moderatio consideratur proprie dicta sive principalis, non autem mere secundaria. Hoc praescriptum *per se* grave est.

2. In diariis, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, ne laici quidem catholici scribere quidpiam possunt, nisi iusta ac rationabili causa suadente, quae praevie fuerit ab Ordinario loci probata (can. 1386, § 2). Ver-

ba « *impetere solent* » significant agi de iis tantum diariis vel foliis aut libellis periodicis, quae aut semper vel fere semper seu frequenter impetunt catholicam religionem vel bonos mores. Catholici etiam laici vetantur in iisdem conscribere dissertationes quoque seu articulos de re indifferenti aut de re forte optima, sine causa iusta legitime ab Ordinario probata (1).

Articulus II.

De prohibitione librorum.

771. Notio et auctor prohibitionis. — 1. Nomine prohibitionis intelligitur vetitum a competente auctoritate ecclesiastica latum, quod efficit ut liber sive scriptum sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit (can. 1398, § 1).

Unde ex prohibitione sex actus vetantur: libri editio (quae, proprie loquendo, non est confundenda cum impressione), lectio, retentio, venditio, versio, communicatio cum aliis. Haec omnia sub gravi *per se* urgent.

2. Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam dederit vel qui librum prohibuit vel eius Superior aut successor (can. 1398, § 2).

772. 3. Auctor prohibitionis est vel Sedes Apostolica pro universa Ecclesia, vel pro suis subditis Concilia quoque particularia (plenaria et provincialia) et

(1) De aliis quae librorum censuram respiciunt quaeque nos brevitatis causa omittenda censemus vide can. 1387-1392.

Ordinarii locorum. Ab hac prohibitione datur recursus ad S. Sedem, sed solum in devolutivo, non autem in suspensivo (can. 1395, §§ 1 et 2).

Etiam Abbas monasterii sui iuris et supremus religionis clericalis exemptae moderator est auctor legitimus prohibitionis, quatenus potest, cum suo capitulo vel consilio, ex iusta causa libros suis subditis prohibere; idem, si periculum sit in mora, possunt alii Superiores maiores cum proprio consilio, ea tamen lege ut rem quam primum deferant ad supremum moderatorem (can. 1395, § 3). Interventus capituli vel consilii in casu videtur ad valorem necessarius, saltem extra casum gravissimae et urgentis necessitatis.

4. Libri a Sede Apostolica damnati ubique locorum et in quamcumque vertantur linguam prohibiti censentur (can. 1396).

773. Quinam libri sint ipso iure prohibiti — 1. Ex canone 1399 ipso iure prohibentur:

1° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quodcumque idioma, ab eisdem acatholicis confectae vel editae.

Ratio prohibitionis est publicatio vel editio facta ab *acatholicis*, de quibus semper fundata suspicio adest vel adesse censetur.

2° Libri quorumvis scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes aut qui ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nituntur.

Dicuntur *propugnare* haeresim vel schisma libri qui defendunt, docent, inculcant. Sunt *religionis fundamenta* illae veritates quae respiciunt possibilitatem et naturam divinae revelationis, motiva credibilitatis seu prophetias et miracula, etc.

3° Libri qui religionem aut bonos mores data opera impetunt.

Dicitur « *data opera* » seu ex professo, non obiter et fere per accidens.

4° Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

Dicitur « *ex professo* », seu necesse est ut finis quem sibi proponit auctor sit disserendi de religione, ita ut totus liber aut saltem maior pars eiusdem agat de rebus ad ipsam religionem spectantibus. Praesumptio, cum agatur de acatholicis, est contra; attamen agitur de praesumptione iuris, quae veritati cedit, ideoque consulto apponitur clausula : « *nisi constet*, etc. ».

5° Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria, edita sine praevia censura et absque necessaria licentia Superioris ecclesiastici; item versiones Scripturarum in linguam vernaculam typis impressae, absque praevia approbatione S. Sedis, aut editae independenter a vigilantia Episcoporum et sine annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus ad normam can. 1391; pariter libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula narrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint absque praevia censura et licentia auctoritatis ecclesiasticae competentis.

6° Libri qui impugnant vel deridٍent quodlibet ex catholicis dogmatibus, qui errores a S. Sede proscriptos tuentur (non autem si simpliciter exponant), qui cultui divino detrahunt (sive id fiat per modum irrisionis, sive per modum impugnationis aut calumniae), qui disciplinam ecclesiasticam (leges universim latas ab Ecclesia, praxim agendi, institutiones, obedientiam legitimis Superioribus ecclesiasticis praestan-

dam) evertere contendunt, idest *ex proposito*, non autem obiter tantum; demum libri qui data opera seu ex professo ecclesiasticam hierarchiam (sive ordinis sive iurisdictionis, sive iuris divini, sive iuris ecclesiastici), aut statum clericalem vel religiosum probris (nempe derisione, iniuriis, contumeliis, calumniis) afficiunt.

7° Libri qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum aliaque id genus docent vel commendant.

Docere non est idem ac exponere, narrare aut referre, sed aliquid amplius significat. *Commendare* idem est ac positive recognoscere, approbare, insinuare, suadere, ita ut legentes alliciantur ut probe ea addiscant.

8° Libri qui duellum vel suicidium aut divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis aliisve eiusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt.

Requiritur, ut non obiter tantum, sed *data opera* id agant.

9° Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent.

Requiritur talis tractatio vel narratio, ut inde quasi excitatio vel inductio ad res turpes habeatur, quae practice vix abest, quando huiusmodi res absque gravi et iusta causa, ut fit ex. gr. a theologo moralista, exponantur. Attendenda verba « *ex professo* », quae excludunt tractationem vel narrationem accidentaliter et obiter factam.

10° Editiones librorum liturgicorum a S. Sede approbatorum in quibus quidpiam mutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a S. Sede approbatis non congruant.

11° Libri quibus divulgantur indulgentiae apocryphae vel a S. Sede proscriptae aut revocatae.

Ratio prohibitionis, ut in numero praecedenti, est gravis irreverentia in Sedem Apostolicam et contemptus saltem virtualis eiusdem supremae auctoritatis.

12° Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Iesu Christi, B. Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae.

Sedulo attendenda verba « *quoquo modo* », quae comprehendunt non solum impressionem typis factam, sed quacumque alia forma et ratione (1).

774. 2. Libri de quibus in can. 1399, 1° et libri editi contra praescriptum can. 1391 (n. **773**, 5°), iis dumtaxat permittuntur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis vel adnotationibus dogmata catholicae fidei (can. 1400).

775. Usus librorum prohibitorum et licentia quoad ipsos. — 1. Cardinales et Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, adhibitis necessariis cautelis, prohibitione ecclesiastica librorum non adstringuntur (can. 1401). Nomine Ordinarii intelligitur etiam Superior maior religionis clericalis exemptae.

2. Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso iure vel decreto S. Sedis prohibitos, concedere suis subditis valent, pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus (can. 1402, § 1). Ordinarii, ut supra, intelliguntur omnes ii de quibus in can. 198, § 1 (n. **263**).

(1) De excommunicatione speciali modo Sedi Apostolicae reservata contra legentes vel retinentes quosdam libros statuta, vide can. 2318; Cappello, *De censuris*, n. 224 ss.

Nomine *subditorum* censemus comprehendi non solum qui habent domicilium vel quasi-domicilium in dioecesi, verum etiam omnes actu in ea commorantes. Duplex conditio in cit. can. 1402, § 1, expresse memorata ad valorem licentiae verius postulatur.

3. Si Ordinarii obtinuerint a S. Sede generalem facultatem permittendi suis subditis ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et iusta ac rationabili causa concedant (can. 1402, § 2). Delectus et causa iusta et rationabilis ad liceitatem requiruntur, non verius ad validitatem licentiae.

4. Qui facultatem a S. Sede obtinuerit legendi et retinendi libros prohibitos, nequit vi huiusmodi permissionis legere ac retinere libros quoslibet a suis Ordinariis proscriptos, nisi in rescripto Sedis Apostolicae expresse quoque facta fuerit potestas legendi libros a *quibuslibet* damnatos. Praeterea gravi obligatione tenetur libros prohibitos ita caute custodiendi, ut ad aliorum manus nullatenus perveniant (can. 1403).

776. 5. Naviter distinguenda prohibitio iuris naturalis a prohibitione iuris positivi. Haec aliquando potest cessare ex licentia legitime obtenta, illa adhuc manente. Unde merito can. 1405, § 1 statuit: « Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum praestant ». Quare facultas legendi libros prohibitos semper sub conditione conceditur, nimirum ne ullum sit proximum periculum animae.

Si forte in casu particulari huiusmodi periculum cesset, non ideo cessat prohibitio iuris positivi ad normam can. 21 (n. **100**, 4) (2).

(2) Quid requiratur ad constituendam gravitatem materiae in lectione vel retentione; an et quaenam causae excusent a retentione et lectione, et alia id genus, vide apud Cappello, *De censuris*, n. 233 ss.

CAPUT IV.

DE SEMINARIIS.

ARTICULUS I.

De Seminarii notione, divisione, constitutione et necessitate.

777. Notio. — Seminarium est *collegium ecclesiasticum, a competente auctoritate constitutum, ubi adolescentes ad statum clericalem instituuntur.*

Dicitur: *a) collegium ecclesiasticum,* ut Seminarium ab aliis collegiis distinguatur, quae ratione finis, erectionis et regiminis ecclesiastica non sunt; — *b) a competente auctoritate constitutum,* quia Seminarium, cum sit collegium ecclesiasticum, concipi nequit independenter ab auctoritate Ecclesiae, cuius tantum est illud erigere ac moderari aut immediate per R. Pontificem aut per Episcopos; — *c) ubi adolescentes ad statum clericalem,* quia Seminaria non consulunt rectae puerorum in genere institutioni, ut cetera collegia, sed eorum dumtaxat qui clericalem fovent vocationem; — *d) instituuntur,* quia in Seminario traditur recta institutio, qua rite iuvenes praeparentur ad statum ecclesiasticum, ea nempe quae tum intellectum tum voluntatem respicit, i. e. scientiam, pietatem, bonos mores, exercitium omnium virtutum.

778. Divisio. — 1° Ratione *studiorum* Seminaria alia sunt *maiora,* alia *minora.* Ea dicuntur *maiora,* in quibus disciplinae philosophicae et theologicae traduntur; *minora,* in quibus disciplinae litterariae excoluntur (1).

(1) Alicubi cursus philosophicus censetur pertinere ad Seminarium minus. At minus recte secundum Codicis terminologiam (can. 1354, § 2).

2° Ratione *territorii* alia sunt *dioecesana*, alia *interdioecesana*, prout uni tantum dioecesi inserviunt aut pluribus, ex. gr. dioecesibus totius provinciae vel regionis aut regni. Unde Seminaria *provincialia*, *regionalia* et *nationalia*.

3° Ratione *erectionis* alia sunt *pontificia*, alia *episcopalia*, prout a S. Sede vel ab Episcopis constituta sunt. Seminaria interdioecesana generatim sunt pontificia (2).

779. Constitutio. —1. Unius auctoritatis ecclesiasticae est Seminaria erigere erectaque congruis aptisque legibus moderari. Ecclesiae quippe ius *proprium* et *exclusivum* competit eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt (can. 1352). Complura sunt documenta hac de re sapientissime lata a Sede Apostolica.

2. Hinc sequitur ad Ecclesiam tantum pertinere, quovis interventu civilis potestatis excluso, ius eri-

(2) Quidam dividunt etiam in *pura* et *mixta*, prout admittuntur tantum candidati ad statum clericalem vel etiam alii iuvenes ratione dumtaxat studiorum. Consulto hanc divisionem omittimus, quia Seminarium *proprie dictum*, ad normam sacrorum canonum, est purum, i. e. in eo nonnisi qui fovent clericalem vocationem instituuntur. At non censentur *mixta* Seminaria, si alumni *externi* scholas eorundem tantum frequentent, quin diu noctuque in eis commorentur.

Seminaria *mixta* sunt omnino vetita. Sane Pius XI in litteris ad Card. Bisleti, Praefectum S. C. de Seminariis et Universitatibus studiorum, die 1 aug. 1922 datis, haec statuit: « Illud enimvero maxime Nobis est curae, modisque omnibus efficiendum est, quod decessores Nostri Leo XIII et Pius X saepius *praeceperunt*, ut sacra Seminaria, nisi ad eam rem, cuius causa condita sunt, ne adhibeantur, id est ad sacrorum administros, ut oportet, instituendos. *Quare non modo in eis locus esse non debet pueris vel adolescentulis, qui nullam ad sacerdotium praeferant propensionem voluntatis — horum enim consuetudo clericis mirum quantum obest* — sed etiam cum pietatis exercitationes, tum ratio studiorum, tum ipsum gubernationis genus huc omnino spectent oportet, ut ad perfunctionem divini muneris accommodate alumnorum animi praeparentur. *Haec esto Seminariorum omnium, nullo excepto, sanctissima lex* ». *A. A. S.*, XIV, 449.

gendi Seminaria tam maiora quam minora, normas praefiniendi pro alumnorum institutione, ac proinde *magistros* deputandi, *libros* eligendi, *methodum* et *programma* studiorum statuendi, *disciplinam vitae* determinandi (3).

3. Auctoritas competens, ad Seminarium constituendum est R. Pontifex pro tota et universa Ecclesia, ut patet, et Episcopus (cuius nomine venit etiam Abbas vel Praelatus *nullius*) pro sua dioecesi.

4. Unaquaeque dioecesis Seminarium habere debet « in loco convenienti ab Episcopo electo » (can. 1354, § 1).

1° Proinde regula generalis hodie est, ut singulae dioeceses suum habeant Seminarium.

2° *Locus magis conveniens*, ubi erigatur Seminarium, est prope ecclesiam cathedralem; sed, propter circumstantias peculiares, Episcopus potest alium locum praefinire.

3° Ad Episcopum spectat ius eligendi locum, ubi Seminarium erigatur. Ad id Capituli cathedralis consensu vel consilio non indiget. Practice tamen expedit ut Episcopus capitularium aliorumque exquirat sententiam.

780. 5. Si congregationi aut ordini religioso sit Seminarium commissum ab Episcopo, omnia praescripta Codicis adamussim servanda sunt, quia nec Episcopus nec Superior religiosus a iure communi dispensare valet. Si commissum sit a S. Sede, videndum in singulis casibus *an* et *quaenam* derogationes seu dispensationes latae fuerint, v. g. de coetu deputatorum, de iure nominandi rectorem et magistros.

781. 6. « Curandum est in maioribus praesertim dioecesibus ut bina constituantur Seminaria, *minus*,

(3) Cfr. Cappello, *Summa iuris publ. eccl.*, n. 404.

scilicet pro pueris litterarum scientia imbuendis, *maius*, pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus » (can. 1354, § 2).

1° Agitur de norma *praeceptiva*, non autem mere directiva, ubi dioecesis sit ampla et utilitas seu necessitas pluralitatem Seminariorum postulet.

2° Si dioecesis sit valde ampla et alumnorum numerus maximus, non solum duo, sed tria quoque seu plura erigi possunt Seminaria, prout Episcopo opportunum visum fuerit.

3° Si unum sit Seminarium et alumni in iisdem aedibus commorentur, debitae cautelae adhibendae sunt, ut aetate minores et maiores seorsim instituantur propriaque uniuscuiusque aetatis disciplina religiose servetur.

4° Duo Seminaria, si exsistant in una eademque dioecesi, per se sunt invicem independentia, alterum alteri minime subiectum, nisi forte Episcopus aliud diserte statuerit (4).

782. 7. Ubi Seminarium dioecesanum constitui nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in disciplinis philosophicis et theologicis, desideretur, Episcopus debet alumnos mittere in alienum Seminarium, « nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum fuerit » (can. 1354, § 3).

1° Est praeceptum, non merum consilium ut immerito quidam opinantur.

2° Summopere expedit ut alumni omnium minorum dioecesium, in quibus vix aut ne vix quidem recta institutio in disciplinis philosophicis et theologicis haberi potest, in alienum Seminarium mittantur,

(4) Conc. Trid. (l. c.) praescripsit Seminaria, si forte in dioecesi plura essent, omnia pendere a Seminario in civitate episcopali erecto. Haec regula a Codice non confirmatur: non amplius igitur viget.

ne ob defectum convenientis institutionis clericorum dioeceses ipsae grave patiantur damnum.

3° Ubi existit Seminarium interdioecesanum vel regionale, alumni dioecesium, pro quibus constitutum est, necessario in illud mittendi sunt, ita ut — nisi aliud ferant leges a S. Sede latae aut peculiaris obtenta fuerit facultas — nullatenus res arbitrio Episcopi relinquatur.

783. 8. Seminarium *dioecesanum* erigendum est ab Episcopo per decretum formale. Ex canonica creatione iuridicam sortitur personalitatem, quatenus fit verum ens morale, capax iurium et officiorum, seu *persona moralis non collegialis*.

9. Quomodo oeconomice consulendum sit Seminarii dioecesani constitutioni, dicetur infra (n. **785**).

10. Seminarium *interdioecesanum* vel *regionale* aut *nationale*, iure vigente, ab una Sede Apostolica constituitur.

784. Necessitas Seminariorum. — Neminem latet Seminaria nedum utilia, sed necessaria omnino esse, quia sine iisdem haberi nequit copia ministrorum, qui virtutum omnium ornatu fulgentes, ac sana solidaque doctrina pollentes, valeant proprii ministerii muneribus pie sciteque perfungi, christianam plebem sedulo erudire, animarum saluti sancte consulere, errantes ad veritatis et iustitiae semitas reducere, Dei et Ecclesiae causam strenue scienterque defendere (5).

Adolescentium aetas, ut egregie admonet Conc. Trid. (6), « nisi recte instituatur, prona est ad mundi voluptates sequendas; et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum

(5) Cfr. Litt. Apost. Pii IX « *Cum Romani* », 27 iun. 1853.
(6) Sess. XXIII, cap. 18 de ref.

habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica perseveret ».

Articulus II.

De reditibus seu bonis temporalibus Seminarii.

785. Quomodo sit consulendum constitutioni Seminarii et alumnorum sustentationi. — « Pro constitutione Seminarii et alumnorum sustentatione, si proprii reditus deficiant, Episcopus potest: 1° parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores iubere ut statis temporibus in ecclesia ad hunc finem stipem exquirant; 2° tributum seu *taxam* in sua dioecesi imperare; 3° si haec non sufficiant, attribuere Seminario aliqua beneficia simplicia » (can. 1355).

1° Sedulo distinguenda constitutio Seminarii et alumnorum sustentatio: utraque peculiares reditus exigit. Constitutio respicit aedes construendas, adornandas et conservandas, necnon diversas personas, quae muneribus in Seminario incumbunt, retribuendas.

2° Interdum dotem sive patrimonium habere potest Seminarium, interdum aut nullum aut insufficiens patrimonium.

3° In hoc altero casu, id est si proprii reditus deficiant aut insufficientes sint, triplex modus indicatur, quo providendum sit: *a*) corrogatio stipis; *b*) impositio tributi seu taxae; *c*) assignatio beneficiorum *simplicium* seu redituum ex iisdem provenientium.

Pontif. Comm. Codicis die 16 oct. 1919, ad 16, declaravit Episcopum non posse in collatione paroeciarum non reservatarum imponere pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarii, sed in singulis casibus esse recurrendum ad S. Sedem (1).

(1) *A. A. S.*, XI, 479.

786. Tributum pro Seminario. — 1. Ex praescripto can. 1356, huic tributo obnoxia sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio (etiam apostolico et peculiari mentione digno, ut aiunt):

1° *Mensa episcopalis,* i. e. beneficium consistoriale quo fruitur Episcopus, sive reditus percipiantur ex aerario publico sive ex bonis immobilibus aut aliunde.

2° *Omnia beneficia* etiam regularia aut iuris patronatus, sive duplicia sive simplicia, sive inamovibilia sive amovibilia seu manualia; nec opus est consensu patroni, si beneficium sit iuris patronatus.

3° *Paroeciae* aut *quasi-paroeciae,* quamvis alios reditus, praeter fidelium oblationes, non habeant. Ideo expressa fit mentio de paroeciis et quasi-paroeciis — quae inter beneficia paulo antea memorata recensentur — quia ex can. 1415, § 3, illae constitui possunt etiam si desit congrua dos, dummodo Ordinarius prudenter praevideat ea quae necessaria sunt aliunde non defutura; in casu autem oblationes fidelium dotem paroeciae vel quasi-paroeciae constituere censentur ad normam can. 1410.

4° *Domus hospitalis* auctoritate ecclesiastica erecta, pro infirmis, senibus, pauperibus (hospitale, nosocomium, etc.). Excluditur domus auctoritate privata aut civili constituta; domus ab auctoritate ecclesiastica quidem erecta, sed quae nunc ab una potestate civili dependet, non est obnoxia tributo.

5° *Sodalitates* canonice erectae, si suos reditus habeant; v. g. confraternitates, piae uniones, sodalitia cuiuslibet generis, dummodo a R. Pontifice vel ab Ordinario in personam moralem constitutae sint et suos reditus habeant sive ex peculiari patrimonio sive ex praestationibus sodalium sive aliunde.

6° *Fabricae ecclesiarum,* si suos reditus habeant,

ut supra. Ecclesia qua talis est persona iuridica quae postest bona temporalia possidere, distincta omnino ab iis quae pertinent ad beneficium ipsi ecclesiae forte adnexum; at interdum fabrica ecclesiae est persona moralis cum propriis bonis seu reditibus, interdum est merum consilium ad bona ecclesiae administranda (cfr. n. **679**).

7° *Quaelibet religiosa domus*, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat, aut in ea collegium discentium aut docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur. Huiusmodi est collegium in quo instituuntur clerici religiosi, Seminarium familiae religiosae concreditum, collegium professorum in Universitate docentium. Quidam censent tale quoque esse collegium catholicum omnibus adolescentibus apertum (2). Res dubia est. Domus, quae solis eleemosynis vivit, est domus *mendicantium*, quae, etiam iure Codicis, nequeat habere reditus stabiles. Collegium existere debet « *actu* », et quidem modo stabili, secus non fit locus exemptioni a tributo.

2. Tributum debet esse *generale* atque eiusdem proportionis pro omnibus; nec potest excedere quinas quotannis centesimas partes (5%) reditus vectigalis, nempe obnoxii isti tributo. Minui debet si reditus Seminarii augeantur (can. 1356, § 2).

Igitur tributum nequit imponi uni beneficio seu personae morali aut pluribus, non autem ceteris. Pro *omnibus* imponendum est. Praeterea *eadem* debet esse *proportio* (2%, vel 3%, aut 4% etc.), non alia pro his personis moralibus, alia pro ceteris.

787. 3. « Reditus tributo obnoxius is est qui, deductis oneribus et necessariis expensis, supersit in anno; nec in eo reditu computari debent distributiones quotidianae vel, si omnes beneficii fructus distri-

(2) Vermeersch-Creusen, II, n. 690.

butionibus constent, tertia earundem pars; nec fidelium oblationes, nec, si omnes paroeciae reditus coalescant fidelium oblationibus, tertia earundem pars » (can. 1356, § 3).

1° *Onera* et *necessariae expensae* non sunt, quae victum, vestes, habitationem respiciunt beneficiarii aliorumque : ideo detrahi nequeunt. Dum e contra sunt detrahenda tributa a civili auctoritate imposita, quae fundos vel domos gravant; item expensae sustinendae pro agris colendis, pro fructibus colligendis etc., seu expensae (sive pro operariis, sive pro seminibus, sive pro instrumentis) quae respiciunt directe et immediate fundos, ut rite colantur atque fructus ex iisdem percipiantur. Item deducenda sunt legata, census, praestationes, quibus gravatur mensa episcopalis, beneficium, etc.

Non sunt detrahendae expensae, quas parochus aliusve beneficiatus ferre debet pro famulo aut famula, pro valetudine curanda, pro itinere licet necessitatis causa peracto, pro aliis id genus.

Num deducendae expensae pro agris meliorandis, vel emendis? Huiusmodi expensae non sunt detrahendae.

Num a parocho detrahi possint expensae pro vicario adiutore aut cooperatore? Si onus vicarii gravet ipsum beneficium paroeciale, attenta multitudine fidelium aut territorii extensione, expensae deducendae sunt; si onus vicarii non gravet ipsam paroeciam, sed utilis vel necessarius sit adiutor ob circumstantias mere extrinsecas et accidentales, v. g. ob senectutem aut imperitiam aut morbum parochi (cfr. can. 475; n. 575), expensae non sunt profecto detrahendae, secus alter parochus teneretur, alter non.

2° Stipendia Missarum non sunt computanda inter reditus obnoxios tributo. Num *iura stolae* (n. 521)? Ita distinguendum : si dotem beneficii constituunt, affirmative; secus non.

3° Per se non computantur distributiones quotidianae sive chorales (n. 418), nec fidelium oblationes. Diximus *per se*, i. e. ex regula generali : datur enim exceptio. Nam si alii non sint beneficii fructus nisi praedictae distributiones, vel nisi sint alii reditus nisi oblationes fidelium, tunc ipsae distributiones et oblationes obnoxiae sunt tributo pro Seminario, ita tamen ut tertia earum pars maneat exempta.

Articulus III.

De regimine et administratione Seminarii.

788. Ius et officium Episcopi. — 1. Regimen immediatum tam spirituale quam temporale Seminarii *dioecesani* spectat ad Episcopum. Sane can. 1357, § 1 statuit : « Episcopi est omnia et singula quae ad rectam Seminarii dioecesani administrationem, regimen, profectum necessaria et opportuna videantur, decernere, eaque ut fideliter observentur, curare, salvis praescriptionibus a Santa Sede pro casibus peculiaribus latis ». Istae praescriptiones latae sunt v. g. pro Seminariis Italiae (1).

2. Codex *personalem* sollicitudinem de Seminario eiusque alumnis Episcopo inculcat : « Potissimum studeat Episcopus frequenter Seminarium ipse per se visitare, in institutionem quae alumnis traditur sive litterariam et scientificam sive ecclesiasticam sedulo vigilare, et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum » (can. 1357, § 2). Agitur de obligatione per se gravi.

3. Praeterea ex praescripto Codicis unumquodque

(1) Cfr. Instr. S. C. de Seminariis et Universitatibus studiorum, 26 april. 1920, sub titulo: *Circolare della S. C. dei Seminari ai Rev.mi Ordinari d'Italia sull'ordinamento dei Seminari.*

Seminarium dioecesanum suas leges ab Episcopo approbatas habere debet, « in quibus quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in eorum institutionem operam suam impendunt » (can. 1357, § 3).

Istae leges, semel conditae et approbatae ab Episcopo, sancte et religiose ab omnibus servandae sunt, nec mutari possunt nisi ab eodem Episcopo vel eius successore aut a S. Sede.

4. Regimen et administratio Seminarii *interdioecesani* vel *regionalis* aut *nationalis* regitur normis a Sede Apostolica praefinitis (can. 1357, § 4) (2).

789. Rector et officiales. — 1. « Curandum est ut in quolibet Seminario adsint rector pro disciplina, magistri pro instructione, oeconomus pro curanda re familiari, a rectore distinctus, duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus » (can. 1358).

Omnes istae personae *libere* nominantur ab Episcopo, auditis Seminarii deputatis; ab eoque *libere*, iisdem auditis, ex iusta causa removeri possunt, salva iustitia et aequitate.

Verbum « *curandum est* » aperte significat non agi de stricto praecepto.

Oeconomus debet esse *distinctus a rectore* : idque praeceptive.

(2) S. C. de Seminariis, iussu R. Pontificis, praescripsit decreto diei 2 febr. 1924 Ordinariis locorum relationem eidem Congregationi singulis trienniis dandam de statu Seminarii, secundum formulam ipsi decreto adnexam.

Triennia sunt fixa et computantur a die 1 ian. 1924. Primo triennii anno relationem exhibere tenentur Ordinarii Italiae, Galliae et Hispaniae; altero, ceteri Ordinarii Europae; tertio anno, universi Americae Ordinarii.

Hoc decreto minime derogatur legi de relatione super statu dioecesis ideoque etiam Seminarii, singulis quinquenniis S. C. Consistoriali exhibenda. *A. A. S.*, XVII, 547 ss.

2. Ad munus rectoris, directoris spiritus, confessariorum et magistrorum Seminarii eligantur sacerdotes non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint (can. 1360, § 1). Est obligatio gravis, ex ipsa rei natura sponte profluens.

790. 3. *Rector.* 1° Ipsius curae omnia immediate committuntur, salva debita subordinatione Episcopo, quae ad Seminarii utilitatem, in spiritualibus et temporalibus referuntur. Ipsi integra Seminarii disciplina demandatur.

2° Rectori Seminarii omnes officiales subsunt eique religiose obtemperare tenentur in propriis muneribus obeundis (can. 1360, § 2).

3° Rector non prohibetur munere magistri fungi, dummodo nullatenus ab officio rite implendo inde impediatur.

4° Nequit alumnorum suorum sacramentales confessiones audire, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant (can. 891, 1360, § 1). Absolutio foret valida, sed illicita. Sapientissime haec regula statuta est ne integritas confessionis periculo exponatur et ne, quamvis vitata confusione inter externum regimen Seminarii et forum internum, sigillum sacramentale violationi exponatur. Rector ne unius quidem alumni confessionem *habitualiter* audire potest (3). Quod, fine legis perspecto, dicendum quoque est de vice-rectore.

791. 4. *Magistri.* Praeter ea quae supra (n. 789) in genere dicta sunt, haec speciatim animadvertenda:

1° « Ad magisterii munus in disciplinis *philosophicis, theologicis* et *iuridicis*, ii, ceteris paribus, iudicio Episcopi et deputatorum Seminarii praeferantur, qui laurea doctorali potiti sint in Universitate

(3) Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 480.

studiorum vel Facultate a S. Sede recognitis, aut, si agatur de religiosis, qui simile testimonium a suis Superioribus habeant » (can. 1366, § 1).

Itaque stricte non requiritur ut magistri gradum philosophiae vel theologiae aut iuris canonici sint consecuti. De his autem laureatis Codex scite loquitur, qui, facto periculo. doctores sint renuntiati, non autem de illis qui, honoris causa, doctores creati fuerint.

Eatenus laurea doctoralis attendenda est, quatenus obtenta fuerit in *Universitate* vel *Facultate recognita* a S. Sede, non vero in Universitate laicali aut apud collegia Praelatorum, quibus ius est gradus academicos conferendi.

Testimonium Superiorum religiosorum, quod gradum suppleat, significare debet candidatum probatum fuisse examine quod moraliter aequivaleat examini doctoris in Universitate vel Facultate.

Si desint idonei doctores, licet aliis idoneis conferre magisterii munus in scholis superioribus (4).

2° Quotannis magistri tenentur textum quem sibi quisque in docendo proposuerit vel theses pertractandas Episcopo exhibere, et ineunte anno iuramentum antimodernisticum facere (5).

Imo in triennali relatione S. Congregationi de Seminaris exhibenda (n. **788**) textus praelectionum cursus philosophiae, theologiae, S. Scripturae et iuris canonici indicandus est; et si per triennium textus mutetur, id statim S. Congregationi significandum.

3° « Curandum est ut saltem S. Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ec-

(4) Pius XI Motu proprio diei 27 april. 1924 prohibet ne quis in Seminariis Sacras Litteras doceat, nisi gradus academicos apud Commissionem Biblicam aut Institutum Biblicum adeptus sit, aut nisi saltem in hoc Instituto titulum baccalaurei obtinuerit. *A. A. S.*, XVI, 180.

(5) Pii X, Mot. propr. « *Sacrorum Antistitum* », 1 sept. 1907; S. C. Consist., 25 sept. 1910; S. Off.

clesiasticae, totidem habeantur distincti magistri » (can. 1366, § 3).

Attendendae voces « *curandum* » et « *saltem* » : illa innuit non agi de stricta obligatione; haec aperto significat mentem Ecclesiae esse ut etiam in ceteris disciplinis, quantum fieri potest, distincti habeantur magistri.

4° « Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum, in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia eaque sancte teneant » (can. 1366, § 2).

Ratio designat methodum, quae debet esse scholastica; *doctrina* denotat sententias seu theses S. Doctoris; *principia* significant theses quibus tamquam fundamentis doctrina S. Thomae nititur. Consulto voci *doctrinae* apponitur vocabulum *principia*, ita ut sensus sit, fideliter esse inhaerendum doctrinae Aquinatis, nec unquam recedendum esse ab eius principiis seu thesibus quibus totum eius aedificium theologicum superstruitur (6). Hinc minime sequitur omnes et singulas sententias Angelici Doctoris esse tenendas. Quaedam sane communiter deseruntur, quaedam licite deseri possunt (7).

Hunc quippe esse genuinum sensum can. 1366, § 2 authentice scimus, ex verbis nimirum Pii XI, qui, post relatum ipsum citati canonis textum, addit : « *At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant*, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia : *neque* enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis, inter melioris notae auctores in contrarias

(6) Cfr. Vermeersch-Creusen, II, n. 700.

(7) Cfr. Szabò O. P., *Die Auktorität des hl. Thomas von Aquin*, p. 70; Durst O. S. B., *Theol. prakt. Quartalschrift*, 1922, p. 648; Raus, *La doctrine de S. Alphonse sur la vocation et la grace en regard de l'enseignement de S. Thomas et des praescriptions du Code*, p. 62 ss.

partes disputari solet, *quisquam prohibendus est eam sequi sententiam, quae sibi verisimilior videatur* » (8).

792. 5. *Confessarii et director spiritus.* 1° Pro viribus curandum ut confessarii *ordinarii* sint saltem duo, praeter directorem spiritus (can. 1358; n. 789). Hic confessiones quoque audire solet; quare tres saltem confessarii assignandi sunt. Necesse non est ut omnes tres in Seminario habitent.

2° Praeter confessarios ordinarios, alii designandi sunt ad quos libere alumni accedere possint (can. 1361, § 1). Opus est igitur, ut tales nominentur, ad quos liber pateat alumnorum accessus.

Si degant extra Seminarium, et alumnus aliquem eorum advocari postulet, illum rector aut qui vices eius gerit advocare debet, « nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans; si in Seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina » (can. 1361, § 2).

3° Potestas confessariorum non est ordinaria (nisi sint parochi aut canonici poenitentiarii) nec delegata a iure, sed ab homine, i. e. ab Ordinario loci.

4° Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, numquam confessariorum votum exquiratur (can. 1361, § 3). Ratio manifesta : ne ullum sit periculum violationis sigilli sacramentalis.

In ceteris rebus *per se* vetita non est interrogatio confessarii; expedit tamen ut consiliis dandis de suis poenitentibus abstineat.

5° Nulla peculiaris iurisdictio requiritur ad cleri-

(8) Litt. encycl. « *Studiorum Ducem* », 29 iun. 1923; *A. A. S.*, XV, 309.

Dolendum vehementer, quosdam auctores haec verba Summi Pontificis silentio praeterire atque ore vel facto doctrinae Ecclesiae et supremi Magistri, Vicarii Christi, suam opinionem praeferendam ducere, ut Aquinatis sententiis plus aequo adhaerere videantur!

cos absolvendos : his igitur licet ad quoscumque confessarios, data occasione, accedere.

6° Num magister confessarii munere fungi valeat? Absoluta prohibitio non existit. At nullatenus expedit ut magister confessarius ordinarius alumnorum suorum sit. Interdum, praesertim si peculiares occurrant circumstantiae, designari potest confessarius extraordinarius. Nec repugnat quod etiam habitualiter unius alteriusve alumni confessiones excipiat.

7° *Directori spiritus* gravissimum incumbit munus, scil. praeparandi alumnos ad perfectam vitam sacerdotalem. Debet esse summa prudentia, doctrina ac pietate praeditus. In Seminario, quantum fieri potest, degere tenetur, ut alumnis semper praesto sit; nec alio officio, nisi forte omnino secundario aut connexo cum proprio munere, detineri debet (9).

793. Coetus deputatorum.— 1. Episcopus *duas commissiones* constituere debet, alteram pro re disciplinari, alteram pro re oeconomica, quarum consilio utatur in negotiis maioris momenti.

« *Dioecesanis* Seminariis *bini* constituantur coetus deputatorum, alter pro disciplina, alter pro administratione bonorum temporalium » (can. 1359, § 1).

Obligatio constituendi istos deputatorum coetus respicit Seminaria *dioecesana* tantum, non autem interdioecesana vel regionalia. Quoad haec, standum est normis a S. Sede statutis.

2. Uterque deputatorum coetus *binis* constituitur *sacerdotibus*, ab Episcopo, audito Capitulo, electis. Excluduntur Vicarius generalis, familiares Episcopi, rector Seminarii, oeconomus, confessarii ordinarii (can. 1359, § 2).

Consilium Capituli et exclusio Vicarii generalis aliorumque ad valorem requisita videntur. Vicarius

(9) Cfr. formul. relationis triennalis, n. 10.

generalis et familiares Episcopi ideo excluduntur, ne illi deputati, quorum consilio Episcopus uti debet, huius personam repraesentent; rector Seminarii, oeconomus et confessarii ordinarii exclusi dicuntur, ne partes simul et iudices sint.

Nihil *per se* prohibet quominus pro re temporali iidem sacerdotes nominentur, qui iam ab Episcopo electi sunt pro re spirituali (10). Expedit tamen practice ne iidem sint. Possunt nominari etiam sacerdotes religiosi, de consensu tamen eorundem Superioris (11).

3. Deputati manent in officio per sexennium; sine causa gravi nequeunt amoveri; elapso autem sexennio iterum eligi seu confirmari possunt (can. 1359, § 3).

4. Episcopus tenetur consilium deputatorum exquirere in negotiis maioris momenti (can. 1359, § 4). Huiusmodi negotia sunt: deputatio rectoris, magistrorum, confessariorum ordinariorum, oeconomi; approbatio statutorum Seminarii; annua ratio administrationis Seminarii, amotio alicuius deputati ante elapsum sexennium.

Episcopus verius sub poena nullitatis petere debet consilium deputatorum (cfr. n. 212), quamvis illud sequi non teneatur.

Articulus IV.

De praeparatione candidatorum et alumnorum admissione.

794. Applicatio redituum.— « Reditus legati pro clericis instituendis tribui possunt alumnis in Semina-

(10) S. C. C. 21 iun. 1879.

(11) Conc. Trid. (Sess. XXIII, cap. 18 de ref.) utrumque coetum constituendum praescripsit: alterum duorum canonicorum ab Episcopo electorum pro re disciplinari et spirituali, alterum quatuor deputatorum pro administratione temporali. Horum duo erant de Capitulo eligendi, unus ab Episcopo, alter a Capitulo; duo de clero civitatis, unus ab Episcopo, alter a clero eligendus.

rium sive maius sive minus rite receptis, licet nondum clericali tonsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur » (can. 1362).

Agitur de interpretatione seu facultate favorabili iure communi concessa. Excluditur dispositio contraria in tabulis fundationis contenta, quia illa, ut in ceteribus casibus, sancte religioseque servanda est. At iusta de causa, ex. gr. si reditus adsint superflui, R. Pontifex potest legibus fundationis derogare.

795. Praeparatio candidatorum. — 1. Omnes sacerdotes sedulam dent operam, praesertim parochi, « ut pueros qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in iis vocationis germen foveant » (can. 1353).

Indicia germinaque vocationis sunt boni mores, sensus pietatis ac devotionis, optima indoles, aliaque id genus, ex quibus prudens aestimator coniicere potest adolescentem esse aut fore aptum ad vitam clericalem atque ab eius proposito alienum non esse.

Duplici ratione vocatio prudenter praeparari ac perfici potest: sive procurando aptitudinem, sive ipsam voluntatem suavitate ac prudentia excitando ad statum clericalem amplectendum. Illud obtinetur, quatenus adolescentes a mundi contagio immunes serventur, ad pietatem ac religionem informentur, primis litterarum rudimentis imbuantur; hoc perficitur, germen vocationis fovendo, animum excitando ad passiones compescendas, ad sacramenta frequentanda, ad virtutes colendas (1).

2. Pius XI in litteris diei 1 aug. 1922 ad Card. Bisleti haec habet: « Facere non possumus quin rogemus omnes, quicumque Ecclesiam diligunt, ut illud

(1) Cfr. Vermeersch-Creusen, II, n. 687.

opus vocationum ecclesiasticarum, quod pueris bonae spei et domi et apud parochos et intra Seminariorum septa sedulo adiuvandis, salubriter institutum est, omni foveant studio atque promoveant ».

De vocatione sacerdotali alibi expresse sermo erit (n. 821).

796. Admissio alumnorum. — 1. Facultas admittendi est penes Episcopum : ius et officium simul est, omnibus mature perpensis, aptos ac dignos recipere, ineptos et indignos repellere.

2. « In Seminarium ab Ordinario ne admittantur nisi filii legitimi quorum indoles et voluntas spem afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros » (can. 1363, § 1).

Legitimis aequiparantur *legitimati* sive per subsequens matrimonium sive per rescriptum S. Sedis, nisi exceptio forte in rescripto apposita fuerit.

Illegitimi admitti nequeunt sine peculiari venia S. Sedis; quae venia non eximit ab onere petendi dispensationem ab irregularitate ex defectu natalium, pro ordinibus suscipiendis.

De aetate nihil taxative praefinitur. Can. 972, § 1 statuit : « Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde *a teneris annis* in Seminario recipiantur ». Abrogatum censemus praescriptum Concilii Trid. (l. c.), quod volebat ut ii dumtaxat admitterentur qui ad minimum duodecim annos essent nati.

3. Candidati *antequam* recipiantur (non postea), « documenta exhibere debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus » (can. 1363, § 2).

Legitimati exhibere debent documentum legitimationis. Testimonia de vita et moribus praesertim a parocho et a Superiore collegii vel scholae, quam candidati frequentarunt, erunt impetranda.

4. « Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua reli-

gione ne admittantur, nisi prius Episcopus, etiam secreto, a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis, ac de moribus, indole et ingenio dimissorum et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias, veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent » (can. 1363, § 3) (2).

Obligatio est gravis quoad utrumque.

Articulus V.

De studiis, disciplina et vita spirituali.

797. Regimen studiorum.— 1. « In inferioribus Seminarii scholis :

1° Praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur;

2° Linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant (1);

3° Ea in ceteris disciplinis institutio tradatur, quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione ubi alumni sacrum ministerium exercere debent » (can. 1364).

(2) Ex decreto S. C. Conc. 22 dec. 1905 dimissus ex proprio Seminario non poterat in alio recipi. Hodie mitior facta est disciplina.

(1) Pius XI in litteris diei 1 aug. 1922 ad Card. Bisleti haec de lingua latina tradit : « Utraque de causa, ut cetera omittamus, liquet *clerum*, ante alios, *latinae linguae perstudiosum esse oportere*... Quod si in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus litteris, latinae linguae, quam dicere *catholicam* vere possumus, ignoratio quemdam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes clericos, quotquot sunt, decet eiusdem linguae satis gnaros esse atque peritos!... Quare — quod ipsum in iure canonico cautum est — in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescunt, *accuratissime sermone latino volumus alumnos institui* ».

Haec modo generali sapienter constituta sunt. Omnia et singula, pro uniuscuiusque dioecesis conditione, accurate ab Episcopis praefinienda erunt.

2. « In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis alumni per integrum saltem biennium incumbant » (can. 1365, § 1).

Nomine philosophiae rationalis intelligitur *scholastica* philosophia. Sane Pius XI in saepius citatis litteris ad Praefectum S. C. de Seminariis ait : « Nostri alumni, ut sacrae theologiae aptam praeparationem adhibeant, minimum biennio *diligentissime* in philosophiae studio versentur. *Scholasticam* intelligimus philosophiam, a sanctis Patribus Scholaeque Doctoribus quadam laborum continuatione naviter expolitam, ac denique opera et ingenio Thomae Aquinatis ad summum perfectionis gradum adductam ».

Duo philosophiae anni exhibentur ut tempus *minimum* quod huius disciplinae studio sit insumendum. Affines disciplinae sunt imprimis scientiae naturales et physicae.

3. « Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici » (can. 1365, § 2).

Quatuor anni, ut supra, est tempus *minimum* studio theologiae tribuendum. Disciplinae octo necessario tradendae exhibentur. At vox « *praesertim* » manifesto alias addi posse, et interdum, pro dioecesium circumstantiis, esse addendas innuit.

Positiva methodus necessario scholasticae adiungenda est, « sed sola non sufficit », ut scite admonet Pius XI in praelaudatis litteris diei 2 aug. 1922.

4. « Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus, praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, au-

diendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis » (can. 1365, § 3).

Disciplina *pastoralis* coniungi potest, saltem maxima ex parte, cum theologia morali. « *Plurimum* tribuet (magister) huic disciplinae, qua quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda » (2).

798. Disciplina. — 1. « Rector Seminarii et alii omnes moderatores sub eius auctoritate curent ut alumni statuta ab Episcopo probata studiorumque rationem adamussim servent ac spiritu vere ecclesiastico imbuantur » (can. 1369, § 1).

Haec obligatio ratione ipsius officii singulis incumbit.

2. « Saepius eis verae et christianae urbanitatis leges tradant eosque exemplo ad illas colendas excitent; hortentur praeterea ut praecepta hygienica, vestium et corporis munditiam et quandam in conversando comitatem cum modestia et gravitate coniunctam, iugiter servent » (can. 1369, § 2).

Haec monita maxime opportuna et utilia sunt, nostris praesertim temporibus, cum interdum homines alieni fiant a religione propter modum agendi clericorum minus urbanum vel propter neglectum cultum personae.

3. « Sedulo vigilent ut magistri suo munere rite fungantur » (can. 1369, § 3).

4. Quoad *alumnos qui extra Seminarium versantur*, can. 1370 expresse iubet ut « servetur praescriptum can. 972, § 2 ». Porro iste canon haec statuit: « Qui ad ordines adspirant et extra Seminarium legi-

(2) *Pius* XI, ep. cit. ad Card. Bisleti, Praefectum S. C. de Seminariis, 2 aug. 1922.

time morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet ».

Itaque Episcopus iusta de causa, v. g. valetudinis vel studiorum, permittere potest in casibus particularibus ut alumni degant extra Seminarium iique commendandi sunt pio atque idoneo sacerdoti, cuius erit sedulo iisdem invigilare eosque ad clericalem sanctitatem informare.

Tempore feriarum alumni, si extra Seminarium morantur, commendandi sunt curae parochorum, qui de iisdem, feriis transactis, testimoniales litteras secretas mittere debent ad rectorem Seminarii vel immediate ad Episcopum.

799. Vita spiritualis. — 1. Ex praescripto can. 1367 Episcopi curare debent ut alumni Seminarii :

1° *Singulis diebus* communiter matutinas et serotinas preces recitent, per aliquod tempus (saltem per dimidiam circiter horam) mentali orationi vacent, sacrificio Missae intersint;

2° *Semel* saltem *in hebdomada* ad sacramentum poenitentiae accedant et *frequenter*, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficiant;

3° *Dominicis* et *festis diebus*, sacris Missarum et Vesperarum sollemnibus adsint, altari inserviant sacrasque caeremonias exerceant, praesertim in ecclesia cathedrali, si id, iudicio Episcopi, sine disciplinae et studiorum detrimento fieri possit;

4° *Singulis annis* per aliquot dies continuos (saltem per sex dies) exercitiis spiritualibus vacent;

5° *Semel* saltem *in hebdomada* adsint instructioni de rebus spiritualibus quae pia exhortatione claudatur.

Haec omnia servari debent non solum in Seminario maiori, verum etiam in minori, cum nulla a Codice fiat distinctio (3).

(3) Vetitum *de diariis vel commentariis non legendis* ab alumnis in Seminario degentibus (cfr. Mot. pr. Pii XI « *Sacrorum*

Articulus VI.

De Seminarii exemptione.

800. Exemptio iure communi concessa — Can. 1368 statuit: « Exemptum a iurisdictione paroeciali Seminarium esto; et pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto can. 891, obeat Seminarii rector eiusve delegatus, nisi in quibusdam Seminariis fuerit aliter a Sede Apostolica constitutum ». Igitur:

1° Seminarium subducitur a iurisdictione parochi, et quidem *ope legis*, i. e. ipso iure, quin necessarius sit actus peculiaris ex parte S. Sedis vel Episcopi.

2° Officium parochi, excepta materia matrimoniali et excluso ministerio confessionum (cfr. n. **790**), exercetur a rectore aut ab eius delegato.

3° Exemptio competit *cuilibet* Seminario, sive dioecesano sive interdioecesano aut regionali, tam maiori quam minori, *a momento legitimae erectionis*. Ut *legitime* censeatur *erectum*, necesse non est hodie, aliter ac olim, ut peculiaris domus propria fuerit comparata, et duplex deputatorum coetus iam constitutus sit.

Nec quaestio est de verbis. Sive Seminarium vocetur, sive Collegium, dummodo tota essentia Seminarii existat ad normam can. 1354, § 1 (n. **777**), fit locus exemptioni. Sane in Urbe complura sunt Collegia, S. Sedi probata, in quibus aluntur alumni, qui aliquam studiorum clericalium Universitatem frequentant: istis

Antistitum », 1 sep. 1910, cum declarationibus S. C. Consist. 25 sept. 1910, ad 4, 20 oct. 1910, 17 april. 1911) hodie iure communi non amplius viget. Nihilominus moderatores Seminariorum caveant ne alumni alienis quaestionibus a studiis distrahantur, praesertim ubi peculiaris controversia, ex. gr. de lingua aut de re politica, animos exagitet. Quo in casu Episcopus potest diaria ceteraque folia periodica alumnis Seminarii penitus prohibere.

Collegiis competit profecto exemptio de qua in can. 1368, nisi ex peculiari quoque privilegio apostolico, iam ante Codicem concesso, exemptio iisdem competat.

Quidam commentatores quaerunt de Seminariis *mixtis*, utrum gaudeant necne exemptione. Seminaria huiusmodi, ut supra dictum est (n. **778**), hodie omnino prohibita sunt. At si existant, v. g. ex peculiari venia S. Sedis, dummodo sint vere Seminaria, procul dubio exempta dicenda sunt.

4° Potestas rectoris est *ordinaria*, utpote adnexa officio, et *cumulativa* cum iurisdictione parochi, qui ea *valide* uti potest quoad omnes in Seminario, intra fines paroeciae sito, degentes.

801. Vis et ambitus exemptionis. — 1. Exemptio directe et immediate non respicit locum materialiter sumptum; quare territorium, ubi situm est Seminarium, remanet intra fines paroeciae nec ullo pacto a territorio paroeciae avulsum ac separatum censendum est. Hinc fit ut valide parochus matrimoniis assistat in Seminario forte celebratis.

2. Exemptio afficit omnes personas, « *quae in Seminario sunt* », quin necesse sit ut habitualiter vel diu noctuque intra Seminarii septa degant. Huiusmodi personae sunt rector, magistri, confessarii, oeconomus, director spiritus, famuli, sorores seu religiosae, quae servitia quaedam praestant.

Num etiam alumni *externi*, si actu sint in Seminario? Quidam affirmant (1); idque probabile censemus. Nam, perspecto textu et contextu legis menteque legislatoris probe considerata, requiritur et sufficit ut personae *aliquo titulo* sint actu in Seminario. Posito huiusmodi titulo, quicumque is sit, v. g. famulatus vel magisterii, *statim* i. e. iam a primo momento degens in Seminario gaudet exemptione.

(1) Cfr. Vermeersch-Creusen, II, n. 704.

3. Inter eos qui habitualiter diu noctuque commorantur in Seminario et eos qui non habitualiter diu noctuque ibi degunt, magnum datur discrimen: illi semper exemptione frui censentur, isti e contra tempore dumtaxat per quod in Seminario actu versantur.

4. Vis exemptionis haec est, ut Superior eiusve delegatus omnia sacramenta ministrare valeat personis in Seminario degentibus, easdem dispensare super lege ieiunii et abstinentiae ac super observantia dierum festorum, ac iusta funebria persolvere pro iis qui in Seminario de facto moriuntur.

5. Tempore feriarum, alumni Seminarii in villam, rusticandi causa, se conferre solent. Num exempta censenda est ipsa villa? Procul dubio; nam ibi est Seminarium formaliter sumptum.

6. Si religioni clericali exemptae Seminarium sit concreditum, Seminario competit exemptio etiam ex alio titulo, nimirum in quantum est domus religiosa exempta. Si rector tantum sit religiosus, aut director spiritus, aut unus pluresve magistri, exemptio attendenda est ad normam can. 1368, perinde ac si moderator aliique essent de clero saeculari.

802. 7. Quidnam de facultate audiendi confessiones alumnorum Seminarii tempore feriarum? Ita distinguendum:

1° Si religioni clericali exemptae Seminarium sit commissum, huc spectant quae alibi dicta sunt (n. **575**, 5).

2° Si agitur de Seminario concredito sacerdotibus saecularibus aut religioni laicali vel clericali non exemptae, confessarii ordinarii quoad alumnos, qui tempore feriarum e Seminario discedunt et ad lares domesticos se conferunt, cessant, perdurante absentia, esse tales, nisi forte absentia brevissima sit, ita ut iuridice videatur non attendenda.

3° Si alumni Seminarii se conferant, rusticandi

causa, in villam, quae sit extra dioecesim, confessarii eorundem non indigent iurisdictione Ordinarii loci ubi villa seu Seminarium existit, ut valide et licite eos absolvere possint (2).

Articulus VII.

De alumnorum dimissione et egressu e Seminario.

803. Dimissio. — Ex praescripto can. 1371 dimittendi sunt: 1° *dyscoli*, seu qui disciplinam Seminarii ferre non valent eiusque statuta frequenter transgrediuntur; 2° *incorregibiles*, scil. qui licet pluries moniti, nullum tamen emendationis fructum de indole seu defectibus afferunt; 3° *seditiosi*, nempe qui insubordinationem erga moderatores Seminarii vel magistros aliosve fovent; 4° *qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur*, v. g. si pietate et prudentia nullatenus praestent, si rudes et inurbani omnino appareant; 5° *qui in studiis adeo parum proficiant, ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos*. Minimum saltem doctrinae postulandum. Iudicium, ceteris quoque qualitatibus mature perpensis, ferendum est.

Ex eodem can. 1371 *statim* dimittendi sunt *qui contra bonos mores*, i. e. contra sextum Decalogi praeceptum, aut *contra fidem deliquerint*.

Non quodcumque peccatum contra sextum, praesertim si occultum et solitarium, est causa iusta dimissionis. Attendendum potissimum crimen publicum, sive solitarium sive non, et occultum cum aliis patratum. Confessarius *tempestive* procuret ut discedat qui sacras obligationes status clericalis nimis difficulter ferre possit.

(2) Cfr. Cappello, *De Poenitentia*, n. 482.

804. Egressus.— Alumnus *sponte* discedere valet e Seminario, v. g. ob infirmam valetudinem, defectum vocationis, difficultatem in studiis peragendis, familiae necessitatem, etc. Num et quando *licite* id facere queat, huc non spectat. Id unum animadvertendum: alumnus secundum prudens confessarii iudicium se gerat.

De ingressu in religionem alibi sermo fuit (n. **599**, 8°).

2. Qui stipendiis non propriis educatus fuerit in Seminario, teneturne expensas solvere seu restituere, si possit? Ita distinguendum: 1° si manserit in Seminario cum *expressa* intentione *postea* egrediendi, ex. gr. post obtentum diploma, certe debet restituere, quia iniuste in Seminario mansit; 2° si habuit seriam voluntatem fovendi vocationem statumque clericalem amplectendi, restituere non tenetur; 3° si dubius in Seminario mansit de sua vocatione, etiam per plures annos, item non tenetur.

Interdum obligatio restitutionis oriri potest ex alio capite, scil. ex pacto inito ab ipso alumno eiusve familia cum Seminario, de solvendis expensis in casu voluntarii egressus.

CAPUT V.

DE SACRA ORDINATIONE (1).

ARTICULUS I.

De notione et distinctione ordinis (2).

805. Notio. — 1. Ordo lato sensu est *signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato*. Haec definitio competit omnibus ordi-

(1) Cfr. Cappello, *De Ordine*, n. 3 ss.

(2) Post traditam de Seminariis dissertationem, consulto sermonem facere ducimus de sacra ordinatione, quae intimum ac

nibus, etiam minoribus. Quaenam vero sit potestas quae in singulis ordinibus tribuitur, dicetur infra (n. 811).

Ordo, prout est sacramentum stricte dictum, definiri potest: *Sacramentum novae legis, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad rite obeunda munia ecclesiastica.*

2. Ordo sumitur *active* et *passive*. *Active* est illa actio, qua spiritualis potestas confertur, et accuratius vocatur ordinatio; *passive* est potestas collata in ipsa ordinatione.

Spiritualis potestas, quae in ordine confertur, ad duo ordinatur, scil. *ad regendos fideles* et *ad cultum divinum exercendum*. Idcirco in can. 948 dicitur: « Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ».

3. De fide est ordinem seu ordinationem esse verum sacramentum novae legis. Conc. Trid. definivit: « Si quis dixerit ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum... a. sit » (3). Christus sacramentum ordinis instituit partim in ultima Coena, quando Apostolis dedit potestatem conficiendi Eucharistiam, partim post resurrectionem quando eos instruxit de Ecclesiae regimine.

4. In iure verba: *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio,* comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines tam maiores quam minores et ipsam quoque tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur (can. 950).

necessarium habet nexum cum Seminariis, quorum alumnos ordinatio directe atque immediate respicit.

(3) Sess. XXIII, can. 3 de sacr. ord.

806. Distinctio. — 1. In Ecclesia plures esse ordines fide certum est. Conc. Trid. definivit: « Si quis dixerit, praeter sacerdotium, non esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, a. sit » (4).

2. In Ecclesia *latina* ordines *maiores* vel *sacri* sunt, praeter episcopatum, presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus; ordines *minores* acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus (can. 949).

Aliter in Ecclesia *orientali* (cfr. n. 809).

3. Utrum *episcopatus* sit ordo essentialiter distinctus a presbyteratu, an tantum eius complementum, controvertitur (5).

Fere omnes canonistae et plerique theologi recentiores docent episcopatum et presbyteratum esse duos ordines et duo sacramenta plane distincta, quorum unumquodque suum producit characterem distinctum (6). Ratio praecipua est, quia consecratio episcopalis habet propriam materiam et formam distinctam a materia et forma presbyteratus, et distinctam confert potestatem, nempe ordinandi et confirmandi.

Plures theologi, praesertim veteres scholastici, tenent episcopatum non esse ordinem et sacramentum distinctum a presbyteratu, sed esse *officium* aliquod ac *dignitatem* peculiarem, nec producere characterem distinctum a charactere presbyterali, sed hunc

(4) Sess. XXIII, can. 2 de sacr. ord.

(5) Benedictus XIV, epist. « *In postremo* », 20 oct. 1756, § 17, ait: « Cum nemo prohibeat disceptare, num episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quaedam characteris in collatione presbyteralis ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a diaconatu factus sit transitus ad episcopatum, ordine presbtyerali non antea suscepto ».

(6) B. Bellarminus, *De sacramento ordinis* (*Controvers.*), cap. V; Perrone, *De ordine*, n. 78; Hurter, *De ordine*, n. 698; Gasparri, *De sacra ordinatione*, n. 21, etc.

ampliare et extendere ad alios effectus, scil. ad potestatem ordinandi et confirmandi (7).

Praecipua argumenta haec videntur afferri a patronis: 1° si episcopatus distingueretur a presbyteratu, isto ordine esset multo inferior, quia potestas quam confert episcopatus est multo inferior potestate quam confert presbyteratus, nempe potestate consecrandi Corpus et Sanguinem D. N. Iesu Christi; 2° si episcopatus esset ordo distinctus a presbyteratu, haberentur plures quam septem ordines.

Prior sententia longe verior est eaque, mature omnibus perpensis, nobis certa videtur.

4. Qua sententia admissa, alia oritur quaestio: num duo ordines, presbyteratus et episcopatus, inter se independentes sint necne, ac proinde utrum valide recipi possit episcopatus, presbyteratu nondum recepto.

Plures dicunt istos duos ordines esse ab invicem omnino distinctos et prorsus independentes, ita ut quis possit esse Episcopus, non presbyter, ideoque valide ordinare et confirmare valeat, non autem Missam celebrare (8).

Plerique canonistae et theologi docent duos ordines esse quidem distinctos, non vero *independentes*, ita ut episcopatus supponat, de necessitate sacramenti, presbyteratum. Secundum hanc sententiam, si quis diaconus, omisso presbyteratu, ordinaretur in episcopum, talis ordinatio foret invalida (9).

Secunda sententia probabilior est (10). Quare in praxi sub conditione esset repetenda tum ordinatio

(7) Cfr. S. Thom., in IV Sent. dist. XXIV, q. 3, art. 2; Billuart, *Summa D. Thomae, de ordine*, dissert. 4, art. 2; S. Bonav., in IV Sent. dist. XXIV, part. 2, art. 2, q. 3.

(8) Glossa (Bartholomaei Brixiensis) in can. *Sollicitudo*, dist. 52; Ioannes Andreas, in cap. *Ex litteris*, 10, *De excessibus praelatorum*, n. 3; Panormitanus, in cap. *Tuae litterae*, n. 3, etc.

(9) B. Bellarminus, l. c., cap. 5, n. 13; Fagnanus, in cap. *Tuae litterae*, n. 6 et in cap. *Requisivit*, n. 79 ss.

(10) Cfr Gasparri, n. 26; Many, *De sacra ordinatione*, n. 7.

episcopalis tum aliae ordinationes a tali Episcopo forte peractae.

807. 5. Certum est omnes ordines constituere unum sacramentum *ex unitate finis*, ad quem ordinantur, scil. omnes ordinantur ad Eucharistiam.

Praeterea, etsi plures sint ordines habentes characterem sacramenti, tamen omnes ordines constituunt *unum totum potestativum*, « cuius est haec natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in alio autem est aliqua participatio ipsius » (11).

808. 6. Presbyteratum esse sacramentum de fide est. Item certum est diaconatum esse sacramentum. De episcopatu, iam diximus (n. 806).

Gravissima controversia respicit subdiaconatum et ordines minores.

Veteres Scholastici satis communiter (S. Thomas, S. Bonaventura, B. Albertus Magnus, Paludanus, Scotus, Billuart, etc.) tenent subdiaconatum et minores ordines esse sacramenta.

Nonnulli etiam recentiores (v. g. Billot et De Augustinis) hanc opinionem sequuntur. Putant Ecclesiam potuisse separare id quod virtualiter continetur in diaconatu et alios ordines constituere.

Quidam auctores distinguunt inter subdiaconatum et minores ordines, affirmantes illum esse sacramentum, hos non esse (12).

Plures antiqui et fere omnes canonistae et plerique theologi moderni negant subdiaconatum et minores ordines esse sacramenta (13). Sane, aiunt, isti

(11) S. Thom., *Suppl.*, q. 37, art. 1 ad 2.

(12) Vasquez, *in part. III D. Thomae*, disp. 237, cap. 2 et disp. 328, cap. 2; Navarrus, *Manuale*, cap. 22, *De sacramentis*, n. 18; Bona, *Rerum liturg.*, lib. I, cap. 25, n. 16 s.

(13) Morinus, *De sacris ordinationibus*, part. III, exerc. 11, cap. 1; Tournely, *De sacramento ordinis*, q. 6, art. 4 s.; Perrone, *De ordine*, n. 81; Gasparri, n. 41; Many, n. 11, etc.

ordines sunt institutionis mere ecclesiasticae, non autem divinae, ut liquet ex documentis historicis. Constat quippe hos ordines non memorari ante saeculum III. Idque, addunt, confirmatur disciplina Ecclesiae orientalis, quae differt ab ea quae viget in Ecclesia latina.

Haec sententia multo probabilior est; sed certa dici nequit, quia nescimus *quaenam* et *quanta* potestas competat Ecclesiae circa sacramenta (14).

7. Prima tonsura certe non est sacramentum neque ordo (can. 949). Sane per eam nulla confertur specialis potestas spiritualis. Est quoddam sacramentale seu ritus sacer, quo laicus adscribitur statui clericali.

809. Disciplina Ecclesiae orientalis. — 1. Ordines *maiores* apud omnes Orientales sunt presbyteratus et diaconatus. Subdiaconatus (seu hypodiaconatus) est ordo maior tantum in Ecclesia Armena; in ceteris Ecclesiis orientalibus recensetur inter ordines minores.

2. Ordines *minores* apud Orientales sunt duo vel tres aut quatuor pro diversis Ecclesiis. Conc. Trullanum, de quo (n. 15), memorat (can. 6) subdiaconatum, lectoratum et cantoratum.

Apud *Rumenos* sunt lectoratus et subdiaconatus, qui continet ostiariatum et acolythatum (15).

Apud *Ruthenos* sunt lectoratus, acolythatus, ostiariatus et subdiaconatus (16).

Penes *Graecos* sunt lectoratus et subdiaconatus, qui continet ostiariatum et acolythatum (17).

(14) Cfr. Cappello, *Summa iuris publ. eccl.*, n. 161.

(15) *Conc. prov. Alba Iuliense et Fogarasiense* an. 1872, tit. V, cap. 7.

(16) *Synodus provincialis Ruthenorum* an. 1720, tit. III, § 7

(17) Goar, *Euchologium Graec.*, p. 233, 303.

In Ecclesia *Maronitarum* sunt cantoratus, lectoratus et subdiaconatus (18).

In Ecclesia *Syrorum* sunt cantoratus (qui continet exorcistatum), lectoratus et subdiaconatus (19).

Apud *Coptos* Aegypti sunt lectoratus et subdiaconatus qui ostiariatum et acolythatum continet (20).

In Ecclesia *Armenorum* sunt ostiariatus, lectoratus, exorcistatus et acolythatus, ut in Ecclesia latina (21).

3. Ex dictis liquet *ostiariatum* et *acolythatum* generatim penes Orientales contineri virtualiter in subdiaconatu, ut constat ex forma ordinationis. *Exorcistatus*, excepta una aliave Ecclesia, nec formaliter nec virtualiter reperitur.

4. Diversitas disciplinae inter Ecclesiam latinam et orientalem serio consideranda ac perpendenda est, ut inde dignosci queat *quaenam* et *quanta* potestas competat Ecclesiae circa sacramenta in genere et speciatim circa ordinem, an et *quinam* ordines dicendi sint institutionis ecclesiasticae, *quinam* recensendi sint inter sacramenta proprie dicta et quinam inter sacramentalia.

Articulus II.

De effectibus et officiis ordinum.

810. Effectus in genere. — 1. Sacramentum ordinis producit quatuor effectus, quorum tres respiciunt ipsum ordinatum et quartus refertur ad Ecclesiam.

(18) *Synodus Montis Libani* an. 1736, part. II, cap. 14, n. 48.

(19) *Synodus Sciarfensis Syrorum* an. 1888, cap. V, art. 13, § 4.

(20) *Synodus Alexandrina Coptorum* an. 1898, sect. II, cap. 3, part. 2, art. 7.

(21) *Acta et decreta Concilii nationalis Armenorum* an. 1911, tit. III, cap. 9, n. 516 ss.

1° Ordo producit *augmentum gratiae sanctificantis* et *gratiam sacramentalem*, cum sit sacramentum vivorum et confert peculiares gratias, sicuti cetera sacramenta (1).

2° Imprimit *characterem* indelebilem, ideoque nullus ordo iterari potest (2).

3° Confert *potestatem spiritualem* exercendi peculiares functiones, diversas quidem pro diversitate ordinum susceptorum. Quae potestas proxime aut remote ad Eucharistiam ordinatur, et cum ea maiorem aut minorem habet connexionem.

2. Ordo producit *permanentiam* seu *conservationem* hierarchiae ecclesiasticae quae sine hoc sacramento haberi non posset. Idcirco sacramentum ordinis maxime confert ad bonum ac decus Ecclesiae.

811. Effectus et officia singulorum ordinum. — 1° *Ostiariatus* tradit potestatem *ex officio* aperiendi et claudendi ianuas ecclesiae, admittendi dignos et excludendi indignos.

Primis Ecclesiae saeculis, cum christiani diris persecutionibus vexabantur, maximi momenti fuit iste ordo, historia teste.

2° *Lectoratus* tradit potestatem *ex officio* legendi in ecclesia psalmos et lectiones, catechizandi sive instruendi populum in fidei rudimentis, benedicendi panes et novos fructus.

3° *Exorcistatus* confert potestatem expellendi daemones ab obsessis, ne hos impediant a communione. Quae potestas, secundum vigentem disciplinam nequit publice exerceri sine praevia et expressa licentia Ordinarii (can. 1151) (3).

4° *Acolythatus* confert potestatem *ex officio* inser-

(1) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 5.
(2) Conc. Trid., Sess. XXIII, can. 4 de sacr. ord.
(3) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 115 ss.

viendi subdiacono in Missa sollemni, ferendi urceolos ad altare et lumina in eo accendendi (4).

5° *Subdiaconatus* tradit potestatem praeparandi materiam consecrandam in vasis sacris, inserviendi diacono in Missa sollemni, cantandi epistolam, lavandi corporalia, purificatoria et pallas.

6° *Diaconatus* confert potestatem assistendi immediate sacerdoti in Missa sollemni, canendi Evangelium, praedicandi, sub quibusdam conditionibus sollemniter baptizandi et Communionem distribuendi.

7° *Presbyteratus* tradit potestatem consecrandi Corpus et Sanguinem D. N. Iesu Christi, remittendi peccata, ministrandi reliqua sacramenta, quae non requirunt necessario characterem episcopalem.

8° *Episcopatus* confert potestatem ministrandi sacramenta confirmationis et ordinis, conficiendi plura sacramentalia, v. g. consecrandi ecclesias, altaria, etc. Primum ex iure divino, alterum ex iure ecclesiastico.

812. Effectus tonsurae clericalis. — Tonsura, ut supra diximus (n. 808) non est ordo; tamen est via et praeparatio ad ordines ac peculiares quosdam effectus gignit, scil. 1° statui clericali adscribit (can. 108); 2° incardinat dioecesi (can. 111, § 2); 3° confert aptitudinem suscipiendi ordines, exercendi iurisdictionem ecclesiasticam, recipiendi officia et beneficia ac pensiones ecclesiasticas (can. 118); 4° tribuit tonsurato privilegia clericalia, nempe canonis, fori, immunitatis, competentiae (can. 119; n. 225).

Articulus III.

De materia et forma ordinis.

813. Nonnulla sedulo animadvertenda. — 1. *Quae* et *quanta* sit Ecclesiae potestas circa sacra-

(4) Functiones quatuor ordinum minorum, excepto exorcistatu, iuxta modernam disciplinam saepe a laicis exercentur.

mentum, nondum definitum est. Proinde libere in scholis catholicis disputari potest.

Item quid significent verba Concilii Trid. « *salva illorum* (i. e. sacramentorum) *substantia* » (1), certo non constat. Longe verius praefata verba intelligenda sunt de iis omnibus iisque tantum (materia, forma et ministro), quae ab ipso Christo D. directe ac immediate praefinita sunt.

2. Si certum sit, Ecclesiam per plura saecula habuisse hanc aut illam materiam vel formam ut validam ac sufficientem, eadem etiam hodie ut valida et sufficiens habenda est, nisi *certo* constet Ecclesiam *expresse* eam ut invalidam vel insufficientem declarasse. Lex enim seu dispositio, quae a voluntate Ecclesiae pendet, eatenus habenda est tamquam irritans vel inhabilitans, quatenus expresse vel aequivalenter id exprimatur (cfr. can. 11). Quod sollemne principium generale prae oculis semper habendum est, ut aequum feratur iudicium de iis quae materiam et formam ordinum respiciunt.

3. Si adsit dubium positivum, et agatur de re quae pendet a voluntate Ecclesiae, ipsa supplet profecto. Id ex eiusdem natura et fine sponte consequitur.

4. Ecclesia nequit errare circa materiam, formam et ministrum sacrae ordinationis. Unde si lege generali vel diuturna praxi validam habuit ordinationem tali materia vel forma collatam, ea valida omnino dicenda est; pariter si alia materia aut forma adhibetur in Ecclesia latina et alia in Ecclesia orientali, utraque ordinatio ut valida profecto habenda est, donec Ecclesia *expresse* aliud decernat. Hinc probe intelligitur principium supra enuntiatum, quod in hac materia naviter spectandum est.

814. Materia et forma ordinum minorum. — 1. Materia *remota* sunt instrumenta singulis ordinibus propria.

(5) Sess. XXI, cap. 2.

Materia *proxima* est traditio istorum instrumentorum.

Forma sunt verba Episcopi seu ministri in traditione instrumentorum probata.

2. *Ostiariatus.* Materia proxima est traditio clavium ecclesiae, quas singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum minister pronuntiat verba : « Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur ».

Licet uti clavi qualicumque (2). Sed in praxi melius est ut servetur praescriptum *Pontificalis Rom.*, ex quo duae claves ecclesiae ordinando tradi debent (3).

Alii ritus, nempe quod ordinandus, duce archidiacono vel alio eius vice fungente, claudat et aperiat ostium ecclesiae, et pulset campanas, non requiruntur *ad valorem* ordinationis, sed solum de praecepto. Imo, etiam ratione praecepti, opus non est ut ordinandus claudat et aperiat ostium ecclesiae *cum clavi*, nec ut pulset plures campanas, sed una sufficit, et, deficiente campana, satis est ut pulset tintinnabulum altaris (4).

3. *Lectoratus.* Materia proxima est traditio libri lectionum, quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum minister dicit : « Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio ».

Liber tradendus potest esse vel *Missale*, vel *Breviarium*, vel volumen S. Scripturae (5).

4. *Exorcistatus.* Materia proxima est traditio libri exorcismorum, quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum minister pronuntiat haec verba :

(2) S. R. C. 11 mart. 1820, ad 7; S. C. de Prop. Fide, 27 sept. 1843.
(3) S. R. C. 20 iul. 1899.
(4) S. R. C. 12 nov. 1831, ad 5; 27 sept. 1873, ad 2, 3, 4.
(5) S. R. C. 27 sept. 1873, ad 5.

« Accipite et commendate memoriae et habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos ».

Liber porrigendus potest esse vel *Missale* vel *Pontificale* vel *Rituale*.

5. *Acolythatus*. Materia proxima est duplex traditio, scil. 1° candelabri cum candela exstincta, quod (id est et candelabrum et candelam) ordinandus tangere debet manu dextera, ministro dicente : « Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini. *R.* Amen »; 2° urceoli vacui, quem similiter singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum minister dicit : « Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. *R.* Amen ».

Ipsi ordinandi, non vero adstantes, respondere debent : *Amen* (6).

6. De essentia non est ut instrumenta in suscipiendis ordinibus minoribus manu *dextera* tangantur, nec multo probabilius ut adsit tactus physicus et immediatus. Quoad acolythatum, certe de essentia non est ut candela sit exstinta et urceolus vacuus, nec ut ordinandus tangat simul et candelabrum et candelam.

815. Ritus primae tonsurae. — 1. Ritus essentialis primae tonsurae hic est : 1° Minister incidit capillos, modo in *Pontificali Rom.* descripto (7), et quidem capillos proprios seu naturales tonsurandi, non comae adscititiae (8); 2° tonsurandus interea recitat formulam : *Dominus pars* etc. Haec verba recitat, iuxta morem, etiam Episcopus, ut respondit S. R. C. 12 nov. 1831, ad 3; sed eiusdem recitatio non pertinet

(6) S. R. C. 12 nov. 1831.

(7) « Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis; videlicet, in fronte, in occipitio, et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum ». Ita *Pontif. Rom. De clerico faciendo.*

ad ritum essentialem primae tonsurae, imo nec obligatoria, cum non sit praescripta a *Pontif. Rom.* (8).

Impositio superpellicei cum verbis relativis verius ad essentiam ritus non pertinet; nam recentissima est. Certe ad valorem non requiritur, ut tonsurandus accedat *veste clericali indutus.*

816. Materia et forma ordinum maiorum. — 1. *Subdiaconatus.* Materia proxima duplex est, nempe traditio 1° *calicis vacui cum patena vacua superposita,* quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum minister haec verba profert: « Videte, cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis »; 2° *libri epistolarum,* quem pariter singuli ordinandi manu dextera tangunt, Episcopo dicente: « Accipite librum epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. *R.* Amen ».

Liber tradendus potest esse vel Missale vel Biblia.

2. Certa ab incertis distinguenda:

1° Certum est traditionem urceolorum factam ab archidiacono et impositionem vestium non esse ritum essentialem.

2° Item certum est tactum per manum *dexteram* non requiri ad valorem, ut supra (n. 814, 6).

3° Verius ad valorem non requiritur ut calix sit vacuus et patena item vacua.

4° Apud omnes certum est *traditionem calicis cum patena* esse materiam subdiaconatus ideoque ad essentiam requiri. Sane hic ritus antiquissimus est, et decretum Eugenii IV ad Armenos hanc materiam eamque tantum memorat: « Subdiaconatus vero (traditur) per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem ».

(8) Cfr. Many, n. 292; Gasparri, n. 2014 s.

5° Num *traditio libri epistolarum* pertineat ad ritum essentialem, disputatur. Longe communius DD. negant, iuxta citatum decretum Eugenii IV ad Armenos, affirmantes sufficere traditionem calicis et patenae (9).

Quidam censent ad valorem subdiaconatus requiri etiam *traditionem libri epistolarum*, tum quia *Pontificale Rom.* adhuc vocat *ordinandos*, qui nondum receperunt librum epistolarum, *ordinatos* vero qui receperunt; tum quia verba « *Accipite librum epistolarum, et habete potestatem* ... », significant aliquam potestatem tunc conferri reapse ordinandis (10).

6° Ad *formam* quod attinet, plures tenent hanc solam esse formam: « *Videte cuius ministerium* ... », quam Episcopus pronuntiat, dum tradit calicem et patenam. Alii censent hisce verbis addendam esse, ut complementum formae, orationem *Domine sancte*, quae est antiquissima quaeque olim dicebatur *benedictio subdiaconi* (11).

817. 3. *Diaconatus*. Materia proxima duplex est, nempe: 1° *impositio manus Episcopi*, qua durante Pontifex dicit: « *Accipite Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius: in nomine Domini* »; 2° *traditio libri Evangeliorum* (Missalis vel Bibliae), quem singuli manu dextera (non ad valorem, ut supra) tangere debent, dum Episcopus dicit: « *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis: in nomine Domini.* R. *Amen* ».

(9) S. Thom., *Suppl.*, q. 38, art. 1, ad 2; S. Antoninus, *Summa theologica*, part. III, cap. 16, n. 4; Vasquez, *in III part. S. Thomae*, disp. 238, cap. 2; Schmalzgr., lib. I, tit. 11, n. 5; Billuart, *Summa D. Thomae, de ordine*, diss. II, art. 3; Many, n. 284; Gasparri, n. 1030, etc.

(10) Reiffenst., *Theol. moralis*, II, tract. 6, dist. 12, n. 24; D'Annibale, III, n. 290.

(11) Cfr. Many, n. 284; Gasparri, n. 1029.

Circa ritum *essentialem* diaconatus tres dantur sententiae (12). Prima dicit constare sola porrectione instrumenti seu libri Evangeliorum, ut materia, et verbis relativis, ut forma. Altera tenet constare *tum* traditione libri Evangeliorum, *tum* impositione manus Episcopi, cum relativis verbis.

Tertia affirmat constare sola impositione manus Episcopi, ut materia, et relativa oratione, ut forma. Haec sententia communior est et vera videtur, attentis documentis antiquis et spectata disciplina Ecclesiae orientalis (13), iuxta ea quae alibi diximus (n. 813).

Ordinatio diaconi, cui Episcopus ordinans manus appropinquavit, sed caput ordinandi non tetigit, iteranda est sub conditione et secreto (14).

Apud Orientales, exceptis tantum Armenis, *sola* manus impositio adhibetur ut ritus essentialis.

Quoad *formam* diaconatus, Doctores qui tertiam sententiam modo expositam sequuntur, diversimode sentiunt. Nonnulli tenent formam constitui verbis quae Episcopus profert dum manum imponit super ordinandos: *Accipite Spiritum Sanctum ad robur* etc. Alii censent esse orationem (quae olim dicebatur *consecratio* diaconi), quam nunc *Praefationem* vocamus, in qua haec verba sunt: *Emitte in eos, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii,* etc. (15).

818. 4. *Presbyteratus.* Variae sunt DD. sententiae circa *essentialem* materiam proximam et formam presbyteratus.

(12) Omittendam censemus opinionem tum Durandi qui assignat pro materia traditionem stolae et traditionem libri Evangeliorum, tum Michaelis Medinae qui his rebus tertiam addit, scil. traditionem dalmaticae.

(13) Cfr. Martene, l. c., art. 9, n. 1 ss.; Tournely, l. c., q. 3, et 6, art. 3; Perrone, l. c.; Gasparri, n. 1046 ss.; Many, n. 267; Cappello, *De Ordine,* n. 93 ss.

(14) S. Off. 20 ian. 1875.

(15) Morinus, part. III, exercit. 9, cap. 2, n. 2; Vuitasse, l. c., q. 3, art. 3; Many, n. 268.

1° Prima sententia tenet materiam proximam esse traditionem instrumentorum, formam verba Episcopi: « *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis: in nomine Domini* ». Haec opinio intrinsece probabilis non videtur.

2° Secunda sententia dicit materiam proximam esse duplicem, scil. tum traditionem calicis cum vino et patenae cum hostia, tum *tertiam* manuum impositionem.

Formam dicit esse tum verba: « *Accipe potestatem offerre sacrificium...* », tum alia: « *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata...* ».

Haec sententia caret, nostro iudicio, intrinseca probabilitate, quia neo-presbyteri certe ordinis sacramentum receperunt *ante consecrationem* panis et vini, quam faciunt simul cum Episcopo; ac praeterea quia tertia manuum impositio, quae fit post communionem, ante saeculum XII in usu non fuit (16).

3° Tertia sententia convenit cum secunda in duplici materia et forma assignanda, at *primam* impositionem manus, non tertiam (17), affirmat esse essentialem. Solida probabilitate destituta videtur.

4° Quarta tenet, ad essentiam sacramenti pertinere tum primam manus impositionem, tum traditionem instrumentorum, tum ultimam manuum impositionem. Censemus intrinsece probabilem hanc opinionem non esse.

(16) Cfr. Van Rossum, *De essentia sacr. ord.*, n. 54 ss.; Many, n. 255; Coppens, *L'imposition des mains* etc., p. 124 ss.

(17) Tres distingui solent manuum impositiones: prima, quae fit per Episcopum et presbyteros, silentio; altera, quae statim sequitur, dum Episcopus recitat orationem: *Oremus, fratres carissimi*; tertia in fine Missae, cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris*, etc.

Duae priores impositiones non sunt nisi una et eadem impositio, quae incipit silentio, dein continuatur et completur dum Pontifex, dexteram extensam cum sacerdotibus tenens super ordinandos, recitat praedictam orationem: *Oremus, fratres carissimi.*

5° Quinta docet, ad essentiam requiri *vel* solam primam manuum impositionem *vel* solam traditionem instrumentorum. Haec opinio verius caret intrinseca probabilitate.

6° Sexta sententia tenet ritum essentialem presbyteratus constare sola manuum impositione, ut materia, et oratione relativa, ut forma.

Haec sententia longe communior est et omnino certa videtur (cfr. n. 813), perspecta disciplina Ecclesiae orientalis, iuxta quam ritus essentialis presbyteratus constat tantum impositione manuum et oratione consecratoria, atque attenta ipsa disciplina Ecclesiae latinae usque ad saec. IX vel X, quo tempore presbyteratus sola manuum impositione conferebatur. Non obstant responsiones S. Officii, de quibus statim.

819. 5. Nonnulla practice attendenda.

1° Ad validitatem ordinationis necesse non est ut impositio manuum fiat *tactu corporali* (18).

2° Certe valida est impositio manuum sive Episcopus imponat manus cum chirothecis, sive tangat caput pileolo aut coma adscitia coopertum (19).

3° Opus non est ut instrumenta (calix et patena), quae porriguntur ordinando, sint consecrata.

4° Instrumenta tangenda sunt, saltem probabilius, *physice* ab ordinando non autem moraliter tantum.

5° Satis est ad valorem ut ordinandus tangat vel calicem vel patenam, cum calix et patena tradantur *per modum unius* (20).

Secunda impositio, quae nonnisi continuatio primae est, videtur sufficere, cum sit vera et proprie dicta manuum impositio, licet facta per plures.

(18) S. Off. 19 aug. 1851 declaravit supplendam esse impositionem manuum *tactu corporali*, si omissa fuerit in ordinatione presbyteri vel diaconi, addiditque faciendam esse « secreto in actione Missae, atque etiam extra tempora generalis ordinationis ».

Sola manuum impositio supplenda est, non tota ordinatio iteranda. Igitur S. Officium supponit ordinationem esse validam.

(19) S. Off. 22 ian. 1890.

(20) S. Off. 17 mart. 1897.

6° S. Off. die 17 mart. 1897 censuit iterandam esse sub conditione et secreto ordinationem presbyteri, in qua a sacerdotibus adstantibus omissa fuit ex inadvertentia manuum impositio, nec Episcopus memor est (nec memores sunt adstantes) se manus extendisse super caput ordinandi in secunda earum impositione, dum recitaret orationem *Oremus, fratres carissimi,* etc.

7° Parva interruptio formae in porrectione instrumentorum non obstat validitati ordinationis (21).

8° Ordinatio presbyteri, in qua defuit hostia in actu traditionis instrumentorum vel hostia in terram decidit, priusquam tangeretur ab ordinando, ex integro sub conditione et secreto iteranda est (22).

9° Item ex integro sub conditione et secreto iteranda est ordinatio presbyteri, in qua Episcopus ad secundam manuum impositionem, iunctas easdem servavit ante pectus, et dein eas resolvit (23).

10° Pariter ex integro sub conditione et secreto iteranda est ordinatio presbyteralis, si in traditione calicis vinum non adfuerit (24).

11° Valida certe est ordinatio, in qua prima et secunda manuum impositio omissa fuit cum forma relativa, at omnia postea impleta sunt ante instrumentorum traditionem (25).

12° Sub conditione et privatim repetenda est ordinatio, in qua adfuit sola prima manuum impositio, et dubitatur pro secunda, an Episcopus, etiam per momentum, manus extenderit super ordinandum (26).

13° Ex integro sub conditione et secreto iteranda est ordinatio presbyteri, in qua omissa fuit prima et

(21) S. Off. 20 april. 1898.
(22) S. Off. 6 iul. 1898; 17 ian. 1900.
(23) S. Off. 6 iul. 1898.
(24) S. Off. 11 ian. 1899.
(25) S. Off. 3 maii 1899.
(26) S. Off. 19 iul. 1899.

secunda manuum impositio, cui factum est satis post communionem (27).

820. 5. *Episcopatus.* Materia proxima est impositio manuum consecrantis, et forma est oratio, quae hanc impositionem comitatur.

Ceteri ritus (unctio, impositio et traditio libri Evangeliorum) non sunt essentiales. Unctio non fuit adhibita in Ecclesia romana per 8 aut 9 priora saecula. Impositio libri Evangeliorum super caput aut cervicem consecrandi per plura saecula non fuit adhibita in Ecclesia romana (nisi pro consecratione R. Pontificis) nec alibi. Traditio libri Evangeliorum recentissima est in Ecclesia romana.

821. Defectus supplendi in ordinatione commissi. — 1. Si defectus sunt *accidentales,* et quidem *leves,* postea suppleri non debent. Sic v. g. si adhibitum fuerit chrisma in manuum unctione, non oleum catechumenorum, nihil dein repetendum est.

2. Si defectus sint *accidentales,* at *graves,* non tota ordinatio est iteranda, sed illi supplendi; ex. gr. si unctio manuum totaliter omissa fuerit, aut tertia manuum Episcopi impositio.

3. Defectus qui pertinent ad *essentiam* ordinationis non solum supplendi sunt, sed *tota ordinatio* est iteranda, et quidem *absolute* si defectus certe attingat essentiam ordinationis, *sub conditione* si probabiliter tantum illam attingat (cfr. n. 819).

Articulus IV.

De ministro sacrae ordinationis.

Distinguendum inter ministrum *ordinarium* et *extraordinarium,* atque inter ministrum *validae* ordinationis et *licitae* ordinationis.

(27) S. Off. 22 aug. 1900

822. Minister ordinarius validae ordinationis. — 1. Talis minister est *omnis* et *solus* Episcopus consecratus (can. 951). De fide est (1).

2. Dicitur *omnis* Episcopus. Igitur etiam censuratus, irregularis, depositus, degradatus, haereticus vel schismaticus, dummodo ipse sit valide consecratus. Hinc patet cur ordinationes factae ab Episcopo anglicano sint nullae et irritae, cum ipse non sit valide consecratus; dum ordinationes factae ab Episcopis schismaticis sunt validae, cum hi sint valide consecrati.

Episcopus electus et confirmatus, sed nondum consecratus, potest quidem concedere litteras dimissorias suis subditis ordinandis, sed nequit eos ordinare.

3. Dicitur *solus*, quia necessario requiritur character episcopalis ut quis sit minister ordinarius; eo deficente, poterit quidem esse minister, sed tantum extraordinarius.

823. Minister extraordinarius validae ordinationis. — 1. Talis est quilibet sacerdos a Summo Pontifice delegatus seu praeditus potestate conferendi aliquos ordines scil. primam tonsuram et ordines minores (can. 951).

2. Haec potestas est *a iure* vel *ex speciali indulto* Sedis Apostolicae.

Ex iure (si episcopali carent charactere) gaudent potestate conferendi primam tonsuram et ordines minores: 1° Cardinales (can. 239, § 1, 22°); 2° Vicarius et Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, in proprio territorio et durante tantum munere, tum propriis subditis saecularibus, tum aliis qui litte-

(1) Conc. Trid., Sess. XXIII, can. 7 de sacr. ord.; Eugenius IV (in Conc. Florentin.), Const. « *Exsultate Deo* », 22 nov. 1439, etc.

ras dimissorias iure requisitas exhibeant; ordinatio extra hos fines peracta ab iisdem irrita est (can. 957, § 2); 3° Abbates regulares de regimine, dummodo sint sacerdotes et benedictionem abbatialem legitime acceperint atque ordinandi sint eisdem subditi vi saltem simplicis professionis; secus ordinatio, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita (can. 964, 1°).

3. Sacerdos ex peculiari indulto R. Pontificis potest certe conferre etiam subdiaconatum.

Num Papa possit delegare sacerdotem ad conferendum ordinem diaconatus, controvertitur. Quidam narrant Innocentium VIII Const. « *Exposcit* », 9 april. 1489, talem delegationem concessisse nonnullis abbatibus Cisterciensibus. Authenticitas huius Constitutionis nondum est solide probata. Praeterea, ea quoque admissa, decisivum argumentum inde erui minime potest, cum agatur de facto *singulari*.

Sententia probabilissima, nobis certa, est, R. Pontificem non posse presbyterum delegare ad conferendum diaconatum.

A fortiori nequit Papa delegare sacerdotem ad conferendum ordinem presbyteratus (2).

824. Minister licitae ordinationis. — 1. Generatim is est qui habet iurisdictionem *ordinariam* vel *delegatam* in ordinandum. Idcirco Episcopus seu mini-

(2) Quoad concessionem, quae dicitur facta a Bonifacio IX anno 1400 Abbatibus monasterii S. Osith in Anglia, haec pauca animadvertisse sufficiet:

Passim in documentis pontficiis saec. XIV, XV et XVI, voces « *ordinare* », « *ordines conferre* », « *promovere ad ordines* », significant *litteras dimissorias concedere ad ordines suscipiendos*. Abbates de iure communi, usque ad Codicem, non poterant huiusmodi litteras concedere subditis suis sine peculiari privilegio S. Sedis. Huc spectat facultas concessa Abbatibus monasterii S. Osith. Id textus et contextus documenti pontificii atque adiuncta perspicue suadent ac manifeste exigunt. Vide de hac re quae fuse tradimus in tractatu *De Ordine*.

ster (Abbas, Vicarius, etc.) nequit licite ordinare nisi proprios subditos aut rite ad se dimissos.

Iurisdictionem *ordinariam* habet Episcopus *proprius*; delegatam qui ordinat subditum alienum litteris dimissoriis praeditum. Hinc principium statutum in can. 955 : « Unusquisque a *proprio* Episcopo ordinetur aut *cum legitimis* eiusdem *litteris dimissoriis* ».

2. Nemini licet ordinatum a R. Pontifice ad altiorem ordinem promovere sine facultate S. Sedis (can. 952). Praescriptum non respicit proprie eos qui Papam tamquam Episcopum proprium habent, i. e. subditos dioecesis Romanae, sed eos qui, ad alios Episcopos proprios pertinentes, aliquem ordinem, *honoris causa*, a R. Pontifice receperunt. Ratio est reverentia erga Papam. Non fit locus huic praescripto, si quis ordinatus quidem fuerit ab eo, sed ante eiusdem electionem.

825. 3. Consecratio episcopalis reservatur R. Pontifici, ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de mandato pontificio (can. 953). Hoc praescriptum valet pro Episcopis tantum ritus latini; orientales promoti ad dignitatem episcopalem consecrantur a proprio metropolita vel a patriarcha (3).

4. Episcopus consecrator, alios duos Episcopos adhibere debet, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re, ut aliquando fit, a S. Sede dispensatum fuerit (can. 954).

Duo Episcopi assistentes non ad valorem consecrationis, sed tantum ad liceitatem postulantur. Interdum S. Sedes indulget, ut loco Episcoporum duo presbyteri assistant (4).

(3) *Pontificale Rom.* (*De consecratione electi in Episcopum*) haec habet: « Consecrator dicit: *Habetis mandatum apostolicum?* Respondet Episcopus senior assistentium: *Habemus.* Consecrator dicit: *Legatur* ».

(4) Tres sunt de hac re veterum Doctorum sententiae.

826. Episcopus proprius quoad ordinationem. — 1. Ex duplici titulo Episcopus, ad normam can. 956, est *proprius* quoad ordinationem : 1° ratione *domicilii una cum origine,* quatenus ordinandus habeat tam originem (n. 193) quam domicilium in dioecesi Episcopi ordinantis; 2° ratione *domicilii sine origine, sed praestito iureiurando,* quatenus ordinandus animum in dioecesi perpetuo manendi iuramento confirmet (5).

Iuramentum hoc necessarium non est, si agitur *a*) de clerico ad ordines promovendo, qui dioecesi iam incardinatus est per primam tonsuram; vel *b*) de promovendo alumno, qui servitio alterius dioecesis destinatus est; vel *c*) de promovendo religioso professo (6).

Prima requirit tres saltem Episcopos ad validam consecrationem. Ita Hostiensis, Morinus aliique.

Altera affirmat tres Episcopos requiri ad validitatem consecrationis, ita tamen ut ex dispensatione R. Pontificis unus sufficiat. Ita S. Antoninus, Vasquez, Tournely, etc.

Tertia docet unum Episcopum sufficere ad validam consecrationem. Ita Thomassinus, Vuitasse, Billuart, Catalanus, Benedictus XIV aliique.

Haec sententia, attento usu antiquo Ecclesiae Romanae, attenta praxi S. Sedis atque perspecta ecclesiastica traditione, est unice vera.

(5) Peculiaris difficultas haberi potest quoad eos qui ex Polonia aut Hollandia Romam petunt aliamve urbem et destinati sunt pro dioecesibus v. g. Americae. Difficultas adest, si domicilium in loco originis amiserunt per discessum sine animo redeundi. Quo in casu nec Episcopus originis nec Episcopus pro cuius dioecesi destinati sunt, litteras dimissorias concedere valet. Igitur petendum est indultum a S. Sede.

Si domicilium in loco originis adhuc servent, res facile componitur. Episcopus originis ipse potest eos promovere ad primam tonsuram vel litteras dimissorias conferre, cum destinatione ad aliam dioecesim.

(6) In iure antiquo plures erant tituli, e quibus *proprius* Episcopus quoad ordinationem constituebatur, nempe origo, domicilium, beneficium, familiaritas. His antiquioribus titulis novus accessit ex decreto S. C. Concilii, 20 iul. 1898, scil. incardinatio.

2. Episcopus *proprius* cuiusque religiosi professi (quoad ordinationem) est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam ordinandus pertinet. Superiores autem cavere debent, ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant (can. 965, 967).

3. Ordinatio religiosi professi non exempti generatim regitur iure saecularium (can. 964, 4°). Attamen talis religiosus, et a fortiori religiosus exemptus, qui ordinatur ab Episcopo domicilii non tenetur iurare, se velle in dioecesi perpetuo manere. Id ex ipso conceptu disciplinae religiosae.

4. Qui ordinatur titulo servitii alius dioecesis, vi ordinationis non illi dioecesi incardinatur, sed dioecesi Episcopi ordinantis, ita ut postea necessaria sit excardinatio et incardinatio (cfr. n. 221).

5. Episcopus *proprius*, iusta de causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinare debet; at si habet subditos ritus orientalis, eos nequit *licite* (valide semper) ordinare sine peculiari indulto apostolico (can. 955, § 2).

827. Litterae dimissoriae.— 1. Eae sunt, quibus Episcopus proprius concedit Episcopo alieno facultatem conferendi ordines subdito suo; vel, quod in idem recidit, sunt litterae quibus Episcopus proprius concedit subdito licentiam recipiendi ordines ab Episcopo alieno.

2. Istae litterae *ad liceitatem* ordinationis requiruntur, non excepta prima tonsura, cum ordinandus non est subditus Episcopi ordinantis, seu cum ordines recipiendi sunt ab Episcopo *non proprio*.

3. Concedi possunt sive verbo sive scripto. Consultius scripto conceduntur. Necesse non est ut dirigantur ad certum ac determinatum Episcopum. Idcirco dirigi possunt *ad quemcumque Episcopum catholicum*, vel *ad quemcumque Episcopum gratiam et*

communionem cum Sede Apostolica habentem, vel *ad talem Episcopum determinatum aut aliud quemcumque ab eo deputatum*, etc.

Concedi possunt *ad tempus, sub conditione*, ita ut, elapso tempore aut conditione non impleta, irritae fiant. Interdum continent bonum testimonium de vita et honestate subditi, clausulas de dispensatione super interstitiis, temporibus ordinationum, aetate, etc.

828. 4. Litteras dimissorias, quamdiu iurisdictionem in territorio habent, concedere possunt pro *saecularibus*, ad normam can. 958 :

1° Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime cepit, licet nondum sit consecratus.

2° Vicarius generalis, sed tantum ex mandato speciali Episcopi.

3° Vicarius capitularis, sed solum de consensu Capituli et post annum elapsum a sede vacante. Intra annum solis « *arctatis* » ratione beneficii recepti aut recipiendi vel ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione est providendum. Non sufficit *utilitas* dioecesis; requiritur *necessitas*, generatim gravis, moraliter aestimanda.

Vicarius capitularis cavere debet, ne litteras dimissorias concedat iis qui ab Episcopo reiecti fuerunt (can. 958, § 2). Id tamen non sub poena nullitatis.

4° Vicarius et Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores.

5° Rectores Seminariorum et Collegiorum, quae pro missionibus sunt instituta quaeque a S. C. de Prop. Fide dependent, ex peculiari facultate a S. Sede concessa. Quae facultas aliis quoque nonnullis Seminariis sive Collegiis competit.

829. 5. Quoad *religiosos* haec notanda :

1° Pro religiosis *exemptis* proprius Superior maior

litteras dimissorias concedit, quas tamen subditis *a votis simplicibus temporariis* nequit valide et licite concedere nisi ad primam tonsuram et ordines minores (can. 964, 2° et 3°).

2° Pro religiosis *non exemptis* concedit Episcopus aliusve Praelatus, cuius iurisdictioni religiosi subsunt; nam eorum ordinatio regitur iure proprio saecularium (can. 964, 4°).

Complures tamen religiones iuris pontificii, quamvis non exemptae, habent privilegium concedendi litteras dimissorias suis subditis.

6. Qui clericis saecularibus aut religiosis qui saecularium iure reguntur litteras dimissorias concedere valent, eas dirigere possunt ad quemcumque Episcopum catholicum, dummodo ne sit alterius ritus. Dum e contra Superior religiosus debet eas dirigere, salvo peculiari privilegio, ad Episcopum in cuius dioecesi sita est domus religiosa, ad quam ordinandus pertinet. Tunc solum potest ad *alium* Episcopum litteras dirigere, cum Episcopus dioecesanus *a*) aut licentiam dedit, *b*) aut est diversi ritus, *c*) aut est absens, *d*) aut non est ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, *e*) vel denique cum dioecesis vacat, nec is, qui eam regit, charactere episcopali pollet. Necesse est ut id Episcopo ordinaturo, singulis in casibus, constet ex authentico testimonio Curiae episcopalis. Caveant autem Superiores religiosi ne concessionem litterarum dimissoriarum *de industria* in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus est ordinationes (can. 965-967) (7).

830. 7. Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat (can. 959). Haec regula valet pro iis, qui saecularibus

(7) Peculiaris sanctio statuitur in can. 2410 contra delinquentes in hac re.

dant litteras dimissorias; pro religiosis exemptis valet solummodo quoad tonsuram et ordines minores suscipiendos a subditis alicuius abbatis regularis de regimine. Ceteri Superiores religiosi, licet forte charactere episcopali insigniti, nequeunt ordines conferre subditis suis. Soli Abbates et Praelati *nullius* (Vicarii et Praefecti Apostolici) possunt suis subditis omnes ordines conferre, si charactere episcopali praediti sint.

8. Litterae dimissoriae nequeunt concedi, nisi antea habita fuerint omnia testimonia a iure requisita, de quibus paulo infra (n. 831).

9. Quilibet Episcopus, acceptis litteris dimissoriis, subditum alienum *licite* ordinare valet (can. 962).

10. Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente vel eius successore limitari aut revocari; semel autem concessae non exstinguuntur resoluto iure dantis (can. 963). Limitatio respicere potest ordines suscipiendos, tempus, locum aliaque adiuncta. Etsi fiat sine ulla causa, revocatio aut limitatio est semper valida.

831. Testimonia requisita ad sacram ordinationem. — 1. Promovendus *saecularis* aut *religiosus non exemptus* debet habere quatuor testimonia:

1° Testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agitur, recepti baptismatis et confirmationis.

2° Testimonium de studiis pro singulis ordinibus requisitis rite peractis.

3° Testimonium rectoris Seminarii aut sacerdotis, cui candidatus extra Seminarium commendatus fuit, de bonis eiusdem candidati moribus.

4° Litteras testimoniales *Ordinarii loci*, in quo promovendus tantum temporis commoratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit. De his infra (n. 852).

Articulus V.

De subiecto ordinationis.

832. Subiectum capax validae ordinationis. — 1. « *Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus* » (can. 968, § 1).

Duae igitur conditiones requiruntur : 1° *sexus masculinus* et 2° *baptismus*, ac quidem baptismus *aquae* valide susceptus.

2. Mulieres iure divino sunt procul dubio incapaces tum presbyteratus tum veri diaconatus a Christo instituti.

Quoad ordines inferiores et diaconatum improprie dictum sive ministerium, non videtur nonnullis femina radicaliter incapax. Nam, iuxta longe probabiliorem sententiam, subdiaconatus et ordines minores sunt institutionis mere ecclesiasticae. Porro Ecclesia libera est in praefiniendis horum ordinum materia, forma et *subiecto*. Idque, aiunt, confirmari videtur facto ipso sive praxi Ecclesiae, quae aliqualem diaconissarum *ordinationem* admisit (1). Tamen cum Ecclesia in suis ritibus et sacramentalibus constituendis imitari soleat Christum in divinis ritibus et sacramentis ordinandis, a pluribus iam saeculis arcet mulieres a quolibet ministerio rituum et sacramentalium, sicut Christus eas arcet a ministerio sacrificii Missae.

3. Quoad *baptismum* ratio manifesta. Baptismus enim est ianua Ecclesiae seu vitae spiritualis, primum omnium sacramentorum, quo quis constituitur *persona* in Ecclesia, atque ideo efficitur capax recipiendi alia sacramenta a Christo Domino Ecclesiae conficienda ac ministranda commissa.

4. Infantes iure divino sunt capaces sacrae ordinationis. Benedictus XIV tradit, apud Coptos invaluisse consuetudinem conferendi infantulis, imme-

(1) Cfr. Cappello, *De Ordine*, n. 142; Many, n. 72

diate post baptismum, omnes ordines usque ad diaconatum inclusive. Pontifex, prolato « *concordi theologorum et canonistarum suffragio* », tales ordinationes *validas* habet, et varia decernit circa *exercitium* ordinum sic receptorum, et onus coelibatus his adnexum (2).

Id ex ipsa natura sacramenti ordinis consequitur (3); nec ulla est solida ratio excipiendi consecrationem episcopalem (4).

Quod dicitur de infantibus, dicendum quoque est de *perpetuo amentibus*; nec refert quod usus potestatis his impossibilis semper erit. Id enim nonnisi *per accidens* est; porro quod est *per se*, non autem *per accidens*, considerandum.

5. Si promovendus sit *adultus*, debet habere intentionem saltem habitualem suscipiendi ordines. Id autem ad valorem, ex ipsa natura sacramenti ordinis (5). Qui, dum lucida intervalla habebat, intentionem habuit non recipiendi ordines, nequit postea valide ordinari.

Metus gravis non impedit validitatem ordinationis, dummodo usum rationis non auferat. De his aliisque fuse in tractatu nostro *de Ordine*.

833. Conditiones requisitae ex parte subiecti ad licitam ordinationem.— 1. Sunt istae: 1° vocatio divina; 2° recepta sacra confirmatio; 3° status gratiae; 4° mores ordini recipiendo congruentes; 5° aetas canonica; 6° debita scientia; 7° ordinum inferiorum susceptio gradatim facta; 8° observatio intestitiorum; 9° titulus canonicus; 10° immunitas ab irregularitatibus aliisve impedimentis (can. 968, § 1, 974, § 1).

(2) Benedictus XIV, epist. « *Eo quamvis* », 4 maii 1745, §§ 17 et 18; epist. « *Anno vertente* », 19 iun. 1750, 7.

(3) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 81.

(4) Cfr. S. Thom., *Suppl.*, q. 39, art. 2; Billuart, *De ordine*, dissert. III, art. 3, § 1.

(5) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 82.

Pro iis qui promovendi sunt ad episcopatum peculiaria requisita postulantur (can. 974, § 2; n. 365).

834. 2. *Vocatio divina.* Est actus providentiae supernaturalis, qua Deus, pro suo beneplacito, aliquem eligit et destinat ad statum clericalem eique qualitates et gratias ad id necessarias elargitur.

Vocatio divina est omnino necessaria ad ordines suscipiendos. Ad statum clericalem, attento sacro ministerio, maior quam ad statum religiosum et peculiaris requiritur vocatio. Nam in statu religioso nulla specialis potestas confertur, sed solum praebentur media aptiora ad exercendas virtutes et obtinendam perfectionem christianam, ad quam omnes vocantur.

Signa vocationis clericalis sunt: 1° *recta intentio,* qua quis non quaerit otium aut proprium commodum, sed honorem Dei ac spiritualem salutem sui et proximi; 2° *aptitudo* ad subeunda munera status clericalis, ex. gr. scientia et valetudo sufficiens; 3° *virtus probata,* quia non sufficit ut ordinandus sit absolutus a gravibus peccatis commissis, sed opus est ut per diuturnum virtutum exercitium morale certitudinem praebuerit de constanti vita virtuosa (6); 4° *vocatio a legitimo Superiore ecclesiastico,* quae est veluti authenticum sigillum vocationis divinae. Inde tamen minime sequitur Episcopum posse pro libitu arcere idoneum ab ordinibus suscipiendis.

Conditio, quae ex parte ordinandi, debet attendi, nequaquam consistit, saltem necessario et ordinarie, in quadam interna adspiratione seu invitamentis Spiritus Sancti. Nemo ius habet ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem Episcopi (7).

(6) Cfr. Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 14 de ref.

(7) Cfr. respons. pecul. Comm. iussu Pii X approb. et promulg. 26 iun. 1912 (*A. A. S.*, IV, 485); Lahitton, *La vocation sacerdotale,* p. 12.

835 3. *Recepta sacra confirmatio.* Necesse est ut qui per ordines divinis ministeriis mancipatur, in fide confirmatus plane sit atque ad virtutes excolendas roboratus. Porro sacramentum confirmationis valde inservit ad constantiam obtinendam in exercitio virtutum. Longe verius sub levi tantum requiritur.

4. *Status gratiae.* Sacramentum ordinis est sacramentum vivorum ac proinde requirit in suscipiente statum gratiae; qui praeterea necessarius est etiam ex alio capite, quia nempe promovendi ad sacros ordines debent Eucharistiam sumere die ordinationis (can. 1005). Status gratiae certe non requiritur pro recipienda prima tonsura, nec longe probabilius pro ordinibus minoribus et subdiaconatu, cum sacramentum verius non sint: practice autem, stante dubio, status gratiae exigi nequit a confessario.

5. *Aetas canonica.* Quae est annus 21 completus pro subdiaconatu, 22 annus completus pro diaconatu, 24 annus completus pro presbyteratu, 30 annus completus pro episcopatu (can. 331, § 1, 2, 975). Pro tonsura et ordinibus minoribus indirecte tantum praefinitur aetas ac indeterminate, i. e. per scientiae requisitae indicationem, de qua infra.

836. 6. *Mores ordini recipiendo congruentes.* Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros (can. 973, § 1). Igitur tonsura ceterique ordines necessario referri debent, ex intentione suscipientis, ad presbyteratum, ita ut hodie, aliter ac olim, non amplius prima tonsura et ordines minores conferri possint iis qui alios quoque ordines suscipiendi propositum non habeant.

Episcopus sacros ordines nemini conferre potest, quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate seu vocatione; secus et gra-

vissime peccat et periculo se committit alienis peccatis communicandi (can. 973, § 3). Quare distinguendum inter ordines sacros et ordines minores ac primam tonsuram. Pro ordinibus sacris requiritur *certitudo moralis* de idoneitate canonica promovendi seu de vera vocatione, ita ut non sufficiat mera praesumptio vel coniectura aut probabilitas : quae moralis certitudo solidis seu positivis argumentis niti debet ex iisque eruenda. Pro prima tonsura et ordinibus minoribus sufficit fundata probabilitas item ex positivis argumentis desumpta, quin tamen certitudo moralis requiratur.

Ordinatus superiores ordines recipere recusans, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa (can. 973, § 2).

Ratio *primi*, quia ordines sunt libere suscipiendi; ratio *secundi*, quia ex receptis ordinibus ius quaesitum obvenit promoto quoad eorundem exercitium.

7. *Debita scientia.* Nemo ad primam tonsuram promoveri potest ante inceptum cursum theologicum; ad subdiaconatum nisi exeunte tertio cursus theologici anno; ad diaconatum nisi incepto quarto anno; ad presbyteratum nisi post medietatem eiusdem quarti anni. Ordines minores recipiendi sunt intra tempus quod decurrit a prima tonsura recepta ad subdiaconatum suscipiendum.

Cursus autem theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem can. 1365 (n. 797) determinatam (can. 976).

Cursus theologicus censetur inceptus a momento inscriptionis, ante quoque initium scholarum. Verba « exeunte tertio cursus theologici anno » ita sunt intelligenda, ut subdiaconatus recipi possit 30 vel 40 circiter diebus ante tertium annum cursus theologici ex-

pletum. Quartus annus censetur inceptus a momento inscriptionis, ut supra, quae haberi potest etiam uno alterove mense ante lectionum initium. Medietas quarti anni moraliter aestimanda est. Generatim annus scholaris 9 mensibus constare debet, examinum tempore supputato. Medietas proinde habetur post quinque circiter menses seu saltem quatuor cum dimidio iam integre elapsos.

Promotus ad presbyteratum nequit ministerium animarum exercere, v. g. munus praedicandi aut excipiendi sacramentales confessiones obire, ante quartum annum cursus theologici completum. Huiusmodi enim ministerium solet graviter studium impedire. Ita decrevit S. Congregatio de Religiosis pro sodalibus religionum et alumnis societatum in communi viventibus sine votis, die 27 oct. 1923 (8). Quae norma applicanda quoque est clericis saecularibus, durante cursu theologico, ad presbyteratum ex dispensatione S. Sedis promotis. Rescriptum dispensationis solet expressam de hac re clausulam referre.

Vetatur ministerium habituale aut frequens, et quidem durante anno scholari, non autem feriarum tempore.

837. 8. *Ordinum inferiorum susceptio gradatim facta.* Ordinatio sic dicta per saltum est graviter prohibita et congruis poenis percellitur (can. 997 et 2374). Si recipiantur ordines sacri, omissis minoribus, valide recipiuntur. Item valida est susceptio diaconatus, omisso subdiaconatu, et susceptio presbyteratus, omisso diaconatu. Si recipiatur episcopatus, omisso presbyteratu, huc redeunt quae supra diximus (n. 806).

9. *Observatio interstitiorum.* Nomine *interstitiorum* intelligitur congruum temporis spatium inter unam et alteram ordinationem. Nam de iure communi servan-

(8) *A. A. S.*, XV, 549.

da sunt in ordinationibus temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, sese exercere debent (can. 978, § 1).

Inter primam tonsuram et ostiariatum itemque inter singulos ordines minores interstitia committuntur prudenti Episcopi iudicio, qui proinde potest dispensare super iisdem. Inter acolythatum et subdiaconatum requiruntur interstitia saltem unius anni; inter subdiaconatum et diaconatum ac inter diaconatum et presbyteratum saltem trium mensium (can. 978, § 2).

Episcopus *proprius* ordinandi potest ab interstitiis dispensare, si necessitas aut utilitas Ecclesiae id postulet. Attamen, sine peculiari venia S. Sedis, numquam conferri possunt eidem candidato uno eodemque die ordines minores cum subdiaconatu, vel duo sacri ordines, reprobata contraria consuetudine. Imo amplius non licet, sine licentia Sedis Apostolicae, primam tonsuram conferre una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines una simul conferre (can. 978, § 3) (9).

Etiam Superiores regulares, et omnes qui participant eorum privilegia, possunt subditos proprios dispensare ab interstitiis.

Annus inter acolythatum et subdiaconatum potest esse sive *naturalis* sive etiam *ecclesiasticus* qui longior aut brevior est anno naturali. Quare clericus, promotus ad acolythatum in sabbato sancto huius anni, poterit in sabbato sancto anni sequentis promoveri ad subdiaconatum, licet nondum effluxerit annus *naturalis*.

Stricta obligatio exercendi ordinem inferiorem, antequam clericus promoveatur ad superiorem, non existit.

(9) Contraria consuetudo de hac re estne legitima? Quidam affirmant (cfr. Prümmer, q. 320, 8). Practice negandum ad normam can. 5, quia nulla est ratio *tolerandi* huiusmodi consuetudinem.

838. 10. *Titulus canonicus.* Hic titulus requiritur tantum pro suscipiendis ordinibus *maioribus.*

1° Pro clericis *saecularibus* titulus ordinarius est unus, scil. beneficii ecclesiastici; eo deficiente, habentur tres tituli subsidiarii, nempe patrimonii, pensionis et servitii dioecesis.

Titulus debet esse *vere securus* pro tota ordinati vita et *vere sufficiens* ad congruam eiusdem sustentationem, iuxta prudens Ordinarii iudicium.

Potest patrimonium constitui in bonis immobilibus aut mobilibus, in numerata pecunia vel pensione, praestita in tali casu debita cautione aut inscripta hypotheca ad rei securitatem. Titulus debet esse securus etiam secundum legem civilem, ne secus damnum vel periculum sequatur. Pensio potest esse non solum ecclesiastica, sed etiam laicalis, a persona privata vel publica solvenda; huiusmodi titulus potest quoque esse cappellania laicalis, quae scil. erecta non sit a competente auctoritate ecclesiastica.

Si ordinatus titulum amisit, alium sibi providere debet, nisi, iudicio Episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum sit (can. 979). Quod valet praesertim pro religiosis saecularizatis.

Si desit titulus beneficii vel patrimonii aut pensionis, suppleri potest titulo *servitii dioecesis* (et in locis S. Congreg. de Prop. Fide subiectis titulo missionis), ita tamen ut ordinandus iureiurando promittat se perpetuo in dioecesis (aut missionis) servitium operam esse praestiturum sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate. Ordinarius debet *presbytero* (non subdiacono vel diacono, qui, ut supponitur, adhuc in Seminario est, studiorum causa), quem promovit ad sacros ordines titulo servitii dioecesis (vel missionis), officium vel beneficium vel subsidium ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens conferre (can. 981).

Ordinarius, qui sine apostolico indulto subditum scienter promovit ad sacros ordines absque titulo ca-

nonico, ipse eiusque successores debent eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum sit. Quod si Episcopus aliquem ordinavit sine titulo canonico, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum est nullum et irritum (can. 980).

2° Pro *religiosis votorum sollemnium* titulus canonicus est *religiosa professio* seu titulus paupertatis.

Pro religiosis *votorum simplicium perpetuorum* est titulus *mensae communis* aliusve similis ad normam constitutionum uniuscuiusque religionis.

Pro religiosis *votorum simplicium temporariorum* idem est titulus ac pro clericis saecularibus (can. 982).

11. *Immunitas ab irregularitatibus et impedimentis*, de quibus speciatim in articulo sequenti (10).

Articulus VI.

De irregularitatibus et impedimentis.

839. Notio et divisio.— 1. Irregularitas est *impedimentum perpetuum iure ecclesiastico constitutum, prohibens primario susceptionem ordinis et secundario exercitium ordinum susceptorum* (can. 983).

Dicitur: 1° *Impedimentum* seu quaedam inhabilitas, non autem censura vel poena. Sane irregularitas non semper culpam supponit; et etiam quando oritur ex delicto, finis eius non est ultio criminis, sed ne quis indignus statum clericalem suscipiat, aut ministerium sacrum exerceat.

2° *Perpetuum*, quia irregularitas ex iure Codicis est semper et necessario perpetua. In hoc praecise reponenda differentia inter irregularitatem proprie dictam et impedimentum simplex.

(10) Simonia in conferendis aut recipiendis ordinibus admissa poenali subest sanctioni (can. 2371). Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 509 ss.

3° *Iure ecclesiastico constitutum*, quia nonnisi ex positiva Ecclesiae dispositione proficiscitur huiusmodi impedimentum. Quare is qui iure *divino* arcetur ab ordine suscipiendo vel exercendo, v. g. mulier, vel qui caret vocatione divina, non est proprie irregularis, sed incapax aut ineptus.

4° *Prohibens primario susceptionem ordinis* etc.; haec verba *effectus* irregularitatis exprimunt, quae nempe *prohibet*, non irritat, susceptionem et exercitium ordinum. Nomine ordinis intelligitur etiam *prima tonsura*, quia frustra fere daretur, si ordinum susceptio prohiberetur.

Irregularitas vetat quidem *collationem* et *receptionem* beneficii, cum ipsi adnexum sit officium quod irregularis exercere prohibetur, sed minime impedit, ne irregularis *retineat* beneficium iam receptum neve exerceat *iurisdictionem* iam possessam. Tamen irregularis, extra casum necessitatis aut legitimae petitionis ex parte fidelium, nequit *licite* potestatem ordinis exercere.

2. Impedimentum simplex, prout distinguitur ab irregularitate proprie dicta est obex seu impedimentum *temporarium*, eosdem ac illa *per se* gignens effectus.

3. Nulla irregularitas existit, nisi in Codice sit expressa (can. 983). Idcirco irregularitas ab homine non datur.

840. 4. Irregularitas alia est *ex defectu*, alia *ex delicto*. Prima oritur ex defectu innoxio; altera inducitur ex peccato personali, mortali, externo, opere consummato, post baptismum commisso (n. 843).

Alia est *totalis*, alia *partialis*, prout impedit susceptionem vel exercitium omnium ordinum receptorum, vel solum ascensum ad ordinem superiorem aut aliquod ministerium ordinis suscepti. V. g. sacerdos carens pollice est irregularis dumtaxat quoad

Missae celebrationem, non autem quoad confessiones audiendas.

Alia est *antecedens*, alia *consequens* vel *superveniens*, prout existit ante ordines suscipiendos vel iisdem iam receptis supervenit.

841. Irregularitates ex defectu. — Septem enumerantur (can. 984):

1° *Defectus natalium.* Sunt irregulares filii illegitimi, sive illegitimitas sit publica seu notoria sive occulta, nisi fuerint legitimati per subsequens matrimonium vel per rescriptum R. Pontificis vel per sollemnem professionem.

a) Ad normam can. 1114 illegitimi censentur filii extra *verum* aut *saltem putativum* matrimonium nati.

b) Non sunt illegitimi ideoque irregulares filii expositi. Practice dispensatio ad cautelam dari solet: consultius quidem expetenda et concedenda videtur.

c) Non sunt habendi ut irregulares dubie illegitimi, nec filii durante matrimonio valide inito nati *ex adulterio*, si adulterium et illegitima origo filii ne sint iuridice probata aut notoria.

Valet enim adagium: Pater est quem nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur (can. 1115, § 1) (1).

2° *Defectus corporis.* Sunt illegitimi « corpore vitiati, qui secure propter debilitatem vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant » (can. 984, 2°).

a) Huiusmodi sunt *mutilati*, v. g. carentes manu, pede, digitis, aut pollice simul et indice, aut etiam solo pollice. Num si careat solo indice? Plures affirmant; verius distinguendum. Si carens indice possit nihilominus decenter ac secure hostiam manu tenere ac frangere, irregularitas abest; secus habetur.

(1) Cfr. Cappello, *De matrimonio*, n. 746 ss.

Certe irregulares sunt caeci aut ita caecutientes ut in Missali legere nullatenus queant (2); surdi, qui nihil audiunt; muti aut ita balbutientes, ut verba integra nequeant pronuntiare vel nonnisi cum maxima difficultate; claudi qui sine baculo ad altare se sistere nequeunt; paralytici, qui vasa sacra manu tenere vel caeremonias praescriptas peragere nequeunt.

Pariter *deformes*, qui tali vitio *externo* et *facile visibili* laborant, ut aliis excitent horrorem aut risum; v. g. si notabiliter gibbosi sint, aut veri pygmaei, vel carentes naribus aut cancro in vultu laborantes.

b) Episcopi est iudicare, num in casu particulari defectus tantus sit, ut irregularitatem gignat necne. Ad impediendum *exercitium* ordinis legitime suscepti gravior requiritur defectus, quam ad ordinem suscipiendum (can. 984, 2°). Igitur Episcopi iudicium severius sit oportet *ante* ordinationem, quam *postea*.

3° *Defectus animi*. Irregularitate laborant « qui epilectici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt » (can. 984, 3).

Ratio est tum defectus usus rationis ex huiusmodi causa habituali proveniens, tum periculum irreverentiae et scandali vel saltem admirationis avertendum. Hinc consulto addita vox « *fuerunt* », cum non solum ad tempus presens, verum etiam ad praeteritum attendendum sit : eo vel magis quia relapsus facile verificari potest.

Quidam excipiunt epilepsiam *ante pubertatem* coeptam, quae iudicio medici prorsus evanuerit, affir-

(2) Quidnam si quis careat uno oculo? Multi affirmant esse irregularem, si careat oculo sinistro sive *canonis*; secus, non. Verius distinguendum : si carens etiam oculo sinistro valeat sufficienter ac devote legere Missam, deest irregularitas; si id fieri nequeat, irregularitas existit. Eo vel magis illud affirmandum, quia caecutiens facile impetrare poterit facultatem a S. Sede legendi Missam B. M. V. vel Defunctorum, servatis normis a S. R. C. die 12 ian. 1921 latis.

mantes ex ea irregularitatem non oriri (3). Haec sententia etiam hodie tuto retineri potest; imo si revera iudicio medici epilepsia *prorsus* evanuerit, certa videtur.

Si quis epilepticus vel amens aut a daemone possessus evaserit *post* ordines susceptos, Ordinarius potest ei rursus permittere exercitium ordinum receptorum, si *certo* constet illum iam liberum esse. Requiritur *certitudo*, moraliter quidem aestimanda, de valetudine recuperata aut obtenta liberatione a daemonis possessione. Stante dubio, recurrendum foret ad S. Sedem.

4° *Defectus sacramenti seu bigamiae*. Sunt irregulares « bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt » (can. 984, 4°).

Hodie, aliter ac antea, unice bigamia *vera* consideratur. Necesse est ut matrimonia fuerint *valida*; secus, licet forte bona fide inita, huic praescripto locus non esset.

Quidnam si matrimonia consummata non fuerint? Olim plures censebant irregularitatem non contrahi a bigamis qui neutrum matrimonium consummassent. Post Codicem alii dicunt hanc opinionem sustineri amplius non posse; alii aliter sentiunt. Perspecto can. 984, 4° iunc. can. 22, prior sententia longe probabilior est, ita ut aliam solide probabilem dicere non audeamus.

Iam S. Paulus statuit ut Episcopi, presbyteri, diaconi sint *unius* uxoris viri (4). Matrimonium enim significat coniunctionem unius Christi cum una Ecclesia. Ergo matrimonium quod vir contraxerit (successive) cum duabus vel pluribus feminis, imperfecte videtur significare hanc coniunctionem et aliquam maculam

(3) S. Alph. VII, n. 399; Gasparri, n. 278; Noldin, III, n. 485.

(4) Cfr. I Tim. III, 2 ss.; Tit. I, 6.

in viro producere. Hinc orta irregularitas sacramenti seu bigamiae.

5° *Defectus famae*. Sunt irregulares « qui infamia iuris notantur » (can. 984, 5°).

Infamia in genere est carentia bonae famae aut eius notabilis imminutio. Quam necessaria sit bona fama sacris ministris, evidens est. S. Paulus de Episcopo dicit: « Oportet illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli » (5).

Attenditur hic dumtaxat *infamia iuris*, non autem infamia facti. Ea incurritur in septem tantum casibus, in Codice nominatim expressis (6).

6° *Defectus lenitatis*. Irregulares sunt « iudex qui mortis sententiam tulit; qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae » (can. 984, 6° et 7).

Duplex igitur lenitatis defectus ideoque duplex distincta irregularitas: alia *iudicem* respicit, alia *carnificem* eiusque *ministros*. Ita finis tandem impositus dubiis et quaestionibus in antiqua disciplina existentibus (7).

Nomine *iudicis* venit tum persona singularis, tum tribunal collegiale seu personae quae hoc constituunt. Num etiam iudices, ut aiunt, *iurati*? Si *veri* iudices non sint, ut ex. gr. in Italia usque ad nostra tempora, profecto irregularitatem non contrahunt: ipsi enim de *facto* iudicant, et mortis sententiam revera nullatenus ferunt. Si *veri* iudices sint ac mortis sententiam *reapse* ferant (quod tamen apud nullam fere nationem hodie locum habet), responsio erit affirmativa.

Si forte sententia *iniusta* fuerit, iudex fit irregu-

(5) I Tim. III, 7.
(6) Can. 2314, 2320, 2328, 2343, 2351, 2357, 2359.
(7) Cfr. Schmalzgr., lib. V, tit. 12, n. 127 ss.; D'Annibale, I, n. 425 ss.; Gasparri, I, n. 445 ss.

laris ex alio capite, nempe ex delicto voluntarii homicidii. Igitur hic sententia *iusta* consideratur.

Attentis verbis canonis non eximitur ab irregularitate iudex qui *ex officio* procedit ipsaque lege cogente sententiam mortis fert.

Requiriturne ut mors reapse secuta sit ex lata sententia? Nonnulli negant, quia can. 984, 6° nullam facit mentionem de effectu secuto. Alii affirmant, perspecto fine legis. Quae sententia verior dicenda.

Carnifex eatenus irregularis fit, quatenus *sponte* huiusmodi munus susceperit, non autem vi aut lege coactus. Unde miles qui cogitur explodere in militem poena capitis damnatum, irregularitatem non contrahit. Item ministri carnificis eatenus irregulares fiunt, quatenus *propria voluntate*, nec vi nec metu coacti, et *immediate* operam praestant in exsequenda sententia capitali. Huiusmodi sunt qui in actu exsecutionis tenent morte plectendum, qui explodunt vel percutiunt; non autem notarius qui sententiam mortis scripto consignat, accusator, testes, etc.

Inter carnificem et ministros magnum datur discrimen: ille irregularis fit iam a primo momento muneris suscepti, isti nonnisi post exsecutionem capitalis sententiae.

Agitur in casu de lenitate *christiana*, ut aiunt. Proinde eam incurrunt dumtaxat baptizati, non autem qui eiusmodi actus peregerint ante susceptum baptismum.

842. Irregularitates ex delicto. — Sunt irregulares ex delicto:

1° *Apostatae a fide, haeretici, schismatici* (can. 985, 1°).

Requiritur et sufficit ut delictum *exterius* quavis ratione manifestatum fuerit, licet occultum manserit. Necesse est ut haeresis vel schisma sit peccatum *formale*: idque in foro externo semper praesumitur.

Post conversionem ad fidem catholicam cessat irregularitas.

2° « *Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt* » (can. 985, 2°).

Haec irregularitas nonnisi ab *adultis* incurri potest, cum requiratur *consensus* seu *voluntaria* susceptio, et quidem cum cognitione de professione *acatholica* ministri.

Verba « *quovis modo* » significant irregularitatem incurri, sive baptismus sit absolute collatus sive conditionate, sive sollemniter sive privatim, tam ritu catholico quam ritu sectae acatholicae.

Nomine *acatholicorum* hic verius intelligi debent haeretici et schismatici, non autem infideles. Versamur in odiosis. Nam vox *acatholici* presse sumpta haereticos et schismaticos significat. Legislator autem quoties sub ea voce etiam *infideles* comprehendere voluit, id expresse enuntiavit, v. g. in can. 1099, § 1, 2°.

Haec irregularitas afficit etiam impuberes, dummodo sufficienti usu rationis non caruerint.

3° « *Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus et temporariis, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta* » (can. 985, 3°).

Haec irregularitas igitur ex triplici capite oritur, et est quaedam extensio illius irregularitatis, quae olim *bigamia similitudinaria* ab auctoribus vocari solebat. At cum ea nullatenus confundenda. Attenditur matrimonium *valide* initum itemque ordo sacer et vota religiosa *valide* suscepta.

Quidam censent ignorantiam, quae non fuerit affectata, ab hac irregularitate excusare (8). Quae opi-

(8) Blat, *Commentarium textus Codicis iuris canonici*, lib. III, *De rebus*. Pars I, p. 432.

nio, cum expressis verbis can. 988 (cfr. n. 843, 3) opponatur, quavis probabilitate carere dicenda est.

4° « *Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes* » (can. 985, 4°).

Non incurritur irregularitas si homicidium patretur cum moderamine inculpatae tutelae, ex ignorantia, vel casualiter praeter intentionem et gravem culpam. Item dicendum de procuratione abortus. Necesse est, ad incurrendam irregularitatem, ut *reapse* mors vel abortus evenerit (9).

Antiquitus haec irregularitas non incurrebatur nisi per procurationem abortus foetus *animati*; nunc statuitur incurrenda per procurationem cuiusque foetus *humani* viventis, quippe qui iam a primo momento conceptionis anima informatur.

Controvertitur utrum irregularis fiat qui homicidii est causa *indirecta* tantum, ex. gr. omissione diligentiae debitae ex qua mors secuta sit. Etsi huiusmodi omissio fuerit graviter peccaminosa, censemus, cum versemur in odiosis, irregularitatem non contrahi.

Effectu *non* secuto, erit culpa gravis imo gravissima, non tamen irregularitas; ex. gr. si quis praebet venenum aut explodit ad occidendum hominem, non fit irregularis, quamvis lethaliter peccet, si venenum aut explosio mortem non causet; item qui pharmacum propinat ad procurandum abortum, peccat graviter, sed irregularis non est, nisi abortus revera secutus sit.

Irregularitatem contrahunt etiam *omnes cooperantes*, v. g. mandans, exsecutor aliique physice aut moraliter concurrentes, dummodo influxus eorundem in homicidium vel in abortum fuerit *efficax* et *graviter malus*.

(9) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 384.

5° « *Qui seipsos vel alios mutilaverunt aut sibi vitam adimere tentaverunt* » (can. 985, 5°).

Triplex actio obnoxia irregularitati. Mutilatio est abscissio alicuius membri. Eatenus inducit irregularitatem, quatenus sit *notabilis* vel ratione quantitatis partis abscissae, vel ratione peculiaris destinationis seu functionis membri abscissi. Huiusmodi est abscissio pedis, brachii, manus, omnium digitorum utriusque aut unius tantum manus, membri genitalis; non autem abscissio unius alteriusve digiti, auriculae, labii, etc.

Si quis sibi ipsi vitam adimere tentat, ex. gr. explosione, veneno, laqueo aliove modo, *statim* fit irregularis, etsi nec suicidium sequatur nec mutilatio nec vulnus. Pro omnibus requiritur ut actio sit *graviter peccaminosa.*

6° « *Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur* », de qua suo loco (can. 985, 6°).

Haec irregularitas *clericos* tantum respicit, non autem laicos, quia his ars medica vel chirurgica prohibita non est. Duae conditiones requiruntur ad incurrendam irregularitatem : *a*) exercitium graviter prohibitum artis medicae vel chirurgicae (cfr. n. 244, 3); *b*) mors inde reapse secuta.

Unde si clericus *licite,* ex. gr. in casu necessitatis, exerceat medicinam vel chirurgiam, quamvis inde mors forte sequatur, irregularis non fit. Item si laicus, etiam ob imperitiam graviter culpabilem, causet mortem in medicinae aut chirurgiae exercitio, non ideo efficitur irregularis.

7° « *Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive laicali prohibiti* » (can. 985, 7°).

Duplici ex capite oritur haec irregularitas : *a*) ex

ordinis sacri non recepti usurpatione; *b*) ex ordinis sacri exercitio, quatenus ordo est quidem legitime receptus, at eius exercitium est graviter prohibitum ob poenas canonicas.

Itaque hanc irregularitatem incurrit *omnis*, sive clericus sive laicus, qui actum ordinis sacri (scil. subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus, episcopatus) exercet, quamvis illo ordine *vel* nondum sit initiatus, *vel* prohibeatur illum exercere propter censuras aut interdictum locale aliasve poenas vindicativas (10).

In casu necessitatis, i. e. iusta de causa, clericus potest officium subdiaconi in Missa sollemni peragere, dummodo ne deferat manipulum (11). Clericus nequit aquam in calicem infundere eumque tangere vel abstergere; dum e contra canere potest Epistolam. Si deferat tantum manipulum, vel infundat aquam, aut calicem tangat, non fit irregularis; talis, contra, efficitur si omnes illos actus simul ponat.

Subdiaconus, et a fortiori clericus minorista vel laicus, nequit induere stolam et Evangelium canere in Missa sollemni, aut alterutrum peragere. Irregularis fieret subdiaconus (item, a fortiori, minorista vel laicus), qui deferret stolam et Evangelium caneret atque vinum in calicem infunderet; non autem, verius, si unum alterumve ex his actibus peragat.

Irregularitatem contrahit subdiaconus qui sollemniter baptizet, qui publice exponat SS. Sacramentum, qui Eucharistiam fidelibus distribuat, extra casum necessitatis; diaconus, qui Missam celebret, qui audiat sacramentales confessiones; sacerdos, qui Sacrum faciat in ecclesia interdicta vel super altari interdicto. Item subdiaconus vel diaconus aut presbyter excommunicatus vel suspensus aut personaliter interdictus, qui sacrum ministerium, secundum proprium ordinem rite susceptum, exerceat.

(10) Cfr. Cappello, *De censuris*, n. 462 ss.
(11) S. R. C., 17 iul. 1894.

Usurpatio potestatis iurisdictionis aut ordinis *non* sacri irregularitatem minime inducit.

843. Conditiones requisitae ad inducendam irregularitatem. — 1. Irregularitas tam *ex defectu* quam *ex delicto* debet esse *certa*, scil. factum eam inducens debet certe existere. Quare irregularitas dubia est irregularitas nulla. Ratio manifesta : irregularitas, utpote odiosa, est strictae interpretationis eaque non praesumitur sed probanda est.

2. Quoad irregularitates *ex delicto*, actio qua contrahitur irregularitas debet esse *peccatum mortale, externum, opere consummatum, post baptismum commissum*, salvo praescripto can. 985, 2° (can. 986).

Unicum est delictum quod irregularitatem inducit, licet sit commissum *ante* vel *in* baptismo, id est si adultus baptismum sibi conferri sinat ab acatholicis (n. 842, 2°).

Omnia quae excusant a culpa gravi, v. g. parvitas materiae, bona fides, inadvertentia, etc., excusant quoque ab irregularitate.

3. Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu ab iisdem nullatenus excusat (can. 998).

Ratio est, quia irregularitates nec sunt nec censeri debent ut poenae.

844. Quomodo cessent irregularitates. — Triplici modo generatim : 1° per cessationem causae totalis; 2° per professionem sollemnem; 3° per dispensationem.

1° Per *cessationem causae totalis* cessat irregularitas *ex defectu animi vel corporis*, v. g. per operationem chirurgicam aut arte medica vel lapsu temporis, si tollatur defectus aut cesset infirmitas.

2° Per *sollemnem professionem* religiosam cessat ipso iure irregularitas *ex defectu natalium*.

3° Per *dispensationem* legitime concessam auferri

potest quaelibet irregularitas, cum sit iuris mere ecclesiastici.

845. A quonam et quomodo impetranda dispensatio. — 1. *R. Pontifex* potest dispensare ab omnibus irregularitatibus, sive occultis sive publicis, nulla excepta. In foro interno pro occultis irregularitatibus dispensatio conceditur a S. Poenitentiaria; pro publicis a S. C. de Sacramentis, vel a S. C. de Religiosis, vel a S. C. Concilii, vel a S. C. pro Ecclesia Orientali, pro variis casibus (cfr. n. 324 ss.).

2. *Ordinarii locorum* possunt dispensare cum suis subditis: 1° in omnibus irregularitatibus *dubiis*, si dubium est facti; in dubio iuris, lex non urget ideoque nulla dispensatione opus est (can. 15; n. 93); 2° in omnibus irregularitatibus *ex delicto occulto* provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et procuratione abortus aliave deducta ad forum iudiciale (can. 990, § 1).

In casibus occultis *urgentioribus*, quando S. Sedes nequit adiri et imminet periculum infamiae vel scandali, censemus Ordinarium etiam ab irregularitate ex homicidio aut procuratione abortus orta posse dispensare.

3. *Superiores maiores* in religionibus clericalibus exemptis, cum Ordinarii sint, dispensare valent cum suis subditis, sicut locorum Ordinarii ex iure communi, de quibus supra. Nonnullis religionibus specialia privilegia hac de re competunt.

4. *Confessarii regulares* possunt dispensare omnes poenitentes super irregularitatibus, a quibus Ordinarii *ex iure communi* suos subditos dispensare valent (12). Ita ex privilegio, quod per Codicem sublatum non esse censemus (cfr. n. 623).

5. Ceteri confessarii ex iure communi nequeunt

(12) Cfr. S. Alph., VII, n. 355; Gasparri, n. 229.

dispensare ab irregularitatibus. Attamen in casibus *occultis urgentioribus*, quando Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae, possunt dispensare sicut Ordinarii, sed ad hoc tantum ut poenitentes ordines iam receptos licite valeant *exercere* (can. 990, § 2).

Urgente gravi causa, scil. propter infamiam aut scandalum vitandum, putamus posse confessarium dispensare in casu praedicto etiam quoad ordines *suscipiendos*, imposito tamen poenitenti onere recurrendi quamprimum ad S. Poenitentiariam eiusque standi mandatis. Nulla sane lex positiva obligat cum magno incommodo.

Propter eandem rationem censemus occultum irregularem, qui ex observantia irregularitatis se ipsum proderet cum magna infamia vel scandalo, posse licite ordines exercere eosque etiam suscipere, si periculum sit in mora et nequeat recurrere ad Ordinarium vel saltem ad confessarium; quo in casu tamen deberet quamprimum recurrere ad S. Poenitentiariam eiusque mandata excipere (13).

846. 6. Qui petit dispensationem debet *omnes* irregularitates ac impedimenta indicare; secus dispensatio *generalis* valebit quidem etiam pro reticitis *bona fide* (dummodo ne agatur de irregularitate orta ex homicidio voluntario aut procuratione abortus vel de alia deducta ad forum iudiciale, non autem pro reticitis *mala fide* (can. 991, § 1).

7. Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis (can. 991, § 2). Haec dispositio est strictae interpretationis ideoque extendi nequit ad alias irregularitates, ne ad illam quidem quae oritur ex procurato abortu.

(13) Nobiscum Prümmer (op. cit., q. 322).

847. 8. Nulla forma praescribitur ad huiusmodi dispensationem concedendam. Requiritur et sufficit ad valorem *externa* manifestatio voluntatis ex parte dispensantis quocumque modo facta. Confessarius in foro interno potest uti hac aut aequivalenti formula : Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter talem causam, v. g. propter abortum : in nomine Patris, etc.

Dispensans ab irregularitate ex delicto imponere debet aliquam salutarem poenitentiam.

8. Dispensatio *generalis* ad ordines suscipiendos valet pro ordinibus etiam maioribus; et ita dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus *nullius*, Superior maior in religione clericali exempta (can. 991, § 3).

9. Si dispensatio in foro externo concedatur, scripto consignanda est; si detur in foro interno sacramentali, id nullatenus fieri potest; si detur in foro interno non sacramentali, adnotanda est in libro secreto Curiae (can. 991, § 4), vel, ad vitandam infamiam, in libro secreto S. Poenitentiariae. Practice, utrum id faciendum sit necne, varia adiuncta perpendantur oportet. Nam interdum huiusmodi adnotatio potest esse nimis onerosa aut fere impossibilis : tunc vel omittenda vel danda dispensatio in foro sacramentali.

848. Impedimenta ordinationis. — 1. Codex, praeter irregularitates ex defectu et ex delicto, quae natura sua sunt impedimenta perpetua, recenset quoque *impedimenta temporaria* ordinationis. Haec autem septem enumerantur in can. 987.

2. Sunt simpliciter impediti :

1° « *Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permaneant* » (can. 987, 1°).

Ergo non iam prohibentur, ut antea, ordines recipere, si avus est haereticus. Pariter, si parentes aca-

tholici mortui sunt. Dum e contra, impedimentum adest si unus tantum parens est acatholicus, alter vero catholicus (14). Idem valet etiam de filiis natis ex nuptiis mixtis cum debita dispensatione celebratis.

Filii intelliguntur *uni* descendentes in linea paterna usque ad primum gradum, ita ut *nepotes* in linea paterna hodie, secus ac ante Codicem, a recipiendis ordinibus non arceantur (15).

Nomine *acatholicorum* hic verius intelligendi videntur ut supra (n. 842), haeretici et schismatici, non autem infideles.

Filii autem censentur seu legitimi seu illegitimi. Si dubitetur an parens sit acatholicus, potest peti et concedi ab Ordinario dispensatio ad cautelam; at stricte necessaria non est.

2° « *Viri uxorem habentes* » (can. 987, 2°). Quare mutata est disciplina antiqua permittens ut vir ordines reciperet, si uxor libere in monasterium ingrederetur. Proinde maritus nequit ordines suscipere sine venia S. Sedis licet uxor licentiam concedat et castitatem voveat. Sedes Apostolica, vivente uxore, veniam raro imo rarissime concedit. Id valet etiamsi vir legitime sit separatus et quidem in perpetuum ab uxore, ob eius adulterium, ad normam can. 1129; quo tamen in casu facilius S. Sedes veniam concedit.

3° « *Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint* » (can. 987, 3°).

Ratio prohibitionis ex ipsa natura officii vel administrationis clericis vetitae repetenda est. Quodnam sit huiusmodi officium vel administratio, alibi dictum fuit (n. 245).

(14) Pontif. Comm. Codicis, 16 oct. 1919; *A. A. S.*, XI, 478.
(15) Pontif. Comm. Codicis, 14 iul. 1923; *A. A. S.*, XIV, p. 528).

4° « *Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem* » (can. 987, 4°).

Casus iste nonnisi apud incultas et barbaras gentes, i. e. in locis missionum, verificari potest; at hodie rarissime.

Ratio praescripti in triplici praedicto casu manifesta: *defectus libertatis.*

5° « *Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint* » (can. 987, 5°).

Ordinarium servitium intelligitur quod unius vel plurium annorum spatio absolvitur, quodque vulgo dicitur *servizio attivo* aut *permanente*. Non igitur huc pertinent periodicae exercitationes, quibus, iam peracto ordinario servitio, omnes adstringuntur; nec extraordinaria tempore belli stipendia; nec servitium ad unum vel duos aut tres menses praestandum. Impediti intelliguntur qui, licet nondum adstricti sint militari servitio, vel quia congruam aetatem nondum assecuti sunt, vel quia, probationibus peractis, ad tempus dimissi fuerunt novo examini seu probationi subiiciendi (16).

Probabiliter non sunt impediti qui *ex praescripto ipsius legis civilis* aegrotorum curae dumtaxat destinantur.

Qui sunt omnino inhabiles aut uno aliove titulo exempti a militari servitio, prohibitioni non subsunt.

In praxi uniuscuiusque nationis leges inspiciendae sunt, ut inde appareat quinam ratione servitii militaris impediti dicendi sint.

6° « *Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint* » (can. 987, 6°).

Neophyti intelliguntur qui in adulta aetate, ad fidem conversi, baptismum absolute receperunt. Non

(16) Pontif. Comm. Cod., 3 iun. 1918; *A. A. S.*, X, p. 344.

ideo veniunt haeretici qui, erroribus reiectis, baptismum absolute receperunt.

Igitur qui ex infidelitate convertuntur, nequeunt statim ad ordines promoveri. Olim huiusmodi impedimentum dicebatur *defectus fidei confirmatae*.

7° « *Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat* » (can. 987, 7°).

Infamia *facti* contrahitur, quando quis ob delictum commissum aut pravos mores bonam existimationem amisit apud probos et graves fideles. Iudicium ad Ordinarium spectat.

849. 3. Ignorantia non excusat ab impedimentis, sicuti et propter eandem rationem non excusat ab irregularitatibus (can. 988). Ratio eorundem est reverentia ac decus erga sacrum ministerium.

4. Impedimenta cessant: 1° per dispensationem S. Sedis, de qua vide n. 845 ss.; 2° per cessationem causae, quae varia est pro diversitate impedimentorum; 3° lapsu temporis, i. e. ex ipsa rei natura.

Articulus VII.

De iis quae ordinationi sunt praemittenda.

850. Quae in genere praemitti debent. — Haec praeire debent sacrae ordinationi: 1° manifestatio voluntatis; 2° testimonia; 3° examen; 4° publicatio; 5° exercitia spiritualia; 6° professio fidei et iuramentum antimodernisticum.

851. Manifestatio voluntatis ac litterae testimoniales. — 1. Omnes tum saeculares tum religiosi ad ordines promovendi vel per se ipsi vel per alios Episcopo aliive qui Episcopi hac in re vices gerat, suum propositum ante ordinationem opportuno tempore aperiant (can. 992).

Sodales religiosi hoc propositum Superiori proprio manifestent.

Tam pro saecularibus quam pro religiosis sufficit manifestatio implicita et indirecta, quae nempe in ipsa agendi ratione continetur.

2. Praeter testimonia, de quibus supra (n. 831), requiruntur *litterae testimoniales*.

1° Huiusmodi litterae eae sunt, in quibus a competente Superiore datur testimonium de idoneitate alicuius ordinandi. Idcirco continent testimonium de natalibus, de vita et moribus, de carentia irregularitatum et impedimentorum, de studiis aliisque a iure requisitis. Quare differunt tum a litteris dimissoriis, tum a ceteris testimoniis v. g. parochi, rectoris Seminarii, etc.

2° Istae litterae testimoniales dandae sunt ab Ordinario loci in quo promovendus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum, etiam lato sensu sumptum, contrahere ibi potuerit.

3° Tempus regulariter est *trimestre* pro militibus, *semestre*, pro ceteris, post pubertatem assecutam. Attenditur tempus *moraliter continuum*.

Episcopus ordinans pro sua prudentia exigere potest eas litteras *tum* ob brevius quoque commorationis tempus *tum* etiam ob tempus quod pubertatem antecessit (can. 994, § 1).

Licet Codex dicat: «*Episcopus ordinans*», nihilominus tale ius competit profecto cuilibet loci Ordinario quoad *proprium subditum*, sive ipse ordinet sive mittat ad alienum Episcopum.

4° Si Ordinarius neque per se neque per alios promovendum satis noverit, ita ut nequeat testari de carentia impedimentorum, aut si promovendus per tot dioeceses vagatus sit, ut impossibile vel nimis difficile sit exquirere omnes litteras testimoniales, Ordinarius saltem *per iuramentum suppletorium* a promovendo emittendum consulere debet (can. 994, § 2).

Hoc ius et officium competit Ordinario *proprio* candidati.

Iuramentum praestandum est coram Ordinario loci eiusve delegato.

5° Si post obtentas litteras testimoniales et ante ordinationem promovendus praedicto temporis spatio (scil. *trimestre* pro militibus, *semestre* pro ceteris) in eodem territorio rursus commoratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci requiruntur (can. 994, § 3).

6° Litterae testimoniales concedi possunt etiam a Vicario capitulari et a Vicario generali.

7° Quaedam Collegia et Seminaria gaudent privilegio a S. Sede obtento concedendi per suos moderatores praefatas litteras testimoniales.

8° Si agitur de sodali religioso, requiruntur litterae testimoniales Superioris maioris (can. 993, 5°, 995).

852. Examen et publicatio. — 1. Quilibet ordinandus sive saecularis sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum (can. 996, § 1), ex. gr. de materia, forma et ministro, de effectibus, de conditionibus requisitis, etc. (1).

2. Promovendus vero ad sacros ordines etiam in *aliis* tractationibus de sacra theologia periculum facere debet (can. 996, § 2). Sufficit unicum examen pro *omnibus* sacris ordinibus. Praesertim de theologia dogmatica et sacramentaria tractationes fieri solent; nihil vetat quominus etiam circa alias partes candidatus examinetur.

3. Episcopi est statuere qua methodo (v. g. utrum scripto an oretenus), coram quibus examinatoribus (synodalibus aut prosynodalibus aliisve) et in quibus tractationibus sacrae theologiae (de ordine, de Eu-

(1) Cfr. Can. Ioan. Roder, *Ordinandorum enchiridion*, Neapoli 1928; Alb. Mitterer, *Instructio pro ordinandis examen praevium circa ordinem suscipiendum subituris*, Brixinae, 1929.

charistia, de sacramentis universim, etc.) periculum facere debeat promovendus (can. 996, § 3).

4. Ius et officium huiusmodi examen instituendi sive per se sive per alium (v. g. per rectorem aut magistrum Seminarii vel Superiorem religiosum) spectat ad loci Ordinarium qui *iure proprio* ordinat vel *litteras dimissorias* concedit; idque tam pro clericis saecularibus quam pro religiosis qui, ad ordinationem quod pertinet, iure saecularium regantur. Ordinarius *proprius* potest, iusta de causa, committere examen Episcopo ordinaturo, si hic velit tale onus suscipere (can. 997, § 1). Proinde regula est, ut examen instituatur ab Ordinario proprio seu ab eo qui dat litteras dimissorias non autem ab Episcopo qui has litteras recipit, nisi in casu particulari iusta adsit causa ipseque Episcopus ordinaturus consentiat.

Perspecto can. 995, § 1, quo declaratur Superiori religioso inesse obligationem testandi de peractis studiis *deque aliis iure requisitis*, et attento can. 997, § 2, qui loquitur de *religioso* ad ordines promovendo *cum litteris dimissoriis quibus asseritur candidatum examinatum fuisse*, omnino adhaeremus sententiae quae tenet ius et officium examen instituendi competere quoque Superiori maiori religionis clericalis exemptae habenti facultatem concedendi litteras dimissorias (2).

5. Episcopus ordinans alienum subditum, sive saecularem sive religiosum, cum litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examen rite subiisse, *potest* acquiescere huic attestationi, sed *non tenetur*; et si pro sua conscientia censeat illum idoneum non esse, nequit eum ordinare (can. 997, § 2).

Episcopus *semper* potest praedictae attestationi acquiescere; eatenus autem licite ab ea recedit, quatenus certa motiva obstent aut saltem dubium positi-

(2) Vermeersch, III, n. 725; Arregui, n. 703.

vum. Ad quod removendum exigere potest etiam novum examen, antequam denegare cogatur promotionem ad ordines.

6. Nomina eorum qui promovendi sunt ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis *perpetuis* sive sollemnibus sive simplicibus, publice denuntiari debent in paroeciali ecclesia cuiusque candidati. Ordinarius loci pro sua prudentia potest *tum* ab hac publicatione dispensare ex iusta causa, *tum* praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, *tum* publicationi substituere publicam affixionem ad valvas ecclesiae per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur (can. 998, § 1).

7. Publicatio facienda est die festo de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia aut alia die et hora quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur (can. 998, § 2). Nihil vetat, proinde, quominus ob maiorem fidelium concursum fiat inter Vesperas aut occasione peculiaris functionis atque etiam die feriali. Finis quippe attendendus assequendusque est.

8. Fieri debet publicatio ad *singulos* ordines sacros, nisi intra brevissimum tempus ex indulto S. Sedis omnes conferantur.

9. Ratio cur nomina religiosorum a votis *perpetuis* non sint publice denuntianda in paroeciali ecclesia, manifesta est. Vi professionis *perpetuae* religiosus amisit ad normam can. 585 propriam dioecesim ac paroeciam.

10. Si candidatus intra sex menses a facta publicatione promotus non fuerit ad ordines, ea repetenda est, nisi aliud Ordinario videatur (can. 998, § 3).

11. Fideles tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante ordinationem revelare (can. 999).

Nomine *impedimentorum* veniunt non solum impedimenta proprie dicta de quibus supra (n. 848), verum etiam irregularitates et alia quaecumque obsta-

cula iuris sive divini sive ecclesiastici, praesertim circa fidem, pietatem, bonos mores, etc. Obligatio revelandi huiusmodi impedimenta gravis est. Dantur tamen causae excusantes. Generatim eaedem sunt ac quae excusant a revelandis impedimentis matrimonialibus (3). At, perspecto fine seu status clericalis honore et bono spirituali fidelium, strictius per se urget obligatio revelandi impedimenta ad sacros ordines, ideoque causa gravior requiritur ut quis excusetur a revelatione facienda.

12. Parochus de facta publicatione eiusque exitu referre debet ad Ordinarium seu ad Curiam episcopalem.

853. Exercitia spiritualia. — 1. Ante ordinationem candidati peragere debent exercitia spiritualia, et quidem per *tres* saltem integros dies, si agitur de suscipiendo ordine maiore. At si quis *intra semestre* ad plures ordines maiores promovendus sit, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies (can. 1001, § 1).

Reductio respicit dumtaxat *diaconatum*, non autem subdiaconatum vel presbyteratum. Ordinarius, qui potest tempus reducere, intelligitur Ordinarius *proprius* candidati, i. e. vel Ordinarius loci vel Superior maior religionis clericalis exemptae. Si ordines sacri omnes conferantur intra brevissimum tempus ex indulto S. Sedis, v. g. intra octo aut decem dies, satis est ut ordinandi exercitiis spiritualibus vacent per sex integros dies ante receptionem subdiaconatus, ceteris ordinibus, si fieri poterit, iudicio Ordinarii, uno saltem die spiritualis recessus praemisso (4).

2. Si, expletis exercitiis, sacra ordinatio quavis de

(3) Cfr. Cappello, *De matrimonio*, n. 171 ss.
(4) S. C. de Sacramentis, 2 maii 1928; *A. A. S.*, XX, p. 359.

causa *ultra semestre* differatur, exercitia iterari debent; si dilatio est minor, remittitur prudenti Ordinarii iudicio, utrum iteranda sint necne (can. 1001, § 2).

3. Spiritualia exercitia religiosi peragere debent in propria domo aut in alia de prudenti Superioris arbitrio; saeculares vero in Seminario, aut in alia pia vel religiosa domo ab Episcopo designata. De peractis exercitiis Episcopus certior fieri debet testimonio Superioris domus, in qua peracta fuerunt; vel, si de religiosis agatur, attestatione proprii Superioris maioris (can. 1001, §§ 3 et 4). Practice Episcopus acquiescere potest etiam attestationi Superioris localis.

854. Professio fidei et iuramentum antimodernisticum. — 1. Omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus tenentur emittere fidei professionem coram Ordinario proprio eiusve delegato (can. 1406, § 1, 7°).

Haec obligatio non urget pro suscipiendis ordinibus minoribus aut prima tonsura. Item qui emisit fidei professionem ante subdiaconatum, non tenetur eandem iterum emittere ante diaconatum vel presbyteratum, nisi Ordinarius aliter iudicaverit (5).

2. Ordinandi una cum professione fidei emittere debent etiam iuramentum antimodernisticum (6).

3. Huc spectant quae de fidei professione alibi dicta sunt (n. 502, 5 ss.).

(5) S. C. Cons., 24 mart. 1911; *A. A. S.*, III, 182.

(6) Mot. propr. Pii X « *Sacrorum Antistitum* », 1 sept. 1910; S. Off. 22 mart. 1918; *A. A. S.*, II, 669; X, 1336.

Articulus VIII.

De ritibus et caeremoniis ac de tempore et loco sacrae ordinationis.

855. Ritus et caeremoniae. — 1. Adamussim servanda sunt omnia quae in *Pontificali Romano* aliisve liturgicis libris statuuntur, quin ulla ratione liceat caeremonias praescriptas aut omittere aut invertere (can. 1002).

Ideo, praeter *Pontificale Romanum*, memorantur quoque alii libri, non solum quia Orientales suis peculiaribus libris liturgicis utuntur, sed etiam quia in ipsa Ecclesia latina ex concessione S. Sedis adhibentur alicubi peculiares libri legitime approbati.

2. Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper celebrari debet ab ipso ordinationis vel consecrationis ministro (can. 1003).

Quare licitum non est ex. gr. ut Vicarius generalis vel prima dignitas Capituli Missam celebret et Episcopus ea durante faciat ordinationes. S. Sedes numquam dispensare solet ab hac lege, licet profecto possit.

3. Si quis, *ritu orientali* ad aliquos ordines iam promotus, facultatem a S. Sede obtineat superiores ordines suscipiendi *ritu latino*, debet prius ritu latino recipere ordines, quos ritu orientali non recepit (can. 1004). Vide de hac re n. 809.

4. Omnes, qui recipiunt ordines maiores, debent sacram communionem recipere in ipsa ordinationis Missa (can. 1005).

Hoc praecepto tenentur dumtaxat promoti ad ordines maiores, non autem ad primam tonsuram vel ordines minores. Decet tamen quam maxime ut ii quoque sacram communionem recipiant. Ita sane fert usus universalis, menti Ecclesiae apprime conformis;

et plura sunt decreta S. R. C. quae huiusmodi praxim respiciunt (1).

Neo-presbyteri tenentur sub gravi Eucharistiam sumere, quia sacra communio requiritur ad integritatem sacrificii; subdiaconi et diaconi, verius sub levi (2).

856. Tempus. — 1. Consecratio episcopalis conferenda est intra Missarum sollemnia die dominico aut natalitio Apostolorum (can. 1006, § 1).

Episcopi sunt successores Apostolorum; ideo attenditur quoque dies natalitius eorundem. Dicitur *natalitius* liturgice et canonice, non autem naturaliter, cum reapse sit dies obitus, quo nempe e saeculo ad gaudia vitae aeternae convolarunt (3).

Interdum, sed raro, S. Sedes permittit ut consecratio fiat die festo de praecepto, licet non dominico aut natalitio Apostolorum.

2. Ordines maiores conferri debent intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto. Sed gravi de causa Episcopus potest hos ordines conferre etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto (can. 1006, §§ 2 et 3).

Gravis causa moraliter aestimanda est, eaque attendenda tum ex parte Episcopi ordinantis, tum ex parte ipsius ordinandi, tum ex aliis peculiaribus adiunctis. Talis erit v. g. discessus Episcopi e dioecesi

(1) S. R. C. 12 nov. 1831, ad XVI; 7 maii 1853, ad III; 14 mart. 1861, ad II; 26 sept. 1868; 31 aug. 1872, ad II; 17 ian. 1890, ad I et II.

(2) Cfr. Cappello, *De Sacramentis*, I, nn. 480 et 559.

(3) Natalitiis Apostolorum non accensetur festum *Cathedrae* S. Petri, Romanae vel Antiochenae, nec festum S. Petri *in Vinculis*, nec festum S. Ioannis *ante Portam Latinam*, nec festum *Conversionis* S. Pauli, nec festum SS. Lucae et Marci qui evangelistae, non apostoli, fuerunt. Dum e contra accensetur festum S. Barnabae, quem Spiritus Sanctus ipse segregavit et misit cum S. Paulo (Act., XIII, 2), et quem Ecclesia universalis nomine et cultu Apostolorum honorat. Cfr S. R. C. 30 iul. 1901.

proxime futurus per notabile tempus, infirma eius aut candidati valetudo, necessitas servitii ecclesiastici, etc.

Festum de praecepto non intelligitur per se de festo *suppresso*; at si causa est vere gravis et urgens, Episcopus potest profecto etiam in festis de praecepto *suppressis* ordines sacros conferre.

Nonnulli ordines et congregationes religiosae gaudent privilegio ut suis membris ordines *extra tempora* conferantur. Huiusmodi privilegium ita est intelligendum, ut ordines maiores conferri possint quolibet die dominico aut festo de praecepto etiam suppresso.

3. Ordines minores conferri possunt singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tantum. Prima tonsura conferri potest quolibet die et hora (can. 1006, § 4).

Ordines minores et prima tonsura conferri possunt tum *intra* tum *extra* Missarum sollemnia, aliter ac ordines sacri.

Festa duplicia ea sunt, quae liturgice celebrantur sub ritu duplici primae aut secundae classis, aut sub ritu duplici maiori vel minori, ita ut excludendum sit dumtaxat festum simplex aut semi-duplex. Praescriptum ut ordines minores conferantur « *mane tantum* », urget sub levi, ut opinamur : igitur quaelibet causa etiam levis excusat.

4. Tempus statutum pro ordinibus conferendis sancte et religiose observandum est, etiam ab Episcopo latini ritus qui ex indulto apostolico clericum ritus orientalis ordinet aut contra; et consuetudo contraria forte alicubi existens reprobatur (4).

Quoties tamen ordinatio iteranda sit vel aliquis ritus supplendus, sive absolute sive conditionate, id fieri potest etiam extra tempora et secreto (can. 1006, § 4, 1007).

(4) Apud Orientales ordines de iure conferri possunt quocumque die; de facto conferri solent diebus dominicis vel festis de praecepto.

Verba « *extra tempora* » hic aliter ac supra accipienda sunt : significant enim ordines conferri posse quolibet die etiam feriali.

857. Locus. — 1. Episcopus, nisi sit Cardinalis, nequit extra proprium territorium sine Ordinarii loci licentia ordines conferre, in quorum collatione pontificalia exercentur (can. 1008).

Prima tonsura et ordines minores conferri possunt absque pontificalibus. Proinde Episcopus potest eosdem conferre suis subditis etiam extra propriam dioecesim sine licentia Ordinarii loci, dummodo in illis conferendis ne exerceat pontificalia.

2. Ordinationes *generales* « publice celebrentur » in ecclesia cathedrali, vocatis et praesentibus canonicis. Possunt tamen celebrari etiam alibi; quo in casu eligatur, quantum fieri potest, ecclesia dignior (can. 1009, § 1).

Dicuntur *generales* ordinationes, in quibus complures sunt ordinandi et omnes aut fere omnes conferuntur ordines. Vox « *celebrentur* » late accipienda est, ita ut strictam obligationem non significet, sed tantum quod convenienter aut convenientius generales ordinationes fiant in ecclesia cathedrali. Id textus ipse canonis aperte suadet.

3. Ordinationes *particulares* possunt ex iusta causa fieri etiam in aliis ecclesiis, necnon in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus. Sufficit quaecumque causa iusta, licet levis, quae practice vix aberit.

Prima tonsura et minores ordines conferri possunt etiam in privatis oratoriis (can. 1009, §§ 2 et 3). Ad id nulla peculiaris causa requiritur.

Articulus IX.

De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis.

858. Adnotatio. — 1. Peracta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notanda sunt in peculiari libro diligenter asservando in Curia loci ordinationis, itemque omnia documenta singularum ordinationum accurate custodiri debent (can. 1010, § 1).

2. Praeterea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero saeculari, Superior maior si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam peractae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittere debet ad parochum baptismi, qui id adnotet in libro baptizatorum (can. 1010, § 3; cfr. n. 540).

Ordinarius loci hic intelligitur *proprius*, sive ipse ordinaverit sive dederit licentiam ordinandi Episcopo alieno per litteras dimissorias.

859. Testimonium. — 1. Singulis ordinatis tradendum est ab Ordinario seu a Curia loci ordinationis authenticum ordinationis receptae testimonium.

2. Si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, hoc testimonium ordinati exhibere debent *proprio* Ordinario ut ordinatio adnotetur in speciali libro in archivo asservando (can. 1010, § 2).

Hoc valet tum de ordinatis e clero saeculari tum de religiosis ordinatis cum litteris dimissoriis Superioris maioris.

860. Probatio. — Ad collatam ordinationem probandam, si forte documenta archivi combusta aut amissa fuerint, satis est ex analogia legis (can. 779 et 800; n. 90) unus testis, omni exceptione maior (dummodo praeiudicium nemini fiat), v. g. Episcopus

ordinans, cancellarius episcopalis, caeremoniarius etc., vel ipsius ordinati iusiurandum. Practice id perquam raro verificari poterit.

CAPUT VI.

DE BENEFICIIS (1)

Articulus I.

De notione et divisione beneficiorum.

861. Notio. — 1. Beneficium ecclesiasticum est « *ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos* » (can. 1409).

Dicitur: 1° *Ens iuridicum*, scil. persona moralis non collegialis, subiectum iurium (cfr. n. 207).

2° *A competente ecclesiastica auctoritate constitutum*, quia beneficium eatenus efficitur ens iuridicum seu persona moralis, quatenus intercedat decretum formale competentis auctoritatis. Haec autem potestas alia non est, nec potest esse, quam ecclesiastica; nam beneficium constituitur officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote. Porro sicut sola ecclesiastica potestas erigere valet officium spirituale, ita ipsa sola potest adnectere ius ex dote beneficii percipiendi reditus.

3° *In perpetuum constitutum seu erectum*. Perpetuitas est duplex: *obiectiva*, i. e. ex parte *beneficii* et *subiectiva*, i. e. ex parte *beneficiarii*. Ea cuilibet beneficio necessario inest, cum sit de eiusdem essentia,

(1) De origine historico-iuridica beneficii vide Thomassin. op. cit., P. III, lib. 2, cap. 1 ss.; Galante, *Il beneficio ecclesiastico*, p. 18 ss.; Stutz, *Gesch. des Kirchl. Benefizialwesens*, etc., p. 25 ss.; Wernz, II, nn. 218, 245 ss., etc.

ex ipso conceptu personae moralis; haec plerumque habetur, at non semper et necessario, cum dentur etiam beneficia *amovibilia* seu *manualia*, ut infra dicetur (cfr. n. 863. 4°).

4° *Constans officio sacro.* Beneficium duplici elemento constat: *spirituali* seu officio sacro, *temporali*, i. e. iure percipiendi reditus. Officium sacrum est fundamentum et radix iuris ad temporalia. Unde axioma: *Beneficium propter officium.* Intelligitur officium stricto sensu **(n. 271).**

5° *Et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.* Haec verba denotant alterum elementum, scil. temporale. Beneficiarius autem non habet proprietatem dotis sed usumfructum tantum, seu fructus rei et administrationem.

2. Veteres canonistae, perspecto elemento temporali et attenta historica evolutione beneficii, hoc ita definire solebant: *Ius perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiae officio sacro adnexum ab ecclesiastica auctoritate.*

Praeferenda omnino notio a Codice tradita eaque adamussim tenenda.

862. Dos beneficii. — 1. Ex can. 1410 dotem beneficii constituunt:

1° « *Sive bona quorum proprietas est penes ipsum ens iuridicum* » scil. beneficium. Huiusmodi sunt tum bona immobilia, ut praedia, domus, silvae, tum bona mobilia, ut tituli.

2° « *Sive certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis* ». Familia potest esse privata, persona moralis sive ecclesiastica sive civilis seu profana, v. g. municipium. Necesse est ut praestationes sint *certae*, i. e. quae revera solvantur aut solvendae sint, et *debitae*, i. e. necessario solvendae ex titulo iuridico, v. g. ex testamento, lege, praescri-

ptione. Interdum vigent sub forma decimae vel census. Non requiritur ut *quantitas* sit determinata.

Inter has praestationes recenseri debent pensiones, *congrua* eiusque supplementum seu salaria quae a civili gubernio beneficiariis ex lege solvuntur.

3° « *Sive certae et voluntariae oblationes, quae ad beneficii rectorem spectent* ». Huiusmodi sunt ex. gr. primitiae, decimae sacramentales, etc. Necesse est ut sint *certae*, i. e. ut ex more sive praxi reapse solvantur, quamvis earum quantitas non sit praefinita. Dicuntur *voluntariae*, quia, aliter ac praestationes de quibus paulo supra, non ex lege vel pacto aliave stricta obligatione solvendae sunt. Additur : « *quae ad beneficii rectorem spectent* », quia oblationes fieri possunt etiam in favorem ecclesiae, paroeciae, etc.; porro, cum de beneficii dote sermo est, necessario considerantur ii reditus iique tantum qui ipsi beneficiario obveniunt.

4° « *Sive iura, ut dicitur, stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis* ». Quaenam sint haec *iura stolae* vide sub n. 521.

5° « *Sive morales distributiones, exclusa tertia earundem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent* ». Quaenam dicantur distributiones chorales alibi diximus (n. 418).

Tertia pars ideo excludenda est, quia dividi debet inter capitulares qui servitio chorali intersunt. Eatenus ex distributionibus choralibus dos beneficii constituitur, quatenus alii reditus praeter distributiones non habeantur. Si maior pars redituum ex distributionibus proveniat, Ordinarius loci praefinire debet quaenam earundem quantitas ut dos beneficii habenda sit.

2. Itaque conceptus dotis beneficii ex iure Codicis latius patet quam antea. At non omnia et singula bona recensita *de facto* dicenda sunt constituere dotem cuiuslibet beneficii. Codex enim loquitur *disiun-*

ctive, non autem *copulative*. Proinde quoad *singula* beneficia videndum est, *an* et *quaenam* bona ex enumeratis destinata sint ad constituendam dotem. Quae destinatio facienda est a legitima auctoritate ecclesiastica (i. e. a R. Pontifice vel ab Ordinario loci, non autem ab ipso beneficiario) aut in erectione beneficii aut etiam post factam erectionem.

863. Divisio beneficiorum. — 1. Ex can. 1411 beneficia dividuntur:

1° In *consistorialia* et *non consistorialia*, prout conferri solent in consistorio, aut extra. Ea sunt Episcopatus, Abbatiae et Praelaturae *nullius*. Olim beneficia consistorialia vocari solebant *maiora*, non consistorialia *minora*.

2° In *saecularia* et *religiosa*, prout ad *solos* clericos religiosos spectant. Attendenda est ipsa natura beneficii.

Omnia beneficia, extra ecclesias vel domus religiosorum erecta, in dubio saecularia esse praesumuntur (can. 1411, 2°).

Non repugnat beneficium saeculare conferri clerico religioso, nec beneficium religiosum conferri clerico saeculari. Neque inde natura beneficii ullo pacto mutatur.

3° In *duplicia* seu *residentialia* et *simplicia* seu *non residentialia*, prout, praeter officium sacrum, adnexam habeant obligationem residentiae, vel minus. Olim beneficia duplicia et simplicia in alio quoque sensu accipi solebant. Dicebantur *duplicia*, quae iurisdictionem, praeeminentiam, curam animarum vel administrationem quandam adnexam habebant, uti dignitates, personatus, paroeciae; *simplicia*, quae nonnisi assistentiam in choro et altaris servitium secumferebant.

4° In *amovibilia* et *inamovibilia*, prout revocabili-

ter vel in perpetuum conferuntur. Ea dicuntur etiam *manualia* aut *temporaria*, haec *perpetua*.

5° In *curata* et *non curata*, prout adnexam habent curam animarum vel non.

864. 2. Memorandae sunt quaedam aliae beneficiorum species. Beneficia sunt:

1° *Compatibilia* et *incompatibilia*, prout in una eademque persona coniungi possint necne.

2° *Reservata* et *non reservata*, prout collatio spectet ad R. Pontificem aut ad inferiorem.

3° *Collativa*, *electiva* et *patronata*, pro diverso modo quo conferuntur.

865. Quaedam beneficiis assimilantur, at vera beneficia non sunt. — Licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt (can. 1412):

1° *Vicariae paroeciales*, quae in perpetuum erectae non sint. Deest enim elementum essentiale, i. e. perpetuitas saltem obiectiva.

2° *Cappellaniae laicales*, quae nempe erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica. Nomine *cappellaniae* venit quaedam institutio qua clericus tenetur Missam celebrare ad mentem fundatoris vel quotidie vel certis diebus et ius habet percipiendi reditus ex bonis ab eodem fundatore ad id designatis. Si huiusmodi cappellania sit perpetua eaque in ens iuridicum ab ecclesiastica auctoritate constituta, verum beneficium est; secus manet laicalis, licet ad finem religiosum instituta, et caret re ac nomine beneficii.

3° *Coadiutoriae* cum vel sine futura successione. Deest perpetuitas obiectiva et, ad reditus quod spectat, ius in re.

4° *Pensiones personales*. Desideratur perpetuitas et officium sacrum.

5° *Commenda temporaria*, i. e. concessio redituum

alicuius ecclesiae aut monasterii alicui ita facta, ut, eo deficiente, reditus ad ecclesiam vel monasterium revertantur. Deest perpetuitas et plerumque tum officium sacrum tum constitutio in personam moralem ab ecclesiastica auctoritate facta.

Articulus II.

De erectione beneficiorum.

866. Quinam possit erigere beneficia. — 1. Beneficia *consistorialia* una Sedes Apostolica erigere valet (can. 1414, § 1). Sane huiusmodi erectio inter *causas maiores* adnumeratur.

Palam est R. Pontifici ius plenum, independens et absolutum competere constituendi beneficia cuiuslibet generis seu naturae, in tota et universa Ecclesia, etiam ultra et contra normas a Codice statutas. Id ex ipso primatu sponte consequitur.

2. Ordinarii locorum possunt in suo quisque territorio beneficia *non consistorialia* erigere, exceptis dumtaxat dignitatibus Capitulorum, quarum erectio reservatur Sedi Apostolicae (can. 394, § 2, 1414, § 2).

Vicarii generales nequeunt beneficia erigere sine mandato speciali. Dum e contra Vicarii capitulares ea constituere valent.

3. Etiam Cardinalis in proprio titulo vel diaconia potest beneficia *non curata* erigere, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae (can. 1414, § 4).

867. Quaenam observanda sint in beneficii erectione. — 1. Ad erectionem beneficii requiritur: 1° *causa iusta;* 2° *stabilis et congrua dos;* 3° *vocatio et auditio eorum, quorum interest* (can. 1415, 1416).

1° *Causa iusta.* Ratio et finis beneficii est officium sacrum; hoc autem propter necessitatem vel utilitatem

Ecclesiae sive cultus divini augmentum erigendum est. In praxi causa adesse semper censetur.

2° *Stabilis et congrua dos*. Huius reditus inserviunt ad alendos ministros Ecclesiae, ad onera ferenda, ad sustinendas cultus expensas. Dos debet esse *stabilis*, i. e. natura sua perpetua, tum ipsa natura beneficii attenta, tum eiusdem fine perspecto. Praeterea debet esse *congrua*, nempe conveniens et sufficiens ferendis variis beneficii oneribus.

Si dos constituatur in numerata pecunia, Ordinarius, audito administrationis consilio, curare debet ut quamprimum collocetur in tutis et frugiferis fundis vel nominibus (can. 1415).

Sine dote nequit valide beneficium constitui. At si, facta erectione, dos cesset quavis de causa aut omnino insufficiens sit, non ideo beneficium cessat vel eius natura mutatur.

Attamen, ob animarum salutem, erectio paroeciae vel quasi-paroeciae, deficiente congrua dote, non prohibetur, si prudenter praevideatur ea quae necessaria sunt, aliunde non defutura, v. g. ex iuribus stolae aut oblationibus fidelium (cfr. can. 1415, § 3).

2. Ante erectionem beneficii *vocari* et *audiri debent*, si qui sint, *ii quorum interest* (can. 1416). V. g. si nova paroecia per divisionem erigatur, parochus paroeciae dividendae audiendus est; item si paroecia illa sit iuris patronatus, patronus audiri debet. Olim requirebatur *consensus* eorum quorum interest; hodie tantum *auditio* seu *consilium*. Utrum ad validitatem? Longe verius affirmandum.

Ii quorum interest suntne etiam incolae loci vel paroeciani? Negative respondendum, nisi sint patroni aut adsit peculiaris coventio sive titulus, ex quo *ius* aliquod ipsis obveniat seu *interesse* stricte dictum.

868. 3. Fundator in limine fundationis potest, de consensu Ordinarii, apponere conditiones etiam iuri

communi contrarias, dummodo sint honestae et naturae beneficii non repugnent (can. 1417, § 1).

1° Nomine *fundatoris* venit persona physica vel moralis, quae summam bonorum tradit ut ex ea dos beneficii constituatur.

2° *Fundatio* denotat actum quo pia persona tradit dotem beneficii et Ordinarius eam acceptat.

3° Fundator potest in limine seu in actu fundationis ponere conditiones non solum *iuxta*, sed etiam *praeter* et *contra ius commune*. Excluduntur conditiones *inhonestae*, quae nempe moribus et virtutibus adversantur aut quae violant, ut aiunt, nervum disciplinae ecclesiasticae. Huiusmodi conditio esset v. g. quod beneficiarius *nullatenus* penderet ab Ordinario loci; quod iurisdictione fori externi gauderet, licet de beneficio non consistoriali ageretur, etc.

Item excluduntur conditiones *naturae beneficii repugnantes;* v. g. quod titularis beneficii sit laicus, quod beneficium erigatur ad tempus, quod careat personalitate iuridica, quod reditus ad propriam familiam perpetuo redeant post mortem beneficiarii.

Conditiones *impossibiles* tamquam non adiectae habeantur.

4° Eatenus conditiones apponi possunt, quatenus adsit *consensus* Ordinarii loci. Hic autem sedulo cavere debet ne illae quidem apponantur conditiones, quae hodiernae disciplinae ecclesiasticae directe aut indirectae repugnant (cfr. can. 460, § 2, 1450, § 1).

5° Conditiones semel admissae, scil. fundatione ab Ecclesia acceptata, tamquam leges inviolabiles servandae sunt, et earum observantia et conservatio ad ius publicum ita pertinet, ut neque a fundatore, neque ab heredibus eius, neque ab ipso Ordinario loci, accedente quoque consensu fundatoris vel heredum, supprimi aut immutari valide queant; nisi agatur de mutationibus quae cedant in favorem Ecclesiae et ac-

cedat consensus ipsius fundatoris vel, si agatur de iure patronatus, patroni (can. 1417, § 2).

R. Pontifex vi supremae potestatis valet profecto conditiones semel admissas supprimere aut immutare.

869. 4. Erectio beneficiorum fieri debet per legitimum documentum, in quo definiatur locus ubi beneficium erectum est, et describantur dos beneficii ac iura et onera beneficiarii (can. 1418).

Documentum non requiritur ad validitatem erectionis, sed tantum ad probationem eiusdem. Curandum ut forma civili validum sit, praesertim ad constitutionem dotis quod attinet. Si agatur de paroecia, fines sunt taxative atque accurate praefiniendi.

Articulus III.

De unione, translatione et divisione beneficiorum.

870. Unio beneficiorum. —1. Habetur *unio* cum duo aut plura beneficia a competente auctoritate ex iusta causa inter se coniunguntur.

2. Triplex est: *exstinctiva, aeque principalis* et *minus principalis* (can. 1419).

Dicitur *exstinctiva*, cum ex suppressis duobus vel pluribus beneficiis novum atque unicum beneficium efficitur, aut unum vel plura ita alii beneficio uniuntur ut esse desinant.

Aeque principalis habetur, cum unita beneficia remanent prout sunt, cum propriis et distinctis iuribus ac oneribus, neque alterum alteri subiicitur.

Minus principalis vel per *subiectionem* aut *accessionem* vocatur, cum beneficia remanent quidem distincta, sed unum aut plura alii subiiciuntur tamquam accessorium principali.

3. Effectus iuridici *unionis* sunt isti (can. 1420):

1° In *exstinctiva* unione, beneficio quod exurgit aut remanet competunt omnia iura et onera exstinctorum; quod si nequeant inter se componi, remanent et competunt meliora tantum et favorabiliora.

2° In *aeque principali*, quodlibet beneficium conservat suam naturam, iura et onera, sed, vi peractae unionis, omnes tituli beneficiorum unitorum uni eidemque clerico conferendi sunt.

3° In *minus principali*, beneficium accessorium sequitur principale, ita ut clericus qui principale obtinet, eo ipso et accessorium consequatur ac utriusque iuribus gaudeat atque oneribus teneatur.

871. 4. Certum unionis genus est *incorporatio*, qua beneficium *personae morali* cum variis effectibus in perpetuum iungitur.

Incorporatio fieri potest *iure pleno* et iure *non pleno* (cfr. can. 471, § 1, 1425). *Iure pleno*, cum iura omnia tam spiritualia quam temporalia cum adnexis obligationibus competunt ipsi personae morali, quae per clericum idoneum oneribus satisfacit, v. g. per vicarium curae animarum si agitur de paroecia incorporata. Iure *non pleno*, cum unio fit dumtaxat quoad temporalia, non autem quoad cetera. Illa mutat naturam beneficii saecularis in religiosum, si unio fiat monasterio; non ita haec.

872. Quinam possit unire beneficia.

1. R. Pontifex, ut patet, omnia et singula beneficia unire valet.

Ipsi *exclusive* reservantur : 1° unio beneficiorum exstinctiva; 2° unio aeque aut minus principalis beneficii religiosi cum saeculari et contra; 3° incorporatio paroeciae domui religiosae; 4° unio beneficiorum consistorialium, exemptorum aut S. Sedi reservatorum (can. 1422, 1424, 1425).

2. Ordinarius loci potest aeque aut minus princi-

paliter unire quaslibet suae dioecesis paroecias, sive inter se sive cum beneficio non curato, ita tamen ut in altero casu, si unio fiat minus principalis, beneficium non curatum sit accessorium (can. 1423, § 1). Id optimo consilio statuitur, ne unio cedat in detrimentum animarum.

Tamen potestas Ordinarii loci limitatur. Sane :

a) Nequit Ordinarius paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasterio, cum ecclesia religiosorum aut alia persona morali, cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegialis; sed potest paroeciam cum ecclesia cathedrali vel collegiali quae in territorio paroeciae sita est, ita unire ut reditus paroeciae cedant in utilitatem ipsius ecclesiae, parocho vel vicario congrua portione relicta (can. 1423, § 2). Habetur in hoc casu incorporatio iure *non pleno*, de qua supra (n. **871**). Unio aliter facta irrita foret ob defectum potestatis.

b) Ordinarius nonnisi *in perpetuum* unire potest beneficia non autem ad tempus (can. 1423, § 3). Unio temporaria invalida esset.

c) Numquam potest Ordinarius beneficia unire sive curata sive non curata, cum detrimento eorum qui eadem actu obtinent, *ipsis invitis;* neque beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis *sine patronorum consensu* (can. 1424). In utroque casu agitur de iure quaesito, cui Ordinarius nullatenus derogare valet.

Interdum unio ita fit, ut nonnisi post obitum vel renuntiationem beneficiarii effectum sortiatur.

d) Ordinarius nequit beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis unire, etiamsi ambae aeque principaliter unitae ab uno Episcopo regantur (can. 1424).

3. Vicarius capitularis et Vicarius generalis sine speciali mandato beneficia unire nequeunt (can 1423, § 1). Id sub poena nullitatis.

873. Causa et sollemnitates unionis. — 1. Unio fieri nequit *sine causa canonica*; quae adeo necessaria est, ut, ipsa deficiente, unio nulla et irrita sit (can. 1428, § 2).

Huiusmodi causa in genere est Ecclesiae necessitas aut magna et evidens utilitas; in specie est tenuitas et insufficientia redituum, calamitas ecclesiis illata, diminutio populi, necessitas Seminarii, etc. (1).

2. Sollemnitates ex praescripto can. 1428, § 1 istae sunt: 1° authentica scriptura; 2° consilium Capituli cathedralis; 3° consilium eorum, si qui sint, quorum interest, praesertim rectorum ecclesiarum.

874. Recursus contra decretum unionis. — Adversus decretum unionis beneficiorum, latum ab Ordinario loci, datur recursus ad S. Sedem, sed tantum *in devolutivo* (can. 1428, § 3).

S. Congregatio Concilii competens est.

875. Translatio beneficii. — 1. Habetur translatio cum sedes beneficii de alio in alium locum deducitur (can. 1421), v. g. de alia in aliam ecclesiam, de hoc in illud oppidum.

2. Ad *validam* translationem requiritur *causa canonica*, scil. Ecclesiae necessitas aut evidens eius utilitas; v. g. si ecclesia nequeat restaurari, si locus sit omnino inconveniens, etc. (cfr. can. 1426).

3. *Auctoritas competens*, generatim loquendo, eadem est ac pro unione (n. 872).

Potestas Ordinarii loci ita limitatur. Ipse potest beneficii *saecularis* (non autem religiosi, cuius translatio S. Sedi reservatur) *paroecialis* sedem de alio in alium *eiusdem* (non alterius) paroeciae locum transferre. Cetera beneficia tunc solum transferre valet, cum ecclesia, in qua fundata erant, collapsa sit et re-

(1) Cfr. Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 5; Sess. XXIII, cap. 18; Sess. XXIV, cap. 13 et 15, de ref.

staurari nequeat; quo in casu beneficia cum omnibus emolumentis et oneribus priori ecclesiae adnexis transferenda sunt in matrices vel alias ecclesias locorum *eorundem* seu *vicinorum*, erectis, si fieri possit, altaribus vel sacellis sub iisdem invocationibus, ad normam can. 1426.

4. Ad *sollemnitates* et *recursum* quod attinet, eadem valent ac supra de unione (n. 872).

876. Divisio beneficii. — 1. Habetur divisio, cum ex uno beneficio duo vel plura fiunt (can. 1421).

2. Generatim is dividere potest beneficia, qui eadem erigere valet. Divisio beneficii *religiosi* reservatur S. Sedi.

3. Ordinarius loci ex iusta et canonica causa potest *paroecias quaslibet* dividere, *invitis quoque earum rectoribus* et *sine populi consensu*, vicariam perpetuam vel novam paroeciam erigens (can. 1427, § 1).

Duae conditiones ad valorem requiruntur: *causa canonica* et *erectio novae paroeciae* aut *vicariae perpetuae*. Vicaria perpetua est verum beneficium habens adnexam curam animarum. Est quaedam pars paroeciae cum peculiari ecclesia et populo determinato, quae alicui rectori seu vicario assignatur, ut ibi curam animarum universam ipse exerceat. Territorium igitur vicariae non est avulsum et separatum a territorio paroeciae, ideoque vicaria necessario continetur intra fines paroeciae. Dicimus *necessario*, quia, perspecta organizatione territoriali ad normam iuris communis (can. 216 et 217), Episcopus nequit separare portionem territorii paroeciae illudque avulsum ac separatum declarare, quin aut novam inde constituat paroeciam aut paroeciae iam existenti illud adscribat.

Causa canonica ut divisio paroeciae fieri possit, ea tantum est, si vel magna sit difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem, aut nimia sit paroecianorum

multitudo, quorum bono spirituali convenienter subveniri nequeat per unum aut plures vicarios cooperatores (can. 1427, § 2).

Magna difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem moraliter aestimanda est, perpensis omnibus circumstantiis, praesertim viarum asperitate et loci distantia atque incommoditate.

4. Ordinarius dividens paroeciam, debet vicariae perpetuae aut paroeciae noviter erectae congruam portionem assignare; quae, nisi aliunde haberi queat, desumenda est ex reditibus ad ecclesiam matricem quoquo modo pertinentibus, dummodo reditus sufficientes remaneant ipsi ecclesiae matrici. Si dotatio novae paroeciae aut vicariae perpetuae desumpta sit ex reditibus ecclesiae matricis, huic peculiarem honorem deferre debet vicaria aut nova paroecia, iuxta modum et fines ab Ordinario praefiniendos. Nequit hodie, aliter ac olim, reservari matrici fons baptismalis (can. 1427, §§ 3 et 4).

Huiusmodi honor deferendus ecclesiae matrici est v. g. cereus paschalis, census annuus etc.

5. Divisa paroecia quae ad aliquam religionem spectat, vicaria perpetua aut paroecia noviter erecta non est religiosa, sed saecularis; pariter divisa paroecia iuris patronatus, nova paroecia est liberae collationis (can. 1427, § 5).

6. Quoad *sollemnitates* et *recursum*, ut supra (n. 872 ss.).

Articulus IV.

De dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum.

877. Dismembratio. — 1. Beneficii *dismembratio* habetur, cum pars territorii aut bonorum alicuius beneficii ex eodem detrahitur et alii beneficio vel

causae piae aut ecclesiastico instituto assignatur (can. 1421).

Igitur duplex species: alia respicit *territorium*, v. g. paroeciae; alia respicit *bona*, v. g. paroeciae vel canonicatus. Illa locum habet quando pars territorii, ex. gr. paroeciae, separatur ab alia paroecia et alii attribuitur; haec verificatur quando pars bonorum detrahitur ex aliquo beneficio et assignatur vel alteri beneficio vel causae piae, aut instituto ecclesiastico, ex. gr. hospitali vel Seminario.

Territorium formaliter consideratur, non mere materialiter; scil. attenditur praesertim determinatus populus in territorio degens.

2. Dismembratio *bonorum* uni Sedi Apostolicae reservatur (can. 1422). Ratio est, quia agitur de bonorum ecclesiasticorum *donatione*, seu de alienatione absque compensatione et pretio facta. Accedit quod saepe obstat contraria fundatorum vel oblatorum voluntas, cui nullus Praelatus infra R. Pontificem derogare valet.

Dismembratio *territorii* fieri potest, generatim loquendo, ab eo qui facultatem habet erigendi beneficia, de quibus agitur. V. g. beneficia consistorialia, scil. dioecesim, abbatiam vel praelaturam *nullius*, dismembrare valet R. Pontifex tantum; paroeciam dismembrare potest etiam loci Ordinarius.

3. Quoad causam canonicam, modum, sollemnitates et recursum, huc spectant quae de unione et divisione dicta sunt (nn. 873, 876).

4. Ex praescripto can. 1500, in casu dismembrationis territorii, *bona communia* quae in commodum totius territorii erant destinata, et aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat, debita servata proportione dividi debent ex bono et aequo, *salvis piorum fundatorum vel oblatorum voluntatibus et iuribus legitime quaesitis*.

Huiusmodi bona communia sunt, quae scholis,

pauperibus, infirmis destinantur, non vero reparationi ecclesiae aut parochi sustentationi. Divisio facienda est cum debita proportione, *ex bono et aequo*, attentis numero, genere, necessitatibus fidelium atque inspectis etiam aliis institutionibus in loco existentibus vel erigendis, etc. Talis divisio non est vera alienatio, cum utraque pars territorii ex divisis bonis iisdem commodis frui pergat. Pariter legata sive onera in commodum totius territorii constituta, dividenda sunt ut supra.

878. Conversio beneficiorum. — 1. Habetur *conversio* cum beneficium in aliam speciem mutatur (can. 1421); v. g. cum beneficium simplex fit duplex, amovibile inamovibile, curatum non curatum, etc.

2. Beneficia curata ab Ordinario nequeunt in non curata converti, nec beneficia religiosa in saecularia, nec saecularia in religiosa. Dum e contra beneficia simplicia possunt ab Ordinario converti in curata, dummodo ne obstent conditiones a fundatore expressae (can. 1430).

3. Quoad causam canonicam, modum, sollemnitates etc. vide generatim n. **872 ss.**

879. Suppressio beneficii.— 1. Haec verificatur cum beneficium exstinguitur omnino (can. 1421).

2. Potestas supprimendi beneficia, quaecumque ea sint, uni Sedi Apostolicae competit (can. 1422). Agitur sane de re gravioris momenti.

Articulus V.

De collatione beneficiorum.

880. Quid sit beneficii collatio et quotuplici modo fieri possit. — 1. *Collatio* est concessio beneficii vacantis canonice facta a competente Superiore ecclesiastico.

2. Beneficia iisdem modis conferuntur ac officia ecclesiastica, scil. 1° *per liberam collationem*, si legitimus Superior designat personam et titulum beneficii concedit; 2° per *institutionem*, si praecesserit clerici idonei praesentatio aut nominatio; 3° per *confirmationem* vel *admissionem*, si praecesserit electio aut postulatio; 4° per *simplicem electionem* et electi *acceptationem* (cfr. n. 274). Hic ultimus modus vix locum obtinet in canonica provisione beneficiorum.

881. Quinam possit conferre beneficia. — 1. R. Pontifex potest beneficia conferre in universa Ecclesia eorumque collationem sibimet reservare (can. 1431). Id ex ipsa natura Primatus.

2. Cardinalis in proprio titulo vel diaconia vacantia beneficia conferre valet, et habet intentionem in iure fundatam, ita ut contra ipsum probanda sit exceptio (can. 1432, § 1).

Num soli Cardinales in Urbe residentes, an etiam ceteri hoc iure fruuntur? Huc spectant quae alibi dicta sunt (n. 281, 4).

3. Ordinarius loci conferre potest omnia beneficia vacantia in proprio territorio, quorum collatio ex uno aliove titulo non sit reservata S. Sedi; in eius favorem habetur intentio in iure fundata (can. 1432, § 1).

Vicarius capitularis nequit beneficia conferre, nisi agatur de *paroeciis* vacantibus liberae collationis, si sedes per annum vacaverit aut impedita fuerit, vel nisi agatur de aliis beneficiis quae non sint liberae collationis (can. 455, § 2, 3°, 1432, § 2).

Vicarius generalis sine mandato speciali nulla gaudet potestate conferendi beneficia.

882. Constitutio coadiutorum. — 1. Haec constitutio coadiutorum in beneficiis *cum* vel *sine futura successione* S. Sedi reservatur (can. 1433). Quoad

coadiutores cum futura successione, ratio vetiti est, quia in beneficiis ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sunt maxime odiosa (1).

2. Ordinarius loci potest constituere vicarium adiutorem parocho qui permanenter evaserit impar muneri suo obeundo, et vicarium cooperatorem parocho qui nequit officio suo solus sufficere (can. 475, 476, 1433; n. 557 ss.).

883. Reservatio beneficiorum S. Sedi. — 1. Triplex est: 1° *reservatio proprie dicta;* 2° *devolutio;* 3° *affectio.*

2. *Reservatio proprie dicta.* Reservantur S. Sedi, licet vacanti, ita ut ab inferioribus collatoribus ordinariis *invalide* conferantur (can. 1434, 1435, § 1) sequentia beneficia:

1° Omnia beneficia *consistorialia* et omnes *dignitates* ecclesiarum cathedralium et collegiatarum (can. 396, § 1, 1435, § 1).

Sedi Apostolicae reservatur etiam collatio dignitatum quae nullam praebendam nullaque emolumenta aut valde exigua adnexa habeant (2).

2° Omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem Cardinalium, Legatorum R. Pontificis, officialium maiorum SS. Congregationum, Tribunalium et Officiorum Curiae Romanae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii (can. 1435, § 1, 1°).

Officiales *maiores* praecipui sunt: Secretarius, Subsecretarius, Assessor, Substitutus, Regens, Auditores S. R. Rotae, etc.

(1) Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 7, de ref.
(2) Pontif. Comm. Cod., 1 iul. 1922; *A. A. S.*, XIV, p. 406.

Familiares sunt: Protonotarii Apostolici, Antistites Urbani, Cubicularii.

3° Beneficia, fundata extra Curiam Romanam, quae vacaverint per obitum beneficiarii in Urbe (can. 1435, § 1, 2°).

Nomine *Urbis* venit non solum Roma, sed quaelibet urbs ubi actu commoretur Papa cum sua Curia. Necesse non est ut beneficiarius domicilium aut quasi-domicilium habuerit in Urbe. Requiritur et sufficit ut *de facto* in Urbe decedat, quodcumque fuerit tempus commorationis Romae et quaecumque causa adventus.

4° Beneficia quae invalide ob simoniam collata fuerint (can. 1435, § 1, 3°).

Attenditur potissimum simonia iuris divini, quae reddit nullam et irritam collationem beneficii et gravibus plectitur poenis (can. 729 et 2392).

A nonnullis reservatio, quae in triplici casu praecedenti locum habet, *affectio* vocatur. Sed accuratius loquendo affectio tunc verificatur, cum R. Pontifex directe et immediate *manus apponit* seu *afficit*. Unde vox *affectio*, de qua infra (n. 885).

884. 3. *Devolutio.* Si Ordinarius intra *semestre* ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, huius collatio spectat seu devolvitur ad S. Sedem (can. 1432, § 3).

Id locum non habet quoad paroecias, ad normam can. 458 (cfr. n. 498).

Tempus est *utile*: quare non currit sede episcopali vacante, Episcopo impedito aut non habente clericum idoneum cui beneficium conferri possit.

885. 4. *Affectio stricte dicta.* Haec habetur cum R. Pontifex per se vel per delegatum *manus apponit* his modis: 1° si electionem ad beneficium irritam declaraverit sive sententia iudiciali sive decreto sive re-

scripto aliave quacumque forma; 2° si prohibuerit electores ad electionem procedere, quavis de causa; 3° si renuntiationem admiserit; 4° si beneficiarium promoverit, v. g. parochum ad episcopatum; 5° si beneficiarium transtulerit de alio in aliud beneficium, de alia in aliam ecclesiam; 6° si eundem beneficio privaverit sive sententia iudiciali sive decreto aliove modo; 7° si beneficium in commendam dederit, sive in perpetuum sive ad tempus (can. 1435, § 1, 4°).

5. Beneficia manualia et iuris patronatus laicalis vel mixti, nisi expresse dicatur, non subsunt reservatioi, devolutioni et affectioni (can. 1435, § 2).

886. Normae servandae in collatione. — 1. Imprimis servanda sunt quae alibi dicta fuerunt de qualitatibus requisitis in promovendis ad officium ecclesiasticum (n. **275** ss.).

2. Beneficium ecclesiasticum clerico *invito* ac *provisionem suam non expresse acceptanti* nequit *valide* conferri (can. 1436).

Ratio est, quia provisio speciem quandam praesefert donationis; haec autem nonnisi acceptatione perficitur. Summo iure una Sedes Apostolica posset etiam invito conferre beneficium.

3. Nemo potest beneficium *sibi* ipse conferre (can. 1437). Idque sub poena nullitatis. Ratio manifesta. Perfecta beneficii provisio duos actus includit, collationem ex parte Superioris et acceptationem ex parte subiecti. Porro inter dantem et recipientem debet esse distinctio vera seu personalis.

4. Omnia beneficia *saecularia* conferenda sunt *ad vitam beneficiarii*, nisi aliud ferat vel lex fundationis, vel consuetudo immemorabilis, vel peculiare indultum (can. 1438).

Beneficia saecularia, secus ac religiosa, praesumuntur praedita perpetuitate non solum obiectiva,

sed etiam subiectiva. Peculiare indultum nonnisi a R. Pontifice concedi potest.

Provisio aliter facta, nulla et irrita foret.

887. 5. Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura *beneficia incompatibilia*. Porro *incompatibilia* sunt non solum duo beneficia quorum universa onera idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem convenienter sufficiat (can. 156, 1439).

Igitur incompatibilitas beneficiorum ex duplici capite oritur: 1° ex impossibilitate *simul*, i. e. eodem tempore implendi universa onera eorundem beneficiorum per se ipsum, et non per alium; 2° ex sufficientia alterutrius beneficii ad honestam sustentationem. Facultas dispensandi est penes R. Pontificem tantum, qui raro dispensat ob privatam utilitatem, frequentius ob bonum publicum, i. e. propter necessitatem vel evidentem Ecclesiae utilitatem.

Provisio alterius beneficii est *valida*, sed statim ac provisus pacificam obtinuerit possessionem, primum ipso facto et sine ulla declaratione vacat (can. 188, 3°). Si primum quoque praesumpserit retinere, *utroque* privatur ipso iure (can. 2396).

Id locum obtinet si provisio fiat a Praelato inferiore. Si fiat a S. Sede, nisi in supplici libello mentio prioris beneficii incompatibilis habeatur, concessio alterius *subreptitia* censetur ideoque invalida (cfr. can. 42; n. 151 s.). Facta mentione, valet quidem provisio, sed capta alterius possessione vacat primum beneficium, nisi rescriptum pontificium contineat clausulam, quae dispenset a lege incompatibilitatis.

888. 6. Ad normam can. 1440 beneficia ecclesiastica conferri debent *sine ulla diminutione*, salvo praescripto can. 1429, de quo infra (n. **890**).

Diminutio habetur praesertim in duplici casu: 1° impositione novi oneris spiritualis, manentibus iisdem reditibus temporalibus; 2° imminutione fructuum, manentibus iisdem oneribus.

Reprobantur tanquam simoniacae deductiones ex fructibus, compensationes et solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant (can. 1441).

Episcopus in collatione paroeciarum non reservatarum nequit imponere, etiam pro una vice tantum, moderatam taxam in favorem Seminarii, sed recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem (3).

7. Beneficia *saecularia* nonnisi clericis saecularibus conferenda sunt; *religiosa* sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent (can. 1442).

8. Beneficium vacans per renuntiationem vel sententiam privationis, nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptavit vel sententiam tulit *valide* conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive (cfr. can. 157).

889. 9. Provisio *simoniace* facta, nulla et irrita est licet delictum a tertia persona commissum fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem ipsius aut ipso contradicente.

Beneficium *simoniace* acceptum debet dimitti ante sententiam iudicis, nec ulla praescriptio favet. Provisus non facit fructus suos; quos bona fide percepérit Ordinarius vel iudex potest ex toto vel ex parte condonare iusta de causa, v. g. quia onera implevit aut quia pauper est, praesertim si eo inscio simonia commissa fuerit (cfr. can. 727 et 729).

(3) Pontif. Comm. Cod., 16 oct. 1919, ad 16; *A. A. S.*, XI, p. 479.

10. Provisio beneficii *scripto* consignanda est ad normam can. 159.

11. In provisione beneficiorum servandae sunt etiam normae sive conditiones iure particulari aut lege fundationis praefinitae.

12. Quoad collationem beneficiorum quae Romae constituta sunt, leges *peculiares* de eisdem vigentes servari debent (can. 1435, § 3).

Huiusmodi leges respiciunt praesertim beneficia erecta in Basilicis patriarchalibus.

890. Num et quaenam pensiones super beneficiis imponi possint a locorum Ordinariis. — 1. Ordinarii nequeunt beneficiis quibuslibet pensiones perpetuas aut temporarias, quae ad vitam pensionarii durent, imponere; sed possunt, dum beneficium conferunt, ex iusta causa in ipso collationis actu exprimenda, eisdem beneficiis imponere pensiones temporarias quae durent ad vitam beneficiarii, salva huic congrua portione (can. 1429, § 1).

Quare loci Ordinarius numquam imponere valet: 1° pensionem perpetuam; 2° pensionem temporariam quae duret ad vitam pensionarii; 3° pensionem temporariam ad vitam beneficiarii, nisi huic reservetur congrua portio, quae generatim sufficiens sit ad honestam sustentationem.

2. Ordinarius beneficiis *paroecialibus* pensiones imponere potest tantum in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis; quae pensiones excedere nequeunt tertiam partem reditus paroeciae, deductis quibusvis expensis et incertis reditibus (can. 1429, § 2).

Triplex igitur limitatio. Pensiones beneficiis *non paroecialibus* imponi possunt in favorem beneficiarii a munere abeuntis, Seminarii, causae piae, etc.; dum pensiones beneficiis *paroecialibus* tantummodo in favorem parochi vel vicarii a munere cessantis (renun-

tiatione, translatione, amotione, etc.), et quidem in favorem parochi vel vicarii *eiusdem* paroeciae, de qua agitur, non autem in commodum parochi vel vicarii cuiuslibet.

Praeterea quantitas pensionis beneficiis paroecialibus imponendae nequit excedere tertiam partem reditus paroeciae, deductis expensis et reditibus incertis; quae restrictio non existit quoad pensiones aliis beneficiis imponendas.

Ordinarius loci potest admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio paroeciali in favorem parochi renuntiantis, firmo praescripto can. 1429, § 2 (4).

3. Pensiones beneficiis impositae sive a R. Pontifice sive ab aliis collatoribus, cessant morte pensionarii. Hic autem nequit eas alienare, nisi id expresse concessum sit (can. 1429, § 3). Prohibitio alienandi videtur esse sub poena nullitatis.

891. Possessio beneficii. — 1. Nomine *possessionis* hic intelligitur *institutio corporalis* sive *realis*, quae distinguitur ab institutione collativa tituli. Potest definiri: *actus competentis Superioris ecclesiastici, quo beneficiarius in actualem possessionem beneficii, ex collatione tituli legitime iam obtenti, immittitur.*

2. Qui habet ius conferendi beneficium, habet ius, generatim loquendo, etiam immittendi in possessionem sive per se sive per alium. Quare, si agitur de beneficiis non consistorialibus, missio in possessionem ad loci Ordinarium spectat, qui ad id sacerdotem peculiarem delegare potest (can. 1443, § 2). Nomine Ordinarii non venit Vicarius generalis sine mandato speciali. Plerumque delegari solet vicarius foraneus.

3. Alicubi mos viget ut beneficiarii non immittantur a Superiore ecclesiastico in beneficii possessio-

(4) Pontif. Comm. Cod., 20 maii 1923; *A. A. S.*, XVI, p. 116.

nem, sed ipsi propria auctoritate eam capiant. Huiusmodi consuetudo potestne sustineri ut legitima? Profecto ea adversatur praescripto can. 1443, § 1, qui diserte statuit : « *Nemo possessionem beneficii sibi collati... propria auctoritate capiat* ».

Proinde, ad normam can. 5, si talis consuetudo non sit centenaria vel immemorabilis, per Codicem penitus sublata est. Si centenaria vel immemorabilis sit, tolerari nequit, quia nulla est solida ratio cur prudenter submoveri non possit; imo plane contrarium, scil. plures rationes suadent et postulant ut lex ecclesiastica in hac re adamussim servetur. Eo vel magis id hodie tenendum, quia ex can. 1444, § 1 Ordinarius potest dispensare a ritu possessionis capiendae, si adsit iusta causa; quo in casu dispensatio tenet locum captae possessionis, ut statim dicetur.

892. 4. Missio in beneficii possessionem fieri debet « secundum modum iure peculiari praescriptum vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu dispensatio locum tenet captae possessionis » (can. 1444, § 1).

Modus possessionis capiendae iure communi non praefinitur. Igitur attendendum ius *peculiare*, i. e. lex dioecesana, legitima consuetudo, lex fundationis, decretum Episcopi aut Concilii provincialis.

Dispensatio Ordinarii, proprie et accurate loquendo, non respicit possessionem ipsam, sed modum sive ritum eam capiendi. Eatenus dispensari potest, quatenus adsit *causa iusta*, v. g. infirmitas beneficiarii, vetitum civile, odium plebis, etc. Dispensatio debet esse *expressa* et *scripto* data. Ex rei natura illud ad valorem, hoc verius ad liceitatem requiritur.

5. Ordinarius loci debet praefinire *tempus* intra quod possessio beneficii capienda sit; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, be-

neficium vacare declaret ad normam can. 188, 2° (can. 1444, § 2).

Agitur in casu de sententia mere *declaratoria*. Constare debet *tum* de tempore taxative ab Ordinario praefinito, *tum* de lapsu eiusdem, *tum* de iusti impedimenti absentia. Huiusmodi impedimentum esset infirmitas beneficiarii, difficultas itineris, rixae populi, molestia auctoritatis civilis, etc. Si beneficiarius, nullo iusto impedimento detentus, intra praefinitum tempus possessionem non ceperit, censetur renuntiasse beneficio prius obtento. Habetur sane *tacita* renuntiatio ab ipso iure admissa.

Num Ordinarius possit tempus prorogare? Nonnulli negant. Longe verius affirmandum.

6. Possessio beneficii capi potest etiam per procuratorem, speciali mandato munitum (can. 1445). Utraque conditio ad valorem: *mandatum*, et quidem *speciale*. Procurator debet esse vir ecclesiasticus.

7. Effectus iuridici possessionis sunt isti: 1° ius faciendi fructus suos; 2° interdicta possessoria; 3° praesumptio tituli et conditio praescribendi (can. 1446, 1447).

893. 8. Pro nonnullis beneficiis fidei professio praecipitur. Huiusmodi beneficia, praeter consistorialia, sunt: dignitates, canonicatus, paroeciae, beneficia quaevis, etiam manualia, curam animarum habentia (cfr. can. 1406).

Nemo potest beneficii sibi collati possessionem capere, fidei professione non emissa (can. 1443, § 1). Professio emitti potest vel ante possessionem vel in actu eiusdem.

Una cum professione fidei praestandum quoque est *iuramentum antimodernisticum* a Pio X praescriptum (5).

(5) Pius X, Motu propr. « *Sacrorum Antistitum* », 1 sept. 1910; S. Off., 22 mart. 1918; *A. A. S.*, II, 669; X, 136.

Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit, qui eam per procuratorem aut coram laico emittit (can. 1407).

Qui professionem fidei emittere negligit, gravibus poenis obnoxius est ad normam can. 2403.

Articulus VI.

De iure patronatus.

894. Notio et divisio. — 1. Ius patronatus est « *summa privilegiorum, cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessione competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae aut beneficii, vel etiam eis qui ab illis causam habent* » (can. 1448).

Dicitur : 1° *summa privilegiorum*, seu complexus favorum peculiarium, qui patrono competunt ex gratia Ecclesiae. Alia sunt privilegia spiritualia, alia temporalia, sive mere honorifica sive non (can. 1455). Praecipuum privilegium est ius praesentandi clericum ad ecclesiam vacantem aut beneficium vacans (cfr. n. 294).

2° *Cum quibusdam oneribus*, quia Ecclesia eatenus concedit privilegia eaque integra servat, quatenus patronus nonnullis satisfaciat obligationibus. De his in can. 1469.

3° *Quae ex Ecclesiae concessione competunt;* nam ius patronatus est mera gratia et favor ab Ecclesia concessus, non vero ius quoddam ex ipsa rei natura competens patrono, ita ut ex parte Ecclesiae nullum detur officium sive debitum.

4° *Fundatoribus catholicis.* Nomine *fundatorum* ii intelliguntur, qui *vel* fundum proprie dictum dederunt pro aedificanda ecclesia aut cappella, *vel* dotem eiusdem ecclesiae aut cappellae aut beneficii praebuerunt, *vel* suis expensis ecclesiam aut cappel-

lam aedificarunt. Hinc notissimum adagium: *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.*

Fundatores debent esse *catholici*, quia ius patronatus est *spirituale* ideoque nonnisi catholicis seu membris Ecclesiae competere potest. Si alicubi, v. g. in Germania, ius patronatus competit etiam protestantibus, id ex mera tolerantia Ecclesiae repetendum est (1).

5° *Ecclesiae, cappellae aut beneficii.* Nomine *ecclesiae* intelligitur ecclesia proprie dicta; nomine *cappellae* venit tum oratorium publicum tum sacellum in templo erectum. *Beneficium* intelligitur proprie dictum.

6° *Vel etiam eis qui ab illis causam habent.* Haec verba ex iure romano deprompta omnes successores denotant, ad quos legitime transfertur ius patronatus.

895. 2. Ius patronatus est:

1° *Reale* vel *personale*, prout alicui rei, v. g. fundo, cohaeret vel directe ad personam spectat. Illud ad omnes fundi possessores transit, hoc adhaeret personis seu familiis, i. e. patronis horumque heredibus aut descendentibus.

Ius patronatus inhaerens *dignitati, muneri* sive *officio*, v. g. paroeciae, principatui, decanatui etc., censetur *reale*, et in omnes qui dignitatem vel munus obtinent, transfertur.

2° *Ecclesiasticum, laicale* et *mixtum*, prout titulus iuris patronatus est ecclesiasticus vel laicalis aut mixtus. Unde ius patronatus competens v. g. parocho vel canonico qua tali est ecclesiasticum; competens syn-

(1) Cfr. Cappello, *I diritti e i privilegi tollerati o concessi dalla S. Sede ai Governi civili*, p. 10 ss.; Schmalzgr., lib. II, tit. 26, n. 29 ss.; Viviani, *Praxis iuris patronatus*, etc., lib. II, cap. 5, n. 1 ss.; Fargna, *Commentaria in singulos canones de iure patronatus*, part. II, can. 3, cas. 3; Lambertini, *De iure patronatus*, lib. I, part. I, q. 2, art. 3.

dico communitatis aut urbis praefecto et generatim personis vel familiis privatis, est laicale; competens ex. gr. tum parocho qua tali tum communitatis moderatori est mixtum. Titulus autem desumendus plerumque ex bonis, prout ecclesiastica aut patrimonialia sint. Interdum desumitur ex voluntate fundatoris, qui v. g. reservaverit ius patronatus Episcopo aut parocho pro tempore. Igitur ius patronatus dicitur ecclesiasticum vel laicale non habito respectu ad personas quae illo gaudent, sed unice ex titulo. Non repugnat enim iure patronatus laicali frui clericos illudque de facto exercere.

3° *Haereditarium, familiare, gentilitium, mixtum,* prout transit ad heredes vel ad eos qui de familia aut de gente fundatoris sunt, vel ad eos qui *simul* sunt heredes et de familia aut gente fundatoris (can. 1449).

896. Modi acquirendi ius patronatus. — 1. Alii modi sunt *originarii,* alii *derivati.* Originarii sunt fundatio, constructio seu dotatio alicuius ecclesiae vel cappellae aut beneficii. His accedit privilegium apostolicum (2). Episcopos huiusmodi privilegium concedere non posse, palam est (3).

Tituli *derivati* sunt complures: successio hereditaria, donatio vel permutatio aut emptio-venditio fundi cui inhaeret ius patronatus, aliique contractus. Ius patronatus directe et in se nec vendi nec emi potest sine delicto simoniae.

2. Quidam inter modos acquirendi ius patronatus recensent quoque praescriptionem. Haec admittenda

(2) Hodie attendendum praescriptum can. 1471: «Si cui Sedes Apostolica sive in concordatis sive extra concordata indultum concesserit praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, non inde ius patronatus oritur, et privilegium praesentationis strictam interpretationem pati oportet ex tenore indulti».

(3) Cfr. c. 2, III, 9 in VI; Conc. Trid., Sess. XXV, cap. 9, de ref.

non qua titulus originarius, sed qua derivatus tantum sive translatitius, servatis adamussim servandis (4).

897. 3. *In posterum* nullum ius patronatus ullo titulo *valide* constitui potest (can. 1450, § 1).

Manet tantummodo ius patronatus legitime acquisitum ante Codicem. Sed locorum Ordinarii pro viribus curare debent ut patroni, loco iuris patronatus quo fruuntur aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia vel ad tempus vel etiam in perpetuum pro se suisve acceptent (can. 1451, § 1).

4. Loco iuris patronatus a Codice in posterum suppressi, Ordinarius ad normam can. 1450, § 2 potest 1° fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias construxerint vel beneficia fundaverint, spiritualia suffragia, eorum liberalitati proportionata, concedere vel temporaria vel perpetua; 2° fundationem beneficii admittere ea conditione, ut beneficium *prima vice* conferatur clerico fundatori vel alii clerico a fundatore designato.

898. Cessatio iuris patronatus et suspensio exercitii eiusdem. — 1. Interdum ius patronatus manet suspensum, interdum cessat omnino.

Si res v. g. fundus cui ius patronatus reale cohaeret, transeat ad infideles, publice apostatas, haereticos, schismaticos, adscriptos societatibus secretis ab Ecclesia damnatis, necnon ad quoslibet excommunicatos post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, ius patronatus *manet suspensum* (can. 1453, §§ 1 et 3).

Item si ecclesia collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus defecerint ad cul-

(4) Cfr. Cappello, *I diritti e i privilegi*, etc., p. 25 ss.; De Luca, *De iure patronatus*, disc. 8, n. 7 ss.; Garcia, *De beneficiis*, part. V, cap. 9, n. 119 ss.

tum exercendum vel ad beneficiarii sustentationem ita ut beneficium conferri nequeat, ius patronatus quiescit seu suspensum manet (can. 1469, § 2).

Censura aut infamia iuris innodati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam nequeunt ius patronatus exercere eiusque privilegiis uti, usque dum censura vel infamia perdurant (can. 1470, § 4).

Ante sententiam valide et licite exercent ac fruuntur; secus post sententiam.

899. 2. Ad normam can. 1470 ius patronatus cessat :

1° Si patronus, intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum, ecclesiam denuo non aedificaverit vel restauraverit aut reditus auxerit. Duae conditiones requiruntur : *a*) praefinitio temporis et b) expressa cessationis poena adiecta Ordinarii mandato. Cessatio locum habet ipso iure et sine ulla declaratione.

2° Si patronus iuri suo renuntiaverit. Renuntiatio fieri potest ex integro vel ex parte, salvo iure aliis compatronis quaesito.

3° Si S. Sedes ius patronatus revocaverit aut ipsam ecclesiam vel beneficium suppresserit.

4° Si contra ius patronatus legitime fuerit praescriptum. Sufficit praescriptio ordinaria in favorem libertatis Ecclesiae.

5° Si pereat res, cui ius patronatus inhaereat, aut exstinguatur familia, gens, linea cui secundum tabulas fundationis reservatur.

6° Si de consensu patroni ecclesia vel beneficium uniatur alii beneficio liberae collationis, aut ecclesia fiat electiva aut regularis.

7° Si patronus rectorem vel alium clericum ecclesiae servitio addictum aut beneficiarium per se vel per alios occiderit aut mutilaverit. Ad hoc ut patro-

nus censeatur amisisse proprium ius, requiritur et sufficit sententia criminis declaratoria.

8° Si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentaverit; si lapsus fuerit in apostasiam, haeresim aut schisma; si bona ac iura ecclesiae vel beneficii iniuste usurpaverit aut detineat.

In hisce casibus ius patronatus cessat tantum quoad patronum, non autem quoad eius heredes. Requiritur et sufficit, ut supra, sententia declaratoria (5).

Articulus VII.

De iuribus et obligationibus beneficiariorum.

900. Iura beneficiarii. — 1. Quilibet beneficiarius, capta legitime beneficii possessione, omnibus iuribus gaudet tam spiritualibus quam temporalibus, quae beneficio adnexa sunt (can. 1472).

Haec iura varia sunt pro varietate beneficiorum, eaque tum ex iure communi tum ex iure peculiari desumenda atque aestimanda sunt.

2. Beneficiarius *libere* frui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem necessarii sunt, quamvis alia bona non beneficialia habeat (can. 1473).

Peculium, competens beneficiario, potest esse *beneficiale*, *patrimoniale*, *quasi-patrimoniale*, et *parcimoniale*. Dicitur *beneficiale* illud, quod ex fructibus beneficii constituitur; *patrimoniale*, quod provenit ex hereditate, donatione etc.; *quasi-patrimoniale*, quod acquiritur occasione ministerii ecclesiastici, v. g. concionando, sacras functiones peragendo; *parcimoniale*, quod ex reditibus beneficialibus parce vivendo constituitur.

(5) Brevitatis causa consulto omittimus, utpote minoris momenti, quae respiciunt exercitium iuris patronatus necnon iura et obligationes patronorum (can. 1452-1469).

Peculium patrimoniale, quasi-patrimoniale et parcimoniale pleno iure competit beneficiario. Etiam in peculium beneficiale habet verum ac plenum dominium beneficiarius, at in ordine dumtaxat ad honestam sustentationem. Haec autem complectitur tum ea quae requiruntur ad victum, vestitum et habitationem iuxta proprium uniuscuiusque gradum, tum ea quae postulantur ad honestam recreationem, ad futuri temporis provisionem, ad hospitalitatem erga pauperes, consanguineos et amicos. Excludenda ostentatio, superbia, luxus.

901. Obligationes. — 1. Aliae sunt *communes* pro omnibus beneficiariis, aliae *speciales* pro hoc aut illo beneficiario, v. g. pro parocho, canonico etc. Hic sermo est tantum de illis.

2. Obligationes communes sunt:

1° *Obligatio erogandi reditus beneficialis superfluos pro pauperibus aut causis piis* (can. 1473).

Oritur haec obligatio ex praecepto ecclesiastico, non autem ex iustitia commutativa. Quare si beneficiarius notabiles reditus superfluos non eroget in favorem pauperum vel pro causis piis, graviter quidem peccat, sed non tenetur ad restitutionem.

Haec obligatio respicit reditus beneficiales superfluos, eos nempe qui supersunt, postquam beneficiarius necessaria et congrua ad honestam sustentationem ex reditibus beneficialibus desumpsit, licet alia bona possideat.

Reditus *beneficiales* ii omnes iique soli sunt, qui pertinent ad beneficii dotem (cfr. n. 862).

In erogatione superflui iste servandus est ordo:

a) Imprimis praeferendi sunt pauperes miserabiliores, honesti impiis, ceteribus paribus consanguinei prae aliis.

b) Deficientibus pauperibus, praeferenda est ecclesia beneficii, et si haec bonis abundet, pia opera

incrementum fidei vel caritatis foventia, aut alia ecclesia quae indigeat.

Cardinales tantum, ad normam can. 239, § 1, 19°, possunt libere disponere de omnibus etiam superfluis bonis beneficialibus, salvo praescripto can. 1298 ad sacram supellectilem quod attinet.

2° *Obligatio suscipiendi ordines.* « Si ad beneficium obtinendum susceptio alicuius ordinis requiratur, beneficiarius talem ordinem *ante* beneficii collationem iam receperit oportet » (can. 1474). Huiusmodi est beneficium paroeciale et aliud quodcumque curam animarum habens adnexam.

3° *Obligatio emittendi professionem fidei et iuramentum antimodernisticum,* ut supra dictum est (n. 893).

4° *Obligatio implendi peculiaria onera beneficio adnexa,* v. g. onus residentiae, curae animarum exercendae (can. 1475, § 1).

5° *Obligatio horas canonicas quotidie recitandi.* Beneficiarius qui nullo impedimento legitimo detentus huic obligationi non satisfacit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradere aut in favorem pauperum erogare tenetur (can. 1475, § 2).

Agitur de obligatione iustitiae eaque urget ante sententiam iudicis. Ii fructus restituendi sunt, qui propter horarum recitationem percipiuntur, exclusis ceteris qui ob alia onera debentur.

6° *Obligatio recte bona administrandi.* Beneficiarius non est proprietarius beneficii nec simplex administrator eiusdem. Ipse est veluti *curator* et *usufructuarius.* Idcirco debet bona beneficialia administrare ad normam iuris (cfr. can. 1523), ea in suo statu rite conservare, imo curare ut in meliorem statum adducantur, vetita eorundem alienatione, nisi iusta adsit causa et iuris sollemnitates serventur (can. 1476, § 1, 1530 ss.).

Si beneficiarius damna attulerit beneficio ex negligentia aliave culpa, tenetur ea resarcire, ut palam est.

Beneficiarius ferre debet expensas *ordinarias* pro administratione bonorum beneficialium et fructuum perceptione. Huiusmodi sunt taxae bonorum, locationum, *minores* reparationes necessariae in aedificiis, plantationes ordinariae, substitutio novarum arborum loco excisarum.

Impensae pro *extraordinariis* reparationibus *domus* beneficialis ab iis ferendae sunt, quibus onus incumbit reficiendi ecclesiam beneficialem, nisi fundationis tabulae aut legitimae conventiones et consuetudines aliud caveant (can. 1477).

902. 3. Ordinarius loci peculiari obligatione tenetur advigilandi etiam per vicarios foraneos ut bona beneficialia rite conserventur recteque administrentur (can. 1478).

4. Si bona beneficialia locantur, *anticipatae* solutiones pretii locationis ultra semestre prohibentur sine licentia Ordinarii, qui cavere debet ne talis locatio in damnum loci pii aut sucessorum in beneficio cedat.

903. Divisio fructuum in casu successionis aut vacationis. — 1. Reditus *annui* beneficiales *inter successorem* et *antecessorem* eiusve heredes, in casu obitus, pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, dividendi sunt, omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compositionis modum induxerint (can. 1480).

Alicubi, v. g. in nonnullis Italiae regionibus, iure particulari hae normae vigent. Congrua gubernii vel supplementum eiusdem solvitur per menses, ita ut qui mensem inceperit, integri mensis pensionem percipiat. Subsidia fabricae aut communitatis civilis pro rata temporis distribuuntur. Fructus naturales et mixti

cedunt successori absque onere compensationis solvendae antecessori eiusve heredibus.

2. In casu vacationis beneficii, deductis expensis cuiuslibet generis (itemque deducta ad normam can. 472, 1° parte fructuum ad congruam oeconomi sustentationem, si agitur de beneficio paroeciali), fructus beneficii vacantis, nisi ex legitima consuetudine omnes in bonum commune dioecesis erogentur, in duas partes dividendi sunt; quarum alia accrescit doti beneficii vel, in capitulis, massae communi, alia cedit fabricae ecclesiae vel sacristiae, si eius bona, ut interdum accidit, separatim ministrentur (can. 1481).

Haec regula non applicatur, cum beneficium ad breve tempus vacat. Practice fere numquam supersunt fructus beneficiales dividendi.

Articulus VIII.

De beneficiorum dimissione, permutatione, translatione et privatione.

904. Dimissio beneficii. — 1. Nomine *dimissionis* hic intelligitur *libera resignatio beneficii ex iusta causa et cum consensu legitimi Superioris eam acceptantis ad normam iuris facta.*

De habilitate subiecti, iusta causa, debita forma et acceptatione Superioris, huc spectant quae alibi dicta sunt (n. **296** s.).

2. Ordinarius admittere nequit dimissionem beneficii a clerico *in sacris* constituto factam, nisi constet eum necessaria ad honestam sustentationem aliunde habere. Dimissio autem beneficii, cuius titulo clericus ordinatus fuit, *irrita* est, nisi fiat *expressa* mentio clericum illius titulo promotum fuisse, eidemque, de Ordinarii consensu, alium legitimum titulum ordinationis substituisse (can. 1484, 1485).

3. Dimissio debet esse *pura* et *absoluta*, i. e. absque ullo pacto vel conditione.

Ordinarius dimissionem beneficii in commodum aliorum vel sub aliqua conditione, quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat, nequit admittere, nisi in casu quo beneficium sit litigiosum et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius (can. 1486).

905. Permutatio. — 1. Haec est *mutua beneficii resignatio, ea conditione facta, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur.* Differt tum a renuntiatione proprie dicta seu dimissione quae pura et absoluta est, tum a translatione qua alter beneficiarius a legitima auctoritate transfertur in alterius beneficium, quin pactum inter duos beneficiarios interveniat.

Permutatio est institutum iuridicum speciale.

2. Conditiones validae et legitimae permutationis eaedem fere sunt ac quae requiruntur ad renuntiationem.

Permutatio induit naturam contractus bilateralis circa beneficia ideoque sedulo curandum ut cuiusque iura serventur, ut simonia vitetur omnino, ut beneficia sine ulla diminutione conferantur.

3. Haec speciatim attendenda :

1° Permutatio duorum beneficiorum nequit *valide* fieri, nisi propter Ecclesiae necessitatem vel utilitatem aliave iusta de causa, sine detrimento aliorum, de consensu patroni, si agatur de beneficio iuris patronatus, et Ordinarii loci, non autem Vicarii generalis sine mandato speciali, nec Vicarii capitularis (can. 1487, § 1).

2° Ad *validitatem* permutationis necesse est, ut fiat scripto vel oretenus coram duobus testibus, personaliter aut per procuratorem speciali mandato munitum (can. 186, 1487, § 1).

3° Ordinarius debet *intra mensem* consensum praestare vel denegare; et permutatio valet a momento consensus praestiti ab Ordinario. Hic autem beneficiorum permutationem admittere nequit, si utrumque vel alterutrum beneficium sit S. Sedi reservatum (can. 1487, §§ 2 et 3). Haec omnia ad valorem postulantur.

4° Permutatio valide fieri potest dumtaxat inter duos beneficiarios, non vero inter plures.

5° Si beneficia permutanda inaequalia sint quoad reditus, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae aut cuiusque rei pretio aestimabilis (can. 1488). Ratio manifesta. Beneficia conferenda sunt sine ulla diminutione, et quodlibet pactum in hac re nullum et irritum ipso iure foret.

906. Translatio et privatio. — 1. Nomine *translationis* intelligitur *clerici idonei de alio in aliud beneficium facta legitima mutatio.*

Similitudinem habet cum resignatione et permutatione, sed ab utraque differt. Est institutum iuridicum *speciale,* peculiaribus normis obnoxium.

Translatio potest esse *libera* et *coacta, poenalis* et *non poenalis.* Huc spectant quae dicta fuerunt de translatione ab uno in aliud officium ac de translatione parochorum (nn. **304, 545**).

2. *Privatio* beneficii alia est *proprie dicta* seu *poenalis,* qua nempe beneficium aufertur in poenam; alia est *amotio,* qua beneficium aufertur potissimum ob causam boni publici sive beneficiarius sit reus sive innocens. Vide nn. **301, 547** ss.

CAPUT VII

DE ALIIS INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS

ARTICULUS I.

De natura et erectione huiusmodi institutorum.

907. Notio. — 1. *Institutum* hic accipitur sensu lato, pro loco vel collegio aut domo vel re certo fini addicta. Huiusmodi sunt domus, quae alendis, educandis, sustentandis quibusvis hominibus ope egentibus addicta sunt, v. g. orphanotrophia, hospitalia. Item domus exercitiis spiritualibus destinatae aliaeque in quibus publice exercetur pietas, religio, caritas sive spiritualis sive temporalis.

2. Institutum potest esse *pium* vel *profanum*. Dicitur *pium* si finis est bonum spirituale, seu religio vel pietas aut caritas christiana excolenda; *profanum*, si finis est mera philanthropia seu bonum mere temporale.

3. Institutum *profanum* est semper et necessario *laicale*; contra, institutum *pium* potest esse *ecclesiasticum* vel *laicale*, prout auctoritas ecclesiastica illud erexerit aut saltem approbaverit necne. Igitur criterium distinctionis est interventus vel minus auctoritatis ecclesiasticae. Haec autem duplici modo potest intervenire, vel simpliciter *approbando* institutum vel, a fortiori, illud *erigendo* in veram personam moralem. Non sufficit mera *commendatio* aut *destinatio* bonorum religioni aut pietati vel caritati, nec simplex *connexio* aut unio cum ente ecclesiastico, v. g. cum Seminario.

Nihil vetat quominus institutum laicale sit fundatum a clericis aut eorundem subsit directioni et administrationi.

4. Institutum potest esse *collegiale* et *non colle-*

giale, prout constat personis physicis in unum corpus morale coalescentibus, necne (cfr. n. 207).

5. Instituta ecclesiastica *non collegialia*, de quibus hic sermo est, possunt esse personae morales vel non, ideoque iuridica frui personalitate aut minus.

Praecipua instituta ecclesiastica non collegialia sunt *scholae* (can. 1372-1383). De his vide quae in iure publico tradidimus (1).

908. Erectio instituti ecclesiastici. — 1. Hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, destinata ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis, possunt a loci Ordinario erigi et per eius decretum persona iuridica in Ecclesia constitui, ad normam can. 100, § 1.

Eatenus Ordinarius loci valet huiusmodi instituta agnoscere et approbare, quatenus finis fundationis utilis reapse sit, et talis constituta fuerit dos, quae, omnibus perpensis, sufficiat revera aut prudenter praevideatur sufficiens fore ad illum assequendum (can. 1489, §§ 1 et 2).

2. Si in personam iuridicam erigatur institutum, tunc omnibus iuribus gaudet, quae competunt personae morali, speciatim iure possidendi et ministrandi bona temporalia.

3. Ius administrandi bona instituti ecclesiastici pertinet ad eiusdem rectorem, secundum normas praefinitas in tabulis fundationis. Quae tabulae constituunt *ius speciale* instituti adamussim servandum.

Rector autem iisdem obligationibus tenetur atque iisdem iuribus gaudet, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum (can. 1489, § 3).

(1) Cappello, *Summa iuris publici ecclesiastici*, n. 390 ss.

Articulus II.

De visitatione, inspectione, suppressione, et mutatione huiusmodi institutorum.

909. Visitatio et inspectio. — 1. Ordinarius loci omnia instituta *ecclesiastica* in personam moralem erecta, licet exempta, potest et debet visitare.

Imo, etsi in personam moralem non sint erecta et domui religiosae concredita, nihilominus iurisdictioni Ordinarii loci *penitus* subsunt, si agatur de domo religiosa iuris dioecesani; si de domo religiosa iuris pontificii (sive haec ad ordinem, sive ad congregationem pertineat), subduntur vigilantiae episcopali quoad religionis magisteria (scil. scholas, catechesim, institutionem christianam), honestatem morum, exercitia pietatis, sacrorum administrationem, nempe quoad sacramenta et sacramentalia ministranda et sacras functiones peragendas (can. 1491).

Idque valet etiamsi domus religiosa sit exempta.

2. Si ecclesiasticum institutum ex fundatione vel praescriptione aut privilegio apostolico sit exemptum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci, ius tamen competit Ordinario exigendi rationum redditionem, contraria consuetudine reprobata. Quod iuris praescriptum tam districte urget, ut fundatio nequeat acceptari si fundator velit administratores non teneri rationem Ordinario loci reddere (can. 1492).

Haec dispositio respicit *futuras* fundationes, non praeteritas, ad normam can. 10.

Itaque triplex gradus exemptionis: 1° a iurisdictione Ordinarii loci; 2° a iurisdictione et etiam a visitatione; 3° a iurisdictione et visitatione ac praeterea ab onere reddendi rationem.

Si ecclesiasticum institutum sit *simpliciter exemptum*, potest ab Ordinario loci visitari. Si exemptum sit nedum a iurisdictione, verum etiam a visitatione,

Ordinarius potest nihilominus exigere redditionem rationum. Si exemptum sit a iurisdictione simul et visitatione atque a ratione reddenda, Ordinarius loci habet ius et officium tantum exercendi *generalem* quandam vigilantiam, praecavendi scil. ne abusus irrepant circa fidem et mores. Postrema amplissima exemptio *in posterum* nonnisi ex privilegio apostolico obtineri potest.

3. Ordinarius loci invigilare debet ut piae fidelium voluntates, in fundatione institutorum expressae, plene serventur (can. 1493). Hoc praescriptum respicit omnia et singula instituta, quovis modo exempta.

4. De institutis, quae erecta olim fuerunt ab auctoritate ecclesiastica, sed postea a Guberniis conversa sive usurpata sunt atque ad statum mere laicalem redacta, vide n. **381, 3.**

910. An et quodnam ius competat Ordinario loci quoad pia instituta laicalia. — Haec instituta subsunt profecto *generali* vigilantiae et inspectioni Ordinarii loci, ut omnes personae, res et loca, quae intra fines dioecesis reperiuntur, ad normam can. 336 et 344. Quae *generalis* vigilantia et inspectio, ex ipso munere episcopali profluens, duo secumfert: 1° ius ac simul officium cavendi ne abusus circa fidem vel mores irrepant; 2° ius, nisi specialis exemptio probetur, visitandi pium institutum laicale, at *communi* seu *generali* dumtaxat ratione, ad normam can. 344, sicuti visitantur fideles universi.

Si huiusmodi instituta bona obtinuerint ex pia fundatorum voluntate, Ordinarius loci, qua exsecutor omnium piarum voluntatum, invigilare debet ut istae piae fidelium voluntates sancte ac religiose impleantur (can. 1515).

911. Suppressio et mutatio ecclesiastici instituti. — Can. 1494 expresse statuit: «Sine venia Sedis Apostolicae haec instituta supprimi, uniri vel in

usus a fundatione alienos converti nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur ».

Eatenus suppressio et mutatio vetita est sine beneplacito apostolico, quatenus habeatur vera fundatio. Qua posita, ad normam can. 1517, § 1, ultimae voluntatis commutatio uni Sedi Apostolicae reservatur : « *nisi in tabulis fundationis aliud caveatur* », quia voluntas fundatoris lex est ideoque fideliter servanda. Ea posita, ut patet, nulla habetur mutatio ultimae voluntatis, sed potius eius implementum. Fundator autem potestatem supprimendi aut uniendi aut in alios usus convertendi concedere potest vel Ordinario loci vel alii, aut statuere valet ut certo temporis spatio elapso aut verificata hac illave conditione institutum supprimi, uniri seu immutari possit.

Deficiente fundatoris voluntate, venia apostolica in casu ad valorem requiritur.

Quae in utroque volumine tradita sunt, in usum scholarum sufficere videntur, perspecta brevitate temporis quo Seminariorum alumni iuris canonici studium absolvere coguntur, attentis iis quae remotius ad ministerium ecclesiasticum spectant, iisque probe consideratis quae in aliis disciplinis, praesertim in theologia morali et pastorali, exponuntur.

Pro iis tamen qui longius tempus impendere valent et uberiorem sibi procurare exoptant sacrorum canonum cognitionem, tertium quam primum prodibit volumen, quod accurate et perspicue disciplinam quoque de bonis Ecclesiae temporalibus, de processibus, de delictis et poenis referet.

In fine tertii voluminis index alphabeticus cum scriptorum catalogo dabitur.


1470